





SELEUCIDARUM IMPERIUM, SIVE HISTORIA REGUM SYRIÆ,

Ad Fidem NUMISMATUM accommodata,

Per J. FOY-VAILLANT, Bellov. D. Med. & Regis Antiq.

EDITIO SECUNDA, NITIDIOR ET EMENDATIOR.



HAGÆ-COMITUM,
Apud P. GOSSE & J. NEAULME,
M. DCC. XXXII.



REVERENDO ADMODUM PATRI

P. FRANCISCO DE LA CHAIZE,

E SOCIETATE JESU,

REGI A CONFESSIONIBUS:

JOANNES FOY-VAILLANT.

Habes, REVERENDE PATER, *absolutum Opus, quod olim imperasti, integrum* SELEUCIDARUM REGUM *Seriem, expressam è probatissimis Nummis, quorum indubitatâ fide quantùm accedat ad veritatem, sacræ præsertim Machabæorum Historiæ illustrandam, nemo meliùs videt quàm Tu in rebus illis versatissimus, nemo clariùs intelligit. Non potui tot veluti redivivis Principibus nobilius patrocinium quærere, quàm si, quod unum nunc superest, nominis tutorem illis providerem eum, quem Regum omnium potentissimus idem ac sapientissimus* LUDOVICUS MAGNUS *Conscientiæ suæ Arbitrum habere voluit ac Moderatorem. Voluit, inquam; quæ tua maxima Laus est. Nec enim Te, quod aliis contigit, aut casu oblatum, aut Procerum gratiâ commendatum, aut solo clarissimæ Societatis tuæ judicio probatum accessit: sed suâ ipsius voluntate electum, suâque incredibili prudentiâ bene exploratum, ad tantum munus ad-*

misit. Unde quantùm Tibi præ cæteris gloriæ accedat, videre satis nemo potest, qui singularem Regis solertissimi in deligendis hominibus sagacitatem non intellegit.

Regebas Tu quidem Lugdunensem, quam Tui vocant, Provinciam, insigni prudentiæ, humanitatis, religiosarumque virtutum omnium laude clarissimus; natusque ad majora, gravissimis illis negotiis præludebas, quibus Te ad Ecclesiæ Religionisque utilitatem & ornamentum REX CHRISTIANISSIMUS *admovit. Et eras præterea felici casu aliunde quoque jam mihi notissimus tum eximiâ tuâ eruditione, quæ Provinciæ unius finibus contineri non poterat, tum facilitate illâ morum admirabili, quæ Tibi omnium animos amoresque conciliavit. Expertus loquor, nec rejiciendus in meâ causâ testis. Nimirum cùm in Italiam amplificando Regio Thesauro profectus essem, excepisti me Lugduni perhumaniter, nummisque etiam elegantissimis donatum dimisisti: sic tamen jam captum ingenii tui admiratione, sic humanitatis tuæ amore devinctum, ut ex eo tempore totus esse tui juris cœperim, tuoque è nutu pendere.*

Quamobrem cùm hortareris perquàm amicè, ut quod ego Tecum communicaveram contexendæ SELEUCIDARUM *Historiæ consilium non deponerem, neque me incœpti difficultate deterreri ullo pacto finerem, quin rem intricatissimam aggressus evolvere, extremam illi denique manum imponerem: tua jam inde voluntas mihi pro imperio fuit: addixi itaque operam, promisi, fidem dedi, quam num feliciter datam exolverim, unus Tu,* REVERENDE PATER, *inter cæteros & videre & æstimare potes. Nosti quid opera in pervestigandis Nummis, quid in eruendis industriæ, quid in divinandis Inscriptionibus solertiæ, quid in illustrandis studii ponendum sit ac laboris. Hâc si in re meam Tibi probari diligentiam sensero, bene collocatos æstimabo labores meos, satisque me laudis adeptum esse arbitrabor, si à tam laudato Viro vel aliquâ ex parte commendatum me esse intelligam. Vale.*

Ex Musæo nostro Parisiensi,
An. MDCLXXXI.

LECTORI



LECTORI.

Cogitanti mihi aliquando quæ ſit Numiſmatum veterum utilitas, quantumque ad illuſtrandam Hiſtoriam præſidii in his poſitum ſit, plenus ecce talium Nummorum ſacculus affertur. Hunc ad me quidam amicorum notus olim Byzantii familiariter, cùm illic ad Theſaurum Chriſtianiſſimi Regis locupletandum verſarer, à peregrinatione recens mittebat.

In his cùm multos Regum Syriæ Nummos reperiſſem, venit in mentem quàm poſſem plurimos colligere, ſi fortè integram ex his Seriem poſſem efficere, quæ Principum illorum Hiſtoriæ, alioqui apud Scriptores intricatiſſimæ, aliquid lucis afferret. Hoc conſilio veterum Scripta perlegere aggreſſus, fragmenta ex his deprompſi, & in unum veluti Chronologiæ corpus redegi, verbis ipſis Auctorum fermè repræſentatis, ne quis ſenſum à me detortum ſuſpicari poſſet.

Regum Syriæ exordium Hiſtorici maximam partem in annum I. Olymp. 117. eamque vocant ÆRAM SELEUCIDARUM: ſed in aſſignando anni tempore diſſentiunt. Prior quidem Machabæorum Liber cum Joſepho ad menſem Niſan, qui Martio & Aprili noſtro reſpondet; at poſterior Machabæorum Liber à Tiſri inchoat, qui in Septembrem noſtrum & Octobrem incurrit: non integro illum anno differt, uti Chaldæi faciunt, quomodo eſt à P. Petavio doctiſſimè comprobatum. Cæterùm quænam ab ipſis Regibus Syriæ Epocha potiſſimùm uſurpata fuerit, nemo apertè docuit. Sed Antiochenſes, quæ Civitas fuit totius Syriæ metropolis, rem videntur definiiſſe, ſignato in averſâ Numiſmatum ſuorum parte ſigno Arietis cum Sole conjuncti; quod à me ſub iſtius Operis finem deprehenſum eſt, ut oſtenderem anni exordium ab Æquinoctio verno ducere ſolitos fuiſſe.

Quo tempore Seleucidarum regnum deſierit, haud magis liquet, quàm quo idem inceperit: de ſingulorum verò Regum tempore multò obſcurior quæſtio eſt, eaque res recentiori-

bus Chronographis occasionem præbuit cujusque Regnum contrahendi pro arbitrio, vel amplificandi: quo magis necesse fuit, ut in tantâ hujus Historiæ quasi penuriâ à veteribus Nummis auxilium petere. In his scilicet Regum tempora aliunde ignotissima definiuntur, adnotatis Seleucidarum annis, sive Græcorum, ut appellantur in Machabæorum Libris, quorum ad Chronologiam inire se se accommodant.

Nec verò exiguus labor fuit tot Reges cognomines inter se distinguere, quos Historici ludicris tantùm & ad ignominiam fictis appellationibus notant, cùm in his ipsis Nummis non nisi honorifico & illustri cognomento insigniantur. Enimverò jam confundi cœperant tot Seleucorum atque Antiochorum nomina, tamen ora ipsa & vultus discreparent: cùm Antiochus III. in lapso fermè sæculo primus æram Seleucidarum suis aliquot Nummis apponi jussit, quò posset à cæteris dignosci, quod est ab ejus filiis Seleuco & Antiocho, qui regno potiti sunt, factitatum. Sed postremus ille majoribus ambitiosior, superbum titulum ΘΕΟΣ ΕΠΙΦΑΝΗΣ quo fuerat à Samaritanis honoris causâ donatus, Nummis ascribi voluit. Hujus exemplum secuti deinde posteri Reges, qui se alii ab aliis discernerent, peculiare quisque cognomen sumpserunt, idque illustre scilicet, signatis etiam quandoque Seleucidarum annis. Atque his usus præsidiis, labore quidem non exiguo, Seriem integram eorum Regum ex Numismatis absolvi, ab Alexandro Magno ad Pompeium usque Magnum, à quo Syria in Provinciam redacta est, postquam ibi regnatum à Seleucidis fuerat per annos CCXLIX., vel etiam ut Eusebio placet ad CCL. usque Pompeii ex ejus regno exitum.

Regum Syriæ Numismata reperiuntur ex auro, argento, & ære cusa, quorum argentea quidem æreis rariora sunt, aurea verò longè rarissima. Nonnulla quorumdam Numinum vultus adjectos præferunt; sed ex his solam Regum effigiem incidi curavi, quò faciliùs posthac quisque assuesceret illos ipsâ ex facie dignoscere, quæ nullam interdum epigraphen, aut cognomen adscriptum habet. Nam quæ annorum numero consignata sunt, in his errori locus non est: hæ porrò notæ numerales, ductis à dextrâ ad lævam characteribus, Phœnicum more expressæ sunt. Hæc ut faciliùs distinguerentur, suâ quæque magnitudine excudi curavimus.

Cæterùm hanc Nummorum Seriem per singulos Reges ductam explere nusquam potuissem, nisi Illustrissimi Viri, GUILLELMUS LA-

Lamonius, & Achilles Harlæus, ille nuper Parisiensis Senatus Princeps, hic Regius hodieque Procurator; tum ex amicis alii suorum aliquot mihi Nummorum copiam fecissent, quos apud me apertos ac locupletes hujus Historiæ testes extare, quàm apud se mutos ignotosque delitescere maluerunt. Nec minùs officiosè Vir Cl. Petrus Carcavius, Regiæ Nummorum Gazæ ut & Bibliothecæ Præfectus, Ectypa quædam necessaria commodavit. Sed Laborem hunc nostrum adjuvit in primis R. P. de la Chaize Regi à Confessionibus, Vir veterum Numismatum non tantùm studiosissimus amator, sed etiam æstimator peritissimus, qui mihi, tum suscipiendi Operis sanè ardui Auctor fuerat, tum ejus absolvendi causa propemodum unica extiterat.

In hac Lucubratione totâ solis Veterum Scriptis sum usus, nisi quòd eorum fragmentis inter se connectendis verba quædam aliis alia locis inserenda fuerunt, sub extrema præsertim hujus Historiæ tempora, ubi summa ejus erat inopia. Novos, qui sua ex illis omnia derivarunt, eò tantùm adduxi, ut appareat quantùm privatas opiniones sectati, quandoque à vero aberrarint in aliquot Regum temporibus definiendis. In Scriptoribus autem repræsentandis, atque in ipsis adeò Machabæorum Libris, multa sæpe recisa consulto prætermissaque sunt, quæ vel ad Seleucidarum Historiam parùm facere, vel prolixitate nimiâ tædium afferre posse, videbantur. Eorum autem, qui veteres Græcos interpretati sunt, verba ipsa Latina descripsi, ne quid de sensu detraheretur, quoties nihil adversus rerum veritatem peccatum erat. Denique Regum istorum Numismata eatenus explicare studui, ut eorum Historiam illustrarem. Ex isto quasi Specimine incitabuntur aliqui ad alia in singulos annos Numismata conquirenda: ego verò operæpretium mihi fecisse videbor, si quod à me in hac Editione peccatum fuerit, utcunque excusatur. Quod si Labor hic meus benevolè ab Eruditis excipiatur, erit fortasse tempus cùm & Ptolemæorum Historiam eorum Nummis illustratam edam in lucem.



INDEX
REGUM SYRIÆ.

1. SELEUCUS I. vulgò ΝΙΚΑΤΩΡ. Pag. 1.
2. ANTIOCHUS I. vulgò ΣΩΤΗΡ. 21.
3. ANTIOCHUS II. vulgò ΘΕΟΣ. 26.
4. SELEUCUS II. vulgò ΚΑΛΛΙΝΙΚΟΣ. 29.
5. SELEUCUS III. vulgò ΚΕΡΑΥΝΟΣ. 37.
6. ANTIOCHUS III. vulgò ΜΕΓΑΣ. 39.
7. SELEUCUS IV. vulgò ΦΙΛΟΠΑΤΩΡ. 83.
8. ANTIOCHUS IV. ΘΕΟΣ ΕΠΙΦΑΝΗΣ. 87.
9. ANTIOCHUS V. ΕΥΠΑΤΩΡ. 110.
10. DEMETRIUS I. ΣΩΤΗΡ. 120.
11. ALEXANDER I. ΘΕΟΠΑΤΩΡ ΕΥΕΡΓΕΤΗΣ, vulgò BALA. 134.
12. DEMETRIUS II. ΝΙΚΑΤΩΡ. 146. & 175.
13. ANTIOCHUS VI. ΘΕΟΣ ΕΠΙΦΑΝΗΣ ΝΙΚΗΦΟΡΟΣ. 152.
14. TRYPHON, ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ. 157.
15. ANTIOCHUS VII. ΕΥΕΡΓΕΤΗΣ, vulgò SIDETES. 161.
16. ALEXANDER II. vulgò ZEBINNA. 178.
17. SELEUCUS V. 186.
18. ANTIOCHUS VIII. ΕΠΙΦΑΝΗΣ, vulgò GRYPUS. 187.
19. ANTIOCHUS IX. ΦΙΛΟΠΑΤΩΡ, vulgò CYZICENUS. 200.
20. SELEUCUS VI. ΕΠΙΦΑΝΗΣ ΝΙΚΑΤΩΡ. 208.
21. ANTIOCHUS X. ΕΥΣΕΒΗΣ ΦΙΛΟΠΑΤΩΡ. 213.
22. ANTIOCHUS XI. ΕΠΙΦΑΝΗΣ ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΣ, vulgò DYDIMUS. 215.
23. PHILIPPUS, ΕΠΙΦΑΝΗΣ ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΣ. 217.
24. DEMETRIUS III. ΦΙΛΟΜΗΤΩΡ ΕΥΕΡΓΕΤΗΣ ΚΑΛΛΙΝΙΚΟΣ, vulgò EUCÆRUS. 218.
25. ANTIOCHUS XII. ΕΠΙΦΑΝΗΣ ΔΙΟΝΥΣΟΣ. 221.
26. TIGRANES, Rex Armeniæ. 227.
27. ANTIOCHUS XIII. ΕΠΙΦΑΝΗΣ ΦΙΛΟΠΑΤΩΡ ΚΑΛΛΙΝΙΚΟΣ, vulgò ASIATICUS & COMMAGENUS. 236.



SE-

SELEUCIDARUM STEMMA.

SELEUCUS I. - Syriæ Rex I.
Apame Artabazi è ducibus Darii filia, uxor 1.
Stratonice Demetrii Poliorcetis filia, uxor 2.

ANTIOCHUS I. - Syriæ Rex II.
Stratonice Demetrii Poliorcetis filia, uxor.
Filius anonymus.

Apame Magæ Cyrenes Regi nupsit.
Laodice ex alterâ matre, ejus ux.
Filius anonymus.
ANTIOCHUS II. - Syriæ Rex III.
Laodice Antiochi patris filia, uxor prima.
Berenice Ptolem. Philadelphi filia, uxor secunda.

Nicæa Demetrio Macedoniæ Regi nupta.
Stratonice Ariarathi III. Cappadociæ Regi nupta.
Antiochus Hierax.
SELEUCUS II. Syriæ Rex IV. Stratonice Andromachi F. uxor.
Filius anonymus.

SELEUCUS III. Syriæ Rex V. sine liberis.
ANTIOCHUS III. - Syriæ Rex VI.
Laodice Mithridatis V. Ponti Regis filia, uxor 1.
Eubia Cleoptolemi Chalcidensis filia, uxor 2.

1. Aotinchus nupsit Laodici sorori, mortuus ante patré.
2. SELEUCUS IV. - Syriæ Rex VII. -
3. Laodice jam nupta Antiocho fratri, uxor.
4. ANTIOCHUS IV. Syriæ Rex VIII.
5. Ardis.
6. Mithridates.
7. Cleopatra nupta Ptol. Epiphani.
8. Antiochis nupta Ariarathi Ponti Regi.
9. Anonyma Eumeni Pergami Regi oblata.

Laodice nupta Perseo Maced. R.
DEMETRIUS I. Syriæ Rex X.
ANTIOCHUS V. Syrix Rex IX. sine liberis.
Laodice occisa ab Ammonio.
ALEXANOER I. - Syriæ Rex XI.
Cleopatra Ptol. Philometoris filia, uxor.

ANTIOCHUS VII. Syrix Rex XV. Cleopatra Philometoris filia, uxor.
DEMETRIUS II. Syriæ Rex XII Cleopatra Philometotis filia, uxor 1. Rhodogune Arsacis Parthorum R. filia, uxor 2.
ALEXANDER II. Syriæ Rex XVI. seu Tyrannus.
ANTIOCHUS VI. Syriæ Rex XIII. puer moritur.
TRYPHON Syriæ Rex XIV. seu Tyrannus.

ANTIOCHUS IX. Syriæ Rex XIX. Clèopatra Physconis F. primogenita, uxor.
SELEUCUS V. Syriæ R. XVII. sine liberis.
Anonyma nuptæ Phraati Parthorum Regi.
ANTIOCHUS VIII. - Syriæ Rex. XVIII.
Tryphæna Physconis filia secunda, uxor 1.
Cleopatra Selene Physconis filia 3. uxor 2.

ANTIOCHUS X. Syriæ Rex XXI. Cleopatra Selene Physc. filia 3. ux.
SELEUCUS VI. Syriæ R. XX.
ANTIOCHUS XI. Syriæ R. XXI.
PHILIPPUS. Syr. R. XXIII.
DEMETRIUS III. Syriæ R. XXIV.
ANTIOCHUS XII. Syriæ R. XXV.

ANTIOCHUS XIII. Syriæ Rex XXVII. & ultimus.
Seleucus Cybiosactes Berenici Ptol. Auletis filiæ nupsit.
TIGRANES Armeniæ & Syriæ Rex XXVI.



***

CANON

CANON CHRONOLOGICUS

REGUM SYRIÆ.

Olymp.	Anni ante Chr.	Anni Seleuc.	Reg. Syr.	
117.	312.	1.	1.	SELEUCUS I. cognomento Nicator, Regnum auspicatus est annis 12. post mortem Alexandri Magni, Ptolemæo Lagide in Ægypto jam tum regnante.
	311.	2.	2.	
	310.	3.	3.	
	309.	4.	4.	
118.	308.	5.	5.	
	307.	6.	6.	
	306.	7.	7.	
	305.	8.	8.	
119.	304.	9.	9.	
	303.	10.	10.	
	302.	11.	11.	
	301.	12.	12.	Antigonus, commisso ad Ipsum prælio, à Seleuco victus, occiditur.
120.	300.	13.	13.	
	299.	14.	14.	
	298.	15.	15.	
	297.	16.	16.	
121.	296.	17.	17.	
	295.	18.	18.	
	294.	19.	19.	
	293.	20.	20.	
122.	292.	21.	21.	
	291.	22.	22.	
	290.	23.	23.	
	289.	24.	24.	
123.	288.	25.	25.	
	287.	26.	26.	Demetrius victus, & fugiens ex acie, Seleuco se ipsum tradidit.
	286.	27.	27.	
	285.	28.	28.	
124.	284.	29.	29.	
	283.	30.	30.	Ptolemæus Philadelphus, mortuo patre Ptolemæo Lagide, regnat in Ægypto.
	282.	31.	1.	Antiochus I. seu Soter, post mortem Seleuci patris regnat in Syria.
	281.	32.	2.	
125.	280.	33.	3.	
	279.	34.	4.	
	278.	35.	5.	
	277.	36.	6.	
126.	276.	37.	7.	
	275.	38.	8.	
	274.	39.	9.	
	273.	40.	10.	

CANON CHRONOLOGICUS.

Olymp.	Anni A. Ch.	Sel.	R.S.	
127.	272.	41.	11.	
	271.	42.	12.	
	270.	43.	13.	
	269.	44.	14.	
128.	268.	45.	15.	
	267.	46.	16.	
	266.	47.	17.	
	265.	48.	18.	
129.	264.	49.	19.	
	263.	50.	20.	
	262.	51.	1.	Antiochus II. θεὸς, id est Deus, cognominatus, re-
	261.	52.	2.	gnat in Syria.
130.	260.	53.	3.	
	259.	54.	4.	
	258.	55.	5.	
	257.	56.	6.	
131.	256.	57.	7.	
	255.	58.	8.	
	254.	59.	9.	
	253.	60.	10.	
132.	252.	61.	11.	
	251.	62.	12.	
	250.	63.	13.	Parthi, duce Arsace, à Syriæ Regibus circa hæc tem-
	249.	64.	14.	pora defecerunt.
133.	248.	65.	15.	
	247.	66.	1.	Seleucus II. dictus Callinicus, regnat in Syria.
				Ptolemæus Evergetes, mortuo patre Philadelpho,
				regnat in Ægypto.
	246.	67.	2.	Ptolemæus totam penè Asiam Callinico eripit.
	245.	68.	3.	
134.	244.	69.	4.	Smyrnæi & Magnetes fœdus ineunt cum Seleuco.
	243.	70.	5.	Antiochus Hierax Seleucum fratrem prælio superat.
	242.	71.	6.	
	241.	72.	7.	Seleucus vicissim Antiochum fratrem acie vincit hoc
135.	240.	73.	8.	anno & sequenti.
	239.	74.	9.	
	238.	75.	10.	
	237.	76.	11.	
136.	236.	77.	12.	
	235.	78.	13.	Antiochus Hierax, post varios fortunæ casus, à latro-
	234.	79.	14.	nibus interficitur.
	233.	80.	15.	
137.	232.	81.	16.	
	231.	82.	17.	
	230.	83.	18.	
	229.	84.	19.	
138.	228.	85.	20.	

	Anni			REGUM SYRIÆ.
Olymp.	A. Ch.	Sel.	R. S.	
	227.	86.	1.	Seleucus III. Ceraunus appellatus, post mortem Se-
	226.	87.	2.	leuci partis, regnat in Syria.
	225.	88.	3.	
139.	224.	89.	1.	Antiochus III. cognomento Magnus, post fratrem
	223.	90.	2.	Seleucum regnat in Syria.
	222.	91.	3.	
	221.	92.	4.	Ptolemæus Philopator, mortuo parente Ptolemæo Evergete, regnat in Ægypto.
140.	220.	93.	5.	Achæus, sumpto diademate, in Asia cis Taurum re-
	219.	94.	6.	gnare tentat.
	218.	95.	7.	
	217.	96.	8.	
141.	216.	97.	9.	Ptolemæus, victo ad Raphiam Antiocho, Cæle-Sy-
	215.	98.	10.	riæ urbes recipit.
	214.	99.	11.	Achæus, Sardibus obsessus, & Bolidis proditione
	213.	100.	12.	Antiocho traditus, capite plectitur.
142.	212.	101.	13.	Antiochus adversus Arsacem Parthorum Regem ex-
	211.	102.	14.	peditionem suscipit.
	210.	103.	15.	
	209.	104.	16.	
143.	208.	105.	17.	
	207.	106.	18.	
	206.	107.	19.	
	205.	108.	20.	
144.	204.	109.	21.	Ptolemæus Epiphanes post mortem patris Philopato-
	203.	110.	22.	ris regnat in Ægypto.
	202.	111.	23.	
	201.	112.	24.	Onias III. Simonis filius, hoc circiter tempore sit
145.	200.	113.	25.	Pontifex Judæorum.
	199.	114.	26.	
	198.	115.	27.	Antiochus Cæle-Syriam & Phœnicen recuperat, &
	197.	116.	28.	Syriæ Regibus deinceps possidendas relinquit.
146.	196.	117.	29.	
	195.	118.	30.	Hannibal, Carthagine ob metum Romanorum se sub-
	194.	119.	31.	ducens, ad Antiochum fugit.
	193.	120.	32.	
147.	192.	121.	33.	
	191.	122.	34.	
	190.	123.	35.	Victus à Romanis ingenti prælio Antiochus, Asiam
	189.	124.	36.	cis Taurum cedere cogitur.
148.	188.	125.	37.	
	187.	126.	1.	Seleucus IV. dictus Philopator, post mortem patris
	186.	127.	2.	Antiochi, regnat in Syria.
	185.	128.	3.	
149.	184.	129.	4.	
	183.	130.	5.	Hoc vel sequenti anno Hannibal, ne Romanis trade-
	182.	131.	6.	retur, veneno se enecavit.

Anni				
Olymp.	A. Ch.	Sel.	R. S.	
	181.	132.	7.	Ptolemæus Philometor, mortuo patre Ephiphane,
150.	180.	133.	8.	regnat in Ægypto.
	179.	134.	9.	Perseus, Macedonum Rex ultimus, hoc anno regna-
	178.	135.	10.	re incipit post mortem Philippi.
	177.	136.	11.	Heliodorus, quòd ærarium Templi Jerosolymitani spoliare vellet, ab Angelo percussus.
151.	176.	137.	1.	Antiochus IV. Epiphanes cognominatus, mortuo fratre Seleuco regnat in Syria.
	175.	138.	2.	Jesus, qui & Jason, ab Antiocho Rege Pontificatum Judæorum pecuniâ obtinet.
	174.	139.	3.	Jason populares suos Judæos ad ritum Græcorum tra-
	173.	140.	4.	ducere cœpit.
152.	172.	141.	5.	Menelaüs, supplantato Jasone, summum sacerdotium ab Antiocho impetrat.
	171.	142.	6.	Antiochus, sub specie vindicandæ sibi tutelæ, Ægypti regnum occupat.
	170.	143.	7.	Ptolemæus Evergetes, unà cum fratre Philometore,
	169.	144.	8.	ab Alexandrinis Rex constituitur.
153.	168.	145.	9.	Templum polluitur ab Epiphane, posito super altari idolo Jovis Olympii.
	167.	146.	10.	Mathathias cum suis, ne prophanis sacrificiis contaminaretur, fugit ad montes.
	166.	147.	11.	Judas Machabæus, defuncto patre Mathathia, dux Judæorum constituitur.
	165.	148.	12.	Gentibus devictis, & everso Jovis Olympii idolo, Templum purgatur à Machabæo.
154.	164.	149.	1.	Antiochus Epiphhanes moritur, succedit filius Antiochus V. Eupator appellatus.
	163.	150.	2.	Menelao Pontifice jussu Regis occiso, Alcimus substituitur.
	162.	151.	1.	Demetrius I. Soter nuncupatus, Seuleuci IV. filius, occiso Eupatore, regnum occupat.
	161.	152.	2.	Judas Machabæus cum Bacchide pugnans occiditur, Jonathas fratrer ei subrogatur.
155.	160.	153.	3.	Alcimus Pontifex à Deo percussus moritur, nullo in
	159.	154.	4.	pontificatu ei substituto.
	158.	155.	5.	Jonathas, factà pace cum Bacchide, principatûs con-
	157.	156.	6.	firmationem obtinet.
156.	156.	157.	7.	
	155.	158.	8.	
	154.	159.	9.	
	153.	160.	10.	Alexander, occupatâ Ptolemaïde, Jonathæ pontifica-
157.	152.	161.	11.	tum concessit; qui sacrâ stolâ tunc primùm indutus est.
	151.	162.	1.	Demetrius victus occiditur ab Alexandro Bala, qui re-
	150.	163.	2.	gnum Syriæ invadit.
	149.	164.	3.	
158.	148.	165.	4.	Demetrius, filius Demetrii Soteris, contra Alexandrum in Ciliciam movet.

****

REGUM SYRIÆ

Anni Olymp.	A. Ch.	Seleuc.	R. S.	
	147.	166.	5.	Philometor Rex Ægypti Antiochiam Syriæ occupat, & Demetrio favet, Alexandro offensus.
	146.	167.	1.	Demetrius II. dictus Nicator ob victum hoc anno Alexandrum, regnat in Syria.
	145.	168.	2.	1. Ptolemæus Evergetes, qui & Physcon, mortuo fratre Philometore, solus regnat in Ægypto. Antiochus VI. Balæ filius, juvante Tryphone, Demetrium vincit, & Antiochiam occupat.
159.	144.	169.	3.	2. Demetrius semper regnabat in aliquibus Syriæ & Phœniciæ urbibus. Jonatha à Tryphone occiso, Simon frater ejus Dux & Pontifex constituitur.
	143.	170.	4.	1. Diodotus Tryphon, sublato pupillo suo Antiocho, Antiochiæ Rex salutatur.
	142.	171.	5.	2. Simon, expugnatâ arce Jerosolymitanâ, ab Judæis tollit jugum gentium.
	141.	172.	6.	3. Demetrius Nicator in Mediam contra Parthos profi-
160.	140.	173.	7.	4. ciscitur.
	139.	174.	5.	1. Demetrio à Parthis capto, Antiochus ejus frater Tryphoni bellum infert.
	138.	175.		2. Antiochus VII. Sidetes vulgò dictus, occiso Try-
	137.	176.		3. phone solus regnat in Syria.
161.	136.	177.		4.
	135.	178.		5. Simone initio hujus anni occiso, Joannes ejus filius
	134.	179.		6. ei succedit.
	133.	180.		7. Antiochus, fratrem Demetrium repetiturus, contra Parthos proficiscitur.
162.	132.	181.		8. Phraates Rex Parthorum Demetrium remittit in Syriam.
	131.	182.	1.	Antiocho apud Parthos occiso, Demetrius redux iterum regnat in Syria.
	130.	183.	2.	Joannes Hyrcanus Garizitanum templum Samaritanorum evertit.
	129.	184.	3.	1. Alexander II. ab Antiochenis Rex constituitur con-
163.	128.	185.	4.	2. tra Demetrium.
	127.	186.		3. Demetrius ab Alexandro Zabina victus paulò post occiditur, sicut & filius ejus natu major Seleucus V.
	126.	187.	4.	1. Cleopatra Demetrii uxor Antiochum VIII. minorem filium regni paterni consortem facit, & Alexandro
	125.	188.	5.	2. opponit.
164.	124.	189.	6.	3. Ptolemæus Physcon in gratiam Cleopatræ sororis Antiocho mittit auxilia.
	123.	190.		4. Antiochus VIII., Grypus vulgò cognominatus, mortuo Alexandro solus regnat.
	122.	191.		5. Cleopatra Regina, & Antiochi mater, hoc circi-
	121.	192.		6. ter anno mortua est.
165.	120.	193.		7.
	119.	194.		8.

Olymp.	Anni A. Ch.	Sel.	R. S.	
	118.	195.	9.	
	117.	196.	10.	Hoc aut ſequenti anno Antiochus junior, fratris ſui Antiochi Regis inſidias metuens, Cyzicum ſeceſſit; unde dictus eſt poſtea Cyzicenus.
166.	116.	197.	11.	Ptolemæus Lathurus unà cum matre Cleopatra re-
	115.	198.	12.	gnat in Ægypto poſt Phyſconem.
	114.	199.	13	1. Antiochus Cyzicenus, ſeu IX., Grypi frater uterinus, partem Syriæ occupat.
	113.	200.	14.	2. Alexander Lathuri frater à Cleopatra Rex Cypri conſtituitur.
167.	112.	201.	15.	3. Grypus, à fratre Cyziceno victus, Aſpendum in Lyciam fugit.
	111.	202	16.	4. Grypus Aſpendo reverſus Syriam obtinet, & Cyzicenus Cæle-Syriam cum Phœnice.
	110.	203.	17.	5. Samaria hoc anno ab Hyrcano Judæorum Ethnarcha everſa eſt.
	109.	204.	18.	6. Æra Seleucienſium.
168.	108.	205.	19.	7.
	107.	206.	20.	8.
	106.	207.	21.	9. Ariſtobulus ſuccedit Hyrcano patri, & primus Haſmonæorum diadema ſibi imponit.
	105.	208.	22.	10. Alexander Jannæus à Salome Ariſtobuli uxore ei ſubſtituitur.
169.	104.	209.	23.	11. Æra Aſcalonitarum.
	103.	210.	24.	12.
	102.	211.	25.	13.
	101.	212.	26.	14.
170.	100.	213.	27.	15. Alexander à Cleopatra matre Rex Ægypti declara-
	99.	214.	28.	16. tur, pulſo in Cyprum Lathuro.
	98.	215.	29.	17.
	97.	216.	30.	1. Seleucus VI., mortuo patre Antiocho Grypo, regnat in parte Syriæ.
171.	96.	217.		2. Seleucus, occiſo Antiocho Cyziceno, ſolus regnat.
	95.	218.	1.	Antiochus X., cognomento Pius, ſublato Seleuco, regnat in Syria.
	94.	219.	2.	1. Antiochus XI. Seleuci frater, ſumpto diademate, ab Antiocho Pio occiditur. Antiocho XI. ſtatim ſuccedit frater Philippus,
	93.	220.	3.	2. Grypi tertius filius.
172.	92.	221.	4.	3. 1. Demetrius III. Grypi quartus filius, favente Lathuro, Damaſci Rex conſtituitur.
	91.	222.	5.	4. 2. Alexander Cleopatram matrem occidit, quo fugiente, Lathurus Ægyptum recipit.
	90.	223.	6.	5. 3. Pius à Philippo & Demetrio fratribus ſuperatus, fugit ad Parthos.
	89.	224.	7.	6. 4. Demetrius Alexandrum Jannæum Judæorum regem ſuperat.


Anni Olymp.	A C.	Seleuc.	R. S.	
173.	88.	225.	8. 7. 5.	Antiochus Pius, à Parthis redux, regnum recipit à Philippo occupatum.
	87.	226.	9. 8. 1.	Demetrio à Parthis capto, Antiochus XII., Dionysus dictus, ejus frater, & Grypi quintus filius,
	86.	227.	10. 9. 2.	Damasci regnat.
	85.	228.	11. 10.	Antiochus Dionysus ab Arabibus victus occiditur, Antiocho Pio & Philippo de regno contendentibus.
174.	84.	229.	12. 1.	Syri regum suorum dissensionibus fatigati, Tigrani Armeno regnum conferunt, qui Magadatem cum exercitu Syriæ præfecit, & duos reges fugavit.
	83.	230.	13. 2.	Antiochus Pius à Magadate fugatus, in Cilicia vel Commagene latuit.
	82.	231.	14. 3.	Ptolemæo Lathuro mortuo filia Cleopatra succedit,
	81.	232.	15. 4.	cui statim jussu Syllæ Dictatoris Alexander prioris
175.	80.	233.	16. 5.	Alexandri filius sufficitur.
	79.	234.	17. 6.	Alexandro Jannæo defuncto, Alexandra ejus uxor re-
	78.	235.	18. 7.	gnat in Judæa, Hyrcano filio majore Pontifice
	77.	236.	19. 8.	constituto.
176.	76.	237.	20. 9.	
	75.	238.	10.	His circiter temporibus obiisse videtur Antiochus
	74.	239.	11.	Pius, relictis ex Selene duobus filiis Antiocho
	73.	240.	12.	atque Seleuco.
177.	72.	241.	13.	
	71.	242.	14.	
	70.	243.	15.	Tigranes in Syriam veniens, Selenem reginam, Antiochi Pii uxorem, interficit.
	69.	244.	16. 1.	Lucullus Tigrani bellum infert, qui Magadatem è Syria revocat; quâ nactâ occasione, Antiochus XIII., Asiaticus & Commagenus vulgò nuncupa-
178.	68.	245.	17. 2.	tus, Syriæ regnum recuperare conatur. Hyrcanus
	67.	246.	18. 3.	post matrem Alexandram regnat in Judæa.
	66.	247.	4.	Tigranes, pace à Pompeio Luculli successore obtentâ,
	65.	248.	5.	Cappadociam & Syriam cessit, servatâ Armeniâ.
179.	64.	249.	6.	Pompeius Orientis victor Antiochum Asiat., etsi deprecantem, Syriæ regno privat, Commagene ei relictâ.
	63.	250.		Regnum Seleucidarum finem accepit, Syriâ in Provinciam redactâ.



SELEUCUS I.

SELEUCUS I.





SELEUCI virtus clara, & origo admirabilis fuit: ſiquidem mater ejus Laodice, cùm nupta eſſet Antiocho, claro inter Philippi duces viro, viſa eſt ſibi per quietem ex concubitu Apollinis concepiſſe; gravidamque factam, munus concubitûs anulum à deo accepiſſe, in cujus gemmâ anchora ſculpta eſſet: juſſaque donum filio, quem repeririſſet, dare. Admirabilem fecit hunc viſum & anulus, qui poſterâ die, ejuſdem ſculpturæ, in lecto inventus eſt, & figura anchoræ, quæ in femore Seleuci nata cum ipſo parvulo fuit. Juſtin. l. 15. c. 4.

Laodice anulum Seleuco eunti cum Alexandro Magno ad Perſicam expeditionem, edocto de origine ſua, dedit, monuitque regnaturum eum ubicumque is anulus fortè fortunâ exciderit. Amiſſus eſt autem circa Euphratem, quin & illud fertur, cùm poſtea Babyloniam obiret, eum offendiſſe ad lapidem, quo effodi juſſo apparuiſſe anchoram; cùmque vates terreret hoc prodigium quaſi remorationem portenderet, Ptolemæum Lagi, qui eum comitabatur, dixiſſe ſecuritatis id ſignum eſſe, non morarum: quibus de cauſis etiam regnum adeptus, anchorâ utebatur in anulo ſignatorio. Originis ejus argumentum etiam in poſteris manſit, ſiquidem filii nepoteſque ejus anchoram in femore veluti notam generis naturalem habuere. App. Syr. Juſtin. l. 15. c. 4.

Non obſcura prodigia futuram Seleuci felicitatem ſignificarunt; cùm enim ex Macedoniâ cum Alexandro profecturus Pellæ Jovi ſacrificaret, ligna aris impoſita ultrò ad dei ſimulachrum acceſſerunt, nulliſque ſubjectis ignibus accenſa ſunt. In Macedoniâ quoque paternum focum ingenti flammâ incanduiſſe accedente nemine. Non deſunt qui affirment Alexandro inſpectante aliud omen futuræ potentiæ ob- Pauſan. in Attic. Appian. Syriac.

tulisse Seleuco hujusmodi: Alexandrum ex Indiâ reversum Babylonem lustrasse navigio paludes, ut despiceret de parandis emissoriis ad agrorum irrigua: abreptumque ei diadema vento delatum ad arundinetum sepulchro cujusdam Regis contiguum, fatali obitûs imminenti Regi præsagio; tum nautarum unum enatasse, & diadema siccum retulisse ad Alexandrum impositum suo capiti: repensumque ei talentum argenti pro hoc officio, vatibus monentibus ut tolleretur is homo. Quidam sublatum aiunt, negant alii, rursum alii contendunt nequaquam nautam, sed ipsum Seleucum natasse: & ne diadema fieret madidum, imposuisse suo capiti, fuisseque omen ratum ambobus.

Justin. l. 13. c. 1, 2, 3, 4. Cùm Alexander Babylone migrasset vitâ, in ipso ætatis ac victoriarum flore, Principes regnum & imperia spectarunt. Inter ipsos æqualitas discordiam movit, nemine tantùm cæteros excedente ut ei aliquis summitteret. Armati itaque in regiam coëunt ad formandum rerum præsentium statum; pedites contra equites indignati, sopito tandem tumultu in Aridæum, Alexandri fratrem, Regem consentiunt, & Perdiccam, cui Alexander moriens anulum tradiderat, regni Procuratorem constituunt. Perdiccas concilio Principum convocato, inter eos provincias sorte dividit. Idem l. 13. c. 5. App. Syr. Summus castrorum Tribunatus Seleuco cessit; aliis fit Præfectus alæ domesticorum Regis equitum, cui Hephæstion Rege vivo, & post eum Perdiccas præfuerat: hinc per gradus ad Satrapiam Babylonis, & postremò ad regnum promotus est.

Diodor. Sic. lib. 18. Post quatuor annos cùm Perdiccas bellum Ptolemæo intulisset, castris ab urbe Pelusio non procul positis, & à castelli, quod Camelorum Murus dicebatur, expugnatione discedere coactus, castris noctu motis, in locum quendam venerat, ubi Nilus insulam efficit, ad cujus transitionem cùm duo millia perierant, alienior à Perdicca multitudo facta est; mox ducum primores, inter quos erat Python, desciscunt; & equitum nonnulli conspiratione factâ Perdiccam in tentorio oppressum trucidant. Corn. Nep. in vita Eumenis. Alii aiunt Perdiccam apud flumen Nilum à Seleuco & Antigono interfectum; quo mortuo Macedones Antipatrum curatorem Aridæi eligunt, qui novam provinciarum sortitionem instituit, inter quas Babylonia Seleuco cessit.

Plutarch. in vita Eumenis. Antigonus Imperator exercitûs regii ab Antipatro designatus est, ut Eumenem capite damnatum debellaret. Eumenes prælio victus, in castellum Phrygiæ Noram confugit, ex quo post annuam obsidionem liberatus est. Antipater senio confectus mortuus erat, & Polysperchon ab eo paulò ante mortem Curator Regum designatus est. Antigonus verò, auditâ Antipatri morte, imperium Asiæ sibi vindicare statuit; ad quem Cassander se confert. Tunc Antigonus Eumenis amicitiam quærit, at Eumenes pro liberis Alexandri sollicitatus bellum adversus Antigonum declarat.

Diodor. lib. 19. Eumenes, dum in pagis Babyloniæ, qui Κάῤῥαι nominantur, hibernabat, missis ad Seleucum Babyloniæ commorantem, & Pithonem Mediæ Satrapam legatis, petiit ut auxilia Regibus fœderatis contra Antigonum subministrarent. Illi Regibus quidem opem se non denegaturos respondent, Eumenis verò imperata nunquam facturos. Meso-

sopo-

ſopotamiæ tamen Satrapa Amphimacus, quem ſexcenti equites comitabantur, Eumeni ſe adjunxit. Eumenes igitur ut copias è provinciis ſuperioribus evocaret, theſaurīſque regiis uteretur, Suſa contendere in animo habuit. Dum juxta Tigrim flumen caſtra metatur, & navigia ad tranſitum conquirit, Seleucus & Pithon adnavigantes Macedonibus perſuadere nituntur, ut Eumeni imperium abrogent. Cùm Argyraſpidum dux Antigenes nullo pacto ad hoc induci poterat, Seleuciani ruptâ quâdam foſſâ totum illum tractum in quo Eumenes caſtra poſuerat, ſtagnantem reddunt. Eumenes autem in tumulum quendam confugit, foſſâque iterum averſâ ſe cum exercitu ſervavit, & Tigrim tranſgreſſus in Suſianam pervenit.

Antigonus, motis è Meſopotamiâ caſtris, in Babyloniam venit, & ſocietatem iniit cum Seleuco & Pithone, acceptâque militum ab his manu, Tigrim trajecit, & ubi Suſa in regiam pervenit, Seleucum terræ Satrapam creavit. Poſt inita inter Antigonum & Eumenem prælia, in quibus ſemper victor Eumenes fuerat, ipſe invidiâ ducum cum quibus erat, perfidiâque militum veteranorum, hoſti Antigono eſt deditus. Antigonus præter ſpem Eumene ejuſque copiis potitus, citra controverſiam Aſiæ dominus extitit, Babyloniam Satrapiis de novo ordinatis repetit. Seleucus regalibus eum donis honorat, exercitumque univerſum convivio excipit. Ibi dum rationes proventuum à Seleuco exigit Antigonus, ille ſe non obſtrictum eſſe ad reddendas de hac regione rationes, quam Macedones ob navatam vivente Alexandro operam ſibi dederunt, reſpondet. Diſſidio in dies gliſcente, Seleucus Pithonis mortem reputans, monituſque à Demetrio Antigoni filio, ejus virtutem demirante; (ille enim literis declaraverat patris ſui in illum fraudem) cum quinquaginta equitum comitatu in Ægytum ſe transfert. Ibi omnibus humanitatis officiis à Ptolemæo exceptus, peracerbam contra Antigonum criminationem inſtituit, quâ illum accendit ad bellum inſtruendum. Diodor. lib. 19. Libanius orat. 11. Diodor. l. 9.

Seleucus amicos etiam in Europam miſit, qui Caſſandrum & Lyſimachum inimicos Antigono reddant. Contra ipſe Antigonus miſſis ad Ptolemæum, Lyſimachum, & Caſſandrum legatis, rogat ut priſtinam amicitiam ſecum tueri ac conſervare velint. Ptolemæus, Lyſimachus, & Caſſander legatos etiam ſuos ad Antigonum miſerunt, qui introducti ad conſeſſum poſtularunt, ut Cappadocia Lyciaque Caſſandro Cariæ Satrapæ, Phrygia juxta Helleſpontum Lyſimacho, Syria verò tota Ptolemæo, & Babylonia Seleuco traderetur, & ut partiretur Antigonus theſauros, quos à pugnâ cum Eumene ſibi vindicaſſet: quòd ſi nihil horum faceret, ſe conjunctis viribus bellum ipſi facturos. Cùm verò aſperiùs ille reſponderet, factum eſt ut legati re infectâ regrederentur. Diodor. ibid.

Antigonus cùm videret quanta belli ſurgentis moles eſſet futura, nationes ac civitates principes ad ſocietatem invitat, ipſe in Phœniciam movet. Tum maris dominium penes hoſtes erat. Dum navalia deſignat, caſtris juxta mare poſitis, venit ex Ægypto Seleucus cum navibus centum regaliter inſtructis, & ad navigandum ſatis expeditis, & contemptim prætervehit ejus caſtra, Cyprumque appulit, Cerym- Id. ibid.

A 2 nam

nam & Lapythum expugnat, & pellecto in suas partes Stasiæco Maliensium Rege, Amathusiorum Principem obsides dare cogit. Citiorum verò urbem, cùm adjungere illam non posset, omnibus admotis copiis obsidet. Interea Polyclitus Seleuci legatus è Cypro transmittens, Cenchreas appulit: hic defectione Alexandri Polysperchontis filii cognitâ, cùm nihil copiarum hostilium videret, Pamphiliam versus navigationem intendit; inde Aphrodisiadem Ciliciæ devectus, audivit Theodorum Antigoni navarchum ex Patharis Lyciæ cum classe Rhodia prætervehi, & Perilaum cum agmine terrestri classem in littore comitari. Hos terrâ marique adortus ex insidiis Polyclitus, utrumque ducem eum navibus universis cepit, & tanto usus successu, citra periculum in Cyprum, atque inde in Pelusium renavigavit.

Id. ibid. Seleucus tandem instigavit Ptolemæum in Syriam movere contra Demetrium Antigoni filium, qui ibi subsistebat: prælio ad Gazam commisso, Demetrius in fugam vertitur. Ptolemæus tum locorum quæ sunt circa Syriam effectus est dominus: quamobrem tum roganti Seleuco ut milites cum eo in Babyloniam adscensuros concederet, propensè cupidèque assensit, omniaque se præstiturum quo ad pristinam ille Satrapiam recuperasset.

Acceptis à Ptolemæo octingentis peditibus, & equitibus ducentis, Seleucus Babylonem versùs ducit, bonâ spe animatus, ut etiam si nullis copiis instructus fuisset, cum amicis tamen & pueris in superiores ascendere terras constituisset, certò persuasum habens Babylonios pro veteri erga se benevolentiâ propensè partibus suis accessuros. Hac igitur alacritate dum pergit, amici qui cum illo erant videntes perpaucos militiæ socios adesse, hostibus verò contra quos tendebant, magnos in promptu exercitus, largosque commeatus, & numerosam auxiliorum multitudinem suppetere, animis non mediocriter dejectis erant. Quos consternatos animadvertens Seleucus, hac commonefactione exhortatur. Alexandri commilitones propter virtutem tantopere ab illo provectos, decere, non exercitûs robore prorsùm atque opibus confisos, negotia capessere; sed peritiâ & ratione prudenti, quibus etiam ille res magnas omnibusque admirandas effecisset. Deorum præterea oraculis fidem adhibendam, quòd dignum inceptis exitum habitura sit hæc expeditio. Nam cùm in Branchidis olim oraculum consuleret, Seleucum Regem à deo appellatum, & Alexandrum in somnis adstantem, imperii futuri, quod progressu temporis adepturus esset, indicium edidisse. Erga commilitones etiam civiliter se gerebat, æqualem se omnibus exhibens, ita ut unusquisque illum revereretur, & profusam hanc audaciam lubens toleraret.

Diodor. ibid. Appian. Syriac. Promotis ergo castris, postquam in Mesopotamiam pervenit, Macedonum, qui Carrhis consederant, alios suadendo pellexit, alios vi compulit ad ejusdem militiæ societatem. Simul ac verò Babyloniam ingressus fuit, complures incolarum ei occurrunt, & adsociati, quidquid ei visum foret, communi se operâ facturos pollicentur. Per quadriennium enim regionis præses probè erga omnes se gesserat, ut hac ratione benevolentiam multitudinis provocaret, & longè antè sibi præpararet adjutores, si occasio disceptandi de imperio sibi aliquando daretur. Ad-

Adjunxit se Polyarchus Seleuco, administrationis quoddam munus gerens, cum ampliùs mille armatis. Cæterum qui amicitiam cum Antigono tuebantur, ubi multitudinis impetum cohiberi non posse vident, in arcem cui Diphylus custos impositus erat, confugiunt. Hujus oppugnationem instituit Seleucus, eàque per vim captâ, pueros & amicos illic asservatos, (quos, post discessum illius ex Babylone in Ægyptum, in custodiam tradiderat Antigonus) inde eripuit. His autem confectis, milites conscribit, & equos à se coemptos, iis qui uti possent tradidit. Dumque in congressibus humanum se omnibus præbet, & spem bonam excitat, paratos & alacres ad quemvis eventum periculorum socios sibi conciliat. Hoc itaque modo Seleucus Babyloniam recuperavit.

Cùm verò paulò pòst Nicanor Mediæ Dux, milites adversus ipsum, peditum videlicet supra decem, & equitum septem millia, è Mediâ Persiâque & finitimis locis contraxisset, in occursum subitò contendit. Seleucus autem tunc habebat in universum aliquanto plus tribus millibus peditum, & equites quadringentos. Transgressus autem Tigrim fluvium, cùm paucorum viâ dierum hostes abesse audiret; milites in paludibus propinquis occultavit, nec opinantes opprimere constitutum habens. Nicanor, cùm promotis ad Tigrim signis hostem non inveniret; prope regia quædam stativa castris locum deligit, longiùs illos fugisse opinatus. Nocte insequente, dum contemptu hostis Nicanor excubias negligentiùs ageret, Seleucus derepente illum adortus, tumultum ac pavorem magnum excitavit. Persis enim pugnam conferentibus, accidit, ut tum Evager Satrapa illorum, tum alii duces occumberent: post quem eventum major pars militum, quòd & periculum extimescerent, & administratione Antigoni offenderentur, ad Seleucum transitionem faciunt. Nicanor autem cum paucis relictus, cùm ne hostibus traderetur formidaret, cum amicis per deserta fugit. Eum alii manu Seleuci interfectum tradunt. *App. Syr.* Ita valido potitus exercitu Seleucus, dum & humanum se se omnibus præstat, facilè Susianam & Mediam, & nonnulla de conterminis locis ditioni suæ adjecit, ac de rebus à se gestis ad Ptolemæum cæterosque amicos perscripsit; jam regiam majestatem, & gloriam principatu dignam consecutus.

Seleucus Νικάνωρ cognominatus est, sed potiùs Νικάτωρ, id est Victoriosus; *Suidas.* hoc enim credibilius est, quàm Nicatore cæso cognomen retulisse eum, quasi opimum spolium. *App. Syr.*

Seleucidarum An. 1. ante Chr. 312. Urb. cond. 442.

Æram Seleuci Nicatoris ab anno primo Olympiadis CXVII. inchoat Eusebius. Hac Seleucidarum æra, quæ ab hujus anni Nisan initium ducit, utuntur Josephus & auctor primi Machabæorum libri: annos Græcorum vocant. Secundus verò Machabæorum liber Seleucidarum æram à mense Tisri inchoat. Judæi à Nisan incipientes, annos Seleucidarum sex solidis mensibus ante Antiochenses, qui à Tisri incipiunt, videntur uno anno anticipare, illos Antiochenses sequitur Eusebius, ut videtur Scaligero, *In Chron. Euseb.* Judæis cum Antiochenis convenit in ratione annorum Seleucidarum à Tisri ad Nisan: à Nisan

Seleuc. AN. 1. autem à Tisri Judæi anteveniunt epocham Antiochenam solido semestri intervallo. In autumno secundùm Antiochenos incipit annus, & vere apud Judæos. Ptolemæus verò Mathematicus æram à sequente Thot inchoat, hancque Chaldæorum vocat. A Cyri imperio ad Seleuci primum annos 248. numerat B. Hieronymus: igitur æra Seleuci secundùm Chaldæos à sequenti, ut notat Capellus, initium ducit.

Comm. in Dan. c. 9. Lib.Hist. pag. 444.

AN. 2. Diodor. lib. 19. Plutarch. in Demetrio.

Antigonus certior factus per tabellarium literas habentem à Nicanore Mediæ duce, aliisque Satrapis, de reditu Seleuci & successibus ejus prosperis, de superioribus provinciis anxiè sollicitus, Demetrium filium mittit cum peditum ex Macedoniâ quinque millibus, & mercenariis decem millibus, equitumque millibus sex, ut Babyloniam usque ascenderet, & recuperatâ Satrapiâ, celeriter ad mare descenderet. Demetrius itaque Damasco Syriæ egressus, patris mandatum studiosè exequitur. At Patrocles, à Seleuco Babyloniæ præses datus, postquam Mesopotamiæ hostes imminere cognovit, adventum illorum expectare non ausus, quòd paucos circum se haberet, Babyloniis suadet ut urbe excedant. Ipse cum adjunctâ manu, fluminum & fossarum objectu loco propugnaculorum se tutans, in Satrapiâ versatus est: tum insidias hosti moliens, tum ad Seleucum in Mediam, de iis quæ subinde fierent millitans, eumque ad ferendum celerrime suppetias exhortans.

Demetrius ubi Babylonem pervenit, urbemque reperit desertam, arcium oppugnationem aggressus est, quarum alteram captam, militibus diripiendam concedit, ejectoque inde Seleuci præsidio, suum ibi septem millium militum imposuit: alterâ per aliquot dies obsessâ, cùm tempore indigeret, Archelaum ad obsidionem reliquit, 5000. peditibus & 1000. equitibus illi traditis. Ipse cùm jam tempus excurreret, quo ut hanc expeditionem conficeret injunctum erat, quæcunque ex illâ provinciâ rapere possent, in prædam suam vertere militibus jussis, ad mare descendit: firmius Seleuco relinquens imperium; quippe qui cedere videretur, dum vastat quasi jam non suum.

Plutar. in Demetr. Ad mare regressus Demetrius, Halicarnassum quam obsidebat Ptolemæus, celeriter succurrit. Pacem interim cum Antigono ineunt Ptolemæus, Lysimachus, & Cassander, scriptâ hac pactorum formulâ, ut Cassander summus Europæ Dux esset, donec Alexander Roxanes filius ad maturam ætatem pervenerit: Lysimachus Thraciam in potestate haberet: Ptolemæus Ægypto & conterminis in Africâ & Arabiâ urbibus imperaret: Antigonus toti Asiæ præesset; & Græci suis legibus viverent. Non tamen diu his pactis steterunt, sed unusquisque probabiles captans prætextus, subinde plura acquirere nitebatur.

AN. 3. Diodor. lib. 20. Ptolemæus Antigonum criminatus, quòd Græcas urbes nonnullas præsidiis munivisset, bellum cum ipso renovat: mittit cum copiis Leonidam, & Asperæ Ciliciæ urbes Antigono eripit. Antigonus misso in Ciliciam Demetrio, Ptolemæi duces superat, & urbes recuperat.

Lagi-

Lagides, ubi duces suos urbes in Ciliciâ amisisse, eosque superatos cognovit, cum classe profectus Phaselidem Pamphyliæ urbem expugnavit. Hinc in Lyciam delatus, Xanthum Antigoni præsidio infessam vi cepit. Inde Caunum appulsus, urbem sibi deditam accepit, arcesque præsidio occupatas violentâ manu subegit. Heracleum exscidit: Persicum verò deditione militum in manum ejus venit; tum in Con insulam profectus est. SELEUC. AN. 4.

Magnâ classe è Myndo Ptolemæus navigans per insulas, in transitu Andrum reducto præsidio liberavit, Sicyonem & Corinthum recipit. Cæteras insuper Græciæ urbes in libertatem vindicare sibi proposuerat; sed Græcis promissis non stantibus indignatus Lagides, pace cum Cassandro initâ, in Ægyptum rediit. AN. 5.

Demetrius, validis copiis navalibus simul & terrestribus instructus, à patre missus est, ut omnes per Græciam urbes, quæ Ptolemæi præsidio occuparentur, in libertatem vindicaret, à patre revocatus, postquam Ptolemæus exiit, in Cyprum trajecit, ut cum ipsius ducibus bellum gereret. Menelai Ptolemæi fratris aliquot copias fudit, ipsum Salamine obsidet. Clade suorum auditâ Ptolemæus in Cyprum delatus, Citium appellit. Demetrius, adornatâ ad prælium classe suâ, urbem circumnavigat, commissoque prælio magnam de Ptolemæo victoriam refert: ipse, rebus Cypri desperatis, cum octo navibus ex centum & quadraginta in Ægyptum profugit. Demetrius rerum feliciter gestarum nuntium ad parentem misit Aristodemum Milesium. Antigonus, successûs magnitudine elatus, diadema sibi imposuit, & Regis deinceps nomen usurpavit, eundem titulum & honorem etiam filio Demetrio concedens. Ægyptii quoque, his nuntiatis, ne ob cladem abjecisse animos viderentur, Regem Ptolemæum dixêre: ille igitur diademate etiam caput evinxit, & in omnibus exinde literis Regem se se appellavit. Horum exemplo, reliqui principes, Seleucus, Lysimachus, & Cassander, Reges se proclamarunt, fratre, matre, & filiis Alexandri Magni jam extinctis. AN. 6. Plutar. in Demetr.

Seleucus, non Babyloniæ solùm, sed etiam Mediæ Rex factus, Bactrianis expugnatis, Persas, Parthos, Arabes, Tapyros, Sogdios, Arachotas, Hyrcanos, reliquasque gentes usque ad Indum fluvium ab Alexandro priùs devictas, imperio suo adjecit. AN. 7. App. Syr.

Antigonus cum Demetrio filio expeditionem in Ægyptum suscipit, sed ubi reperit ad omnes Nili fluminis exitus firmissima præsidia, ostio tamen Pelusiaco præoccupato, elapsis jam multis diebus cùm & pabulum & frumentum deficeret, Antigonus re infectâ Syriam repetivit. Ptolemæus discessu hostium lætus, datis ad Seleucum, Lysimachum, & Cassandrum literis de prospero successu, Alexandriam remeavit. Diodor. lib. 20.

Seleucus transmisso Indo fluvio, cum Sandrocotto seu Androcotto bellum gerit: ille enim eâ tempestate quâ Seleucus futuræ magnitudinis fundamenta jaciebat, occisis Alexandri Magni Præfectis, Indiam occupaverat, populum quem ab externâ dominatione vindicaverat, ipse servitio premebat: sexcentis enim militum millibus Indiam peragrans universam, redegit in potestatem. AN. 9. Justin. l. 15. c. 4. Plutarch. in Alex.

SELEUC. AN. 11. Diodor. lib. 20. Cassander Macedoniæ Rex, missis in Asiam legatis ad Antigonum, ut secum pacificaret, oravit: ille se nullam agnoscere pacem, nisi Cassander res suas ipsius arbitrio permitteret, respondit. Cassander & Lysimachus, communicato inter se consilio, ad Ptolemæum Ægypti Regem, & ad Seleucum, qui superiores provincias in potestate habebat, bellique hujus periculum omnibus commune esse docent; expedire igitur, ut bellum commune contra Antigonum suscipiant. Ptolemæus & Seleucus lubenter huic consilio auscultant, & numerosas copias pollicentur, omnesque Reges per epistolas se invicem confirmantes, tempus locumque coëundi conducunt.

Strabo l. 15. Plutarch. in Alex. Seleucus, cum Sandrocotto Indiæ Rege contractâ affinitate, regiones ad Indum sitas, quas Arianis ademptas Alexander Magnus proprias colonias fecerat, dono illi dedit, vicissimque ab eo quingentos elephantos accepit: atque ita pactione factâ, compositisque in Oriente rebus, in bellum adversus Antigonum descendit.

Diodor. lib. 20. Lysimachus in Asiam ex Europâ primus transiit, quo cognito Antigonus à Syriâ discessit, superatoque Tauro in Cappadociam tendit. Lysimachus cum Antigono solus decertare non censuit, sed potiùs Seleuci è provinciis superioribus adventum expectare decrevit: ideò in Salmoniæ campo versùs Heracleam Ponti milites in hiberna distribuit; idem fecit & Antigonus.

Cassander, pace cum Demetrio factâ, exercitum sub Plistarcho duce duodecim millia peditum & quingentorum equitum Lysimacho auxiliatum misit: Demetrius cum exercitu è Græciâ à patre Antigono accersitus, directo per insulas cursu, Ephesum transmisit. Ptolemæus ex Ægypto profectus cum instructissimo exercitu dum Sydonem obsidet, falso rumore accepto, commisso scilicet inter Reges prælio, Lysimachum & Seleucum victos, Heracleam se recepisse, in Ægyptum remeavit.

Per id tempus Seleucus cum numeroso excercitu ex superioribus præfecturis ducto in Cappadociam venit, militesque præparatis tabernaculis in hiberna collocavit. Habebat autem sub signis in peditatu viginti millia, in equitatu sagittariis equestribus adnumeratis circiter duodecim millia, elephantos quadringentos & octoginta, currus falcatos supra centum. Regum itaque copiæ hunc ad modum coïbant; quòd omnes ad futuram æstatem armis disceptare constitutum haberent.

AN. 12. Arrian. lib. 7. Diodor. lib. 20. Appian. Syriac. Postquam Reges contra Antigonum coïssent in Asiâ, & cùm ad manus esset ventum, ad Ipsum Phrygiæ oppidum pugna commissa est, Olympiad. CXIX. anno quarto, ineunte scilicet. Habebant Antigonus & Demetrius peditum supra septuaginta millia, decem millia equitum, elephantos quinque & septuaginta. Hostibus peditum erant quatuor & sexaginta millia, equites decem mille & quingenti, elephanti quadringenti, currus centum & viginti. Demetrius cum præstantissimâ parte equitum, Antiochum Seleuci filium adortus est: cùmque illum præclarâ pugnâ fudisset, intempestivè eum nimisque impensè insequendo labefecit victoriam; neque enim regressus

fus conjungere se peditatui valuit, elephantis interjectis. Seleucus, cernens hostilem aciem nudatam equitatu, impressionem se facturum in eam simulando perterruit, & ad se transeundi potestatem fecit. Magna pars ultrò ad eum concessit transitione voluntariâ; reliqua in fugam versa est. Antigonus filium suppetias venturum expectans, ad extremum grandine telorum in eum conjectâ occubuit. Demetrius reversus, cùm aciem cernit fusam, & ipse continenti fugâ Ephesum perrexit. Reges victores Antigoni & Demetrii imperium in partes diviserunt, easque inter se partiti, prioribus suis provinciis adjecerunt. SELEUC. AN. 12. Plutarch. in Demet.

Seleucus die vigesimâ tertiâ Xanthici, sive Aprilis mensis, in Casio monte Jovi Cassio sacrificans, de loco urbis condendæ illum consuluit, ubi aquila, raptâ parte carnis sacrificii, ad mare in Pieriæ emporio dejecisse eam dicitur. Ibi igitur statim fundamenta urbis posuit, quam à nomine suo Seleuciam appellavit. In quâ tamen condendâ, alii augurium fulminis eum secutum fuisse; ideoque fulmen, tanquam numen consecratum, hymnis propriis, ibi deinceps cultum fuisse referunt. Jo. Malela Chr. ined. Appian. Syriac.

Inde progressus Seleucus, Jopolim in Silphio Syriæ monte positam petiit; & post triduum Jovi Fulminatori in fano, die primo Artemisii, sive Maii mensis, ibi sacrificavit. Deinde Antigoniam veniens, in aris ab Antigono exstructis sacrificio Jovi oblato, unà cum Amphione sacerdote oravit, ut signo aliquo demonstraretur, utrùm Antigoniam incolere ipsum oporteret, alio occupandam nomine, an urbem novam alio in loco condere: & tum quoque aquila ablatam ab altari partem holocausti, juxta Silphium montem deposuisse dicitur: unde è regione montis illius & Jopoleos prope Orontem fluvium, ubi vicus erat nomine Botzia, in quo altare Jovi Botziæo Alexander construxerat, mænium jecit fundamenta die vigesimâ secundâ mensis Arthemisii, urbeque Antiochi filii nomine appellatâ, Jovis Botziæi templum statim condidit: quam anno regni sui duodecimo exstructam confirmat Eusebius. Jo. Malela.

Seleucus, solo adæquatâ Antigoniâ, materiam inde per Orontem fluvium traduxit, atque Athenienses & Macedonas numero quinque mille & trecentos ab Antigono ibi collocatos, Antiochiam transtulit. Diodorus, Antigoniam quidem Seleucum destruxisse, sed incolas in conditam à se Seleuciam deduxisse auctor est. Verùm habitatorum Antiochiam à Nicatore ex Antigoniâ traductorum meminit etiam Strabo. Antiochiam verò urbem, ex Antiochi filii nomine, Seleucum appellasse, præter Malelam & Cedrenum, tradit etiam Julianus Imp. quam ex Antiochi patris sui nomine ita eam nuncupasse Strabo, Appianus, & Justinus, narrant. Idem.

Socii Reges, cùm de prædâ imperii Antigoni non convenirent, in semetipsos arma verterunt, & iterum in duas factiones deducuntur; Seleucus Demetrio, Ptolemæus Lysimacho adhæsit. Seleucus, qui ex Apame Artabazi Darii ducis filiâ Antiochum susceperat, missis ad Demetrium legatis, Stratonicem ex Philâ filiam petiit sibi dari conjugem: affinitatem enim Demetrii sibi expetendam censuit; quandoquidem videbat Lysimachum ex Ptolemæi & Eurydices filiabus, unam AN. 13. Plutar. in Demetr.

SELEUC. AN. 13. filio Agathocli, alteram sibi in matrimonium assumere, subveritus ne uterque ipsum invaderet.

Plutar. in Demetr. Demetrius, cui hæc Seleuci affinitas insperatò oblata est, assumptâ Stratonice filiâ, cum totâ classe, quam Athenis receperat, navigavit in Syriam. In itinere verò Ciliciam attigit: huic se adjunxit uxor Phila, è Cypro navigans. Demetrio & uxori Philæ occurrit ad Rhossum Seleucus: prior in tabernaculum suum invitavit in castris Demetrium; inde Demetrius illum in tredecim ordinum navi accepit. Per otium collocuti amicè, totosque dies conversati sunt, absque armis & stipatoribus, donec Seleucus, ductâ secum Stratonice, magnâ cum pompâ Antiochiam rediit.

AN. 14. Seleucus à Demetrio socero postulavit, ut pro certâ pecuniâ traderet sibi Ciliciam, quam nuper occupaverat, Plistarcho Cassandri fratri à Regibus, post conflictum cum Antigono commissum, donatam: renuente Demetrio, Sidonem cum stomacho poposcit Seleucus, animose respondens Demetrius, ne si millies quidem victus fuisset, affinitatem Seleuci mercede unquam se amplexurum: atque urbes illas præsidio firmavit.

AN. 15. Aratus. Regina Stratonice filiam nomine Philam enixa est, quæ tandem nupta est Antigono Demetrii filio, qui cognominatus est Gonatas.

AN. 16. Lucian. de Dea Syr. Juno Stratonici in somno jussit templum sibi exstruere in sacra urbe Heliopoli, & si minùs pareret, multa ipsi comminata est; quæ cùm somni rationem non haberet, gravis eam morbus corripuit, Seleucoque visionem exposuit, Junonemque placare cupiens, ipse ædem se conditurum promisit: statim ubi convaluit, Rex ipsam cum ingenti pecuniâ Heliopolim, templum ædificandi causâ, & securitatis, cum exercitu misit, comite formoso adolescente Combabo, qui se inutilem ac mancum amputatis virilibus reddidit, ut Stratonicis amorem veritus effugeret. Templum jam summâ curâ condebatur, quando Combabus ad Regem accusatione revocatus est, sed cognitâ ejus innocentiâ, ad ædem perficiendam, concessâque illi æneâ, honoris & præ- Plinius. mii causâ, in templo statuâ, rursum mittitur. Statua autem, Hermoclis Rhodii opus, formâ quidem mulieri similis, vestitum autem virilem gerens.

Lucian. de Imag. Stratonice, etiamsi turpi deformata calvitio ex illo morbo fuisset, ambibat tamen à poëtis hyacinthinos capillos, mollesque illorum globos & nexus decantari, iisque oblato talento, certamen proponebat, quicunque majori arte atque ingenio ejus comam laudibus illustrasset.

AN. 17. 18. 19. Plutarch. in Demetrio. Demetrius Seleuci socer, recuperatâ, ut diximus, Ciliciâ, quasdam Asiæ urbes occupavit, Cyprumque obtinebat, in Europam iterum descendere decrevit, de integro in Atticam incurrit, captâque Eleusine, Athenienses, qui illum è pugnâ cum Regibus fugientem excipere recusaverant, obsidet. Lachare Athenarum tyranno tandem fugato, & cogente necessitate, Athenienses Demetrio missis legatis portum patefecerunt, qui urbem præsidio munivit. Athenis Demetrius redactis in potestatem, Spartanos aggreditur; sed nuntio de suis in Asiâ urbibus à Lysimacho occupatis, & Cypro à Ptolemæo captâ, perculsus Demetrius Lacedæmone avellitur.

Antio-

Antiochus Seleuci filius, infrunito amore correptus, novercam fuam, & jam ex patre Seleuco enixam, deperit: agnofcens tamen cupiditatem nefariam, nec tentavit quicquam, nec prodidit; fed languens decumbebat, ultrò cupiens mori: nec celeberrimus Medicus Erafiftratus potuit morbum conjicere, donec animadvertens corpus purum ab omnibus depravatis humoribus, cogitavit animi effe vitium, cujus contagio laboret corpus etiam: triftitias autem & iras, curafque cæteras non folere celari, amorem à modeftis occultari. Sed cùm ne tum quidem quicquam fateretur Antiochus, licèt blandè rogatus, affidebat Medicus, obfervans mutationes corporis, quo modo afficeretur fingulis intrantibus cubiculum. Ut verò deprehendit ad aliorum acceffum æqualiter corpus deficere ac tabefcere: quoties autem Stratonice adiret vifendi gratiâ, mentem quidem tum maximè turbari pudore ac confcientiâ, filente juvene, corpus autem fuapte fponte vividius vigentiufque fieri, ac rurfum eâ difcedente deficere, dixit Seleuco filium ejus effe infanabilem: cùmque Rex præ dolore exclamaffet, fubjecit ille: Amor eft quo difperit, & amor mulieris, fed quâ potiri non poterit. Altero verò demirante fi non poffet cuiquam perfuadere Seleucus, propofito conjugio filii, additis etiam precibus & auro, aliifque muneribus, infuperque toto regno ampliffimo, quod maneret huncce decubantem Regem, ac vel nunc dandum effet in falutis pretium, modò pofcat aliquis; cupienteque tantùm difcere quænam fit illa fœmina, Erafiftratus refpondit: meam uxorem amat. Tum Seleucus: Ergo-ne, bone vir, cùm fis amicus tot mutuis devinctus gratiis, & ad hæc cum primis honeftus ac fapiens, non fervabis mihi juvenem regium, amici Regis filium, amantem infeliciter, & ad mortem ufque celantem morbum præ modeftiâ? Defpicies-ne hoc modo, non Antiochum folùm, fed Seleucum etiam? Ille tergiverfando retulit argumentum ceu invincibile: Ne tu quidem, quamvis fis pater, fi tuam amaret uxorem, ei cederes? Ibi verò per omnes regios Deos dejuravit Seleucus, omnino volentem libentemque fe ei daturum fuiffe, ut egregium exemplum ederet paternæ benevolentiæ in modeftum & continentem in morbo filium, tali calamitate indigniffimum. Multa deinde in hanc fententiam locutus, cepit moleftè ferre quòd non poffet infelici medicus fieri, ut nihil opus haberet Erafiftrato. Quod ut ille vidit Regem præ fe ferentem feriò, rem aperuit, narravitque quomodo celantem prehenderit. A Seleuco deinde pro Antiochi curatione centum talentis donatus eft Erafiftratus.

SELEUC. AN. 10.

Plin. lib. 19. c. 1.

Seleuco verò jam læto negotium fupererat, perfuadere id filio, & aliud, perfuadere idem uxori. Poftquam autem perfuafit, advocato in concionem exercitu, qui fortaffe jam aliquid præfenferat, enumeravit fuas res geftas, & imperium majus quàm ullus ex Alexandri fucceffloribus habeat, adeò ut fibi fenefcenti difficile fit ad regendum præ magnitudine. Nolo igitur, inquit, eam molem dividere, fimulque confulere veftræ fecuritati de futuro, & partem ejus nunc dare meis cariffimis: vos autem æquum eft adjuvetis me in omnibus, qui meis poft Alexandrum aufpiciis creviftis in tantam potentiam. Sunt autem mei cariffimi, & hoc imperio digni, ex liberis hic jam adul-

Appian. Syriac.

 tus,

SELEUC. AN. 20. tus, & hæc uxor; qui ætate florenti ambo prolem brevi daturi videntur ſtabilituram opes ampliſſimas: hos enim jungo connubio in veſtrâ præſentiâ, & mitto ut regnent in mediterraneis gentibus; nec vos Perſarum aliarumve gentium mores magis ſpectare jubeo, quàm unam legem communem omnibus: ſemper æquum eſſe quod à Rege vobis præſcribitur. Hæc ubi dicta ſunt, exercitus acclamavit Regi poſt Alexandrum maximo, & Patri optimo. Seleucus uxorem & filium eodem modo præmonitos junxit matrimonio, & in regnum dimiſit. Celebratior ob hoc factum, quàm propter acquiſitas tot victorias, quando ſeipſum vicit.

Tam latè regnum Seleuci patebat, cujus majore parte filio traditâ, tantùm quæ inter Euphratem & Mare ſita ſunt, ſibi retinuit: ornavit & imperium ſuum, exſtructis per totam ejus longitudinem urbibus, quarum ſedecim à patre denominavit Antiochias, inter quas illius Juſtin. l. 15. c. 4. Liban. in Antioch. quæ ad Orontem condidit, campos urbi vicinos Apollini dicavit. Prope eam cùm inter venandum ad Daphnes transformatæ arborem appuliſſet equus, pedis ungulâ terram percuſſit, unde cuſpis aurea cum inſcripto Phœbi nomine exilivit, ubi Seleucus templum exſtruxit celeberrimum in Apollinis honorem: & hæc Antiochia ad Daphnem cognominata eſt. Sex urbes à matre Laodiceas, novem à ſe Seleucias, quatuor ab uxoribus, tres Apameas, & unam Stratoniceam. Cùm verò Seleuciam, quæ ad Tigrim eſt, conderet, aiunt magos juſſos diem fundamentorum eligere, mentitos eſſe horam, quòd nollent tantam urbem contra ſe moliri, milites tamen viſi ſunt ſibi audiſſe Pauſ. Att. vocem jubentis. In eam Babylonios inquilinos deduxit, nec muros Babylonis demolitus eſt, neque Beli templum evertit, ſed Chaldæis, ut proxima templo loca inhabitarent, permiſit.

App. Syr. Aliis urbibus Græca Macedonicaque nomina indidit, aut ex aliquo ſuo facinore, aut in Alexandri Magni honorem: quo factum eſt, ut in Syriâ, cæteràque mediterraneâ terrâ, celebrentur multa vel Græca, vel Macedonica oppidorum nomina, qualia ſunt Berrhæa, Edeſſa, Perinthus, Maronea, Callipolis, Achaia, Pella, Oropus, Amphipolis, Arethuſa, Aſtacus, Tegea, Chalcis, Lariſſa, Herea, Apollonia: in Parthiâ quoque, Sotera, Calliope, Charis, Hecatompolis, Achaia: in Mediâ, Laodicea, Apamea, & Rhaga: in Indiâ, Alexandropolis: in Scythiâ, Alexandreſcata. Ex victoriis etiam ejus acceperunt nomina, Nicephorium in Meſopotamiâ, Nicopolis in Armeniâ Cappadociæ finitimâ.

Juſtin. l. 16. Alexander Caſſandri filius in ultionem maternæ necis geſturus cum fratre Antipatro bellum, auxilium à Demetrio petiit: nec Demetrius, ſpe invadendi Macedonici regni, moram fecit, cujus adventum ægrè ferens Lyſimachus, perſuaſit genero ſuo Antipatro, ut malit cum fratre in gratiam reverti, quàm paternum hoſtem in Macedoniam admitti. Inchoatam igitur inter fratres reconciliationem cùm præſenſiſſet Demetrius, nihilominus cum exercitu advenit, & per inſidias Alexandrum interfecit; occupatoque Macedoniæ regno, cædem excuſavit: deinde aggreſſus eorum oppida, expugnavit.

Ly-

Lysimachus, cùm bello Dromichætis Getarum Regis premeretur, ne eodem tempore & adversus Demetrium dimicare necesse haberet, traditâ Demetrio alterâ parte Macedoniæ, quæ Antipatro ejus genero obvenerat, pacem cum eo fecit: Lysimachum verò à Dromichæte captum ubi Demetrius accepit, Thraciam se occupaturum sperans, eò properat; sed mox deficientibus Bæotiis, retrò se recipit, offenditque Bæotios jam acie à filio suo Antigono cæsos, Thebas iterum obsidet. SELEUC. AN. 21. Plutar. in Demetr.

Seleucus in eas urbes quas exstruxit, Judæos transtulit, jus eis civium, & municipalium ordinem cum Græcis æquali honore concedens: cujus rei meminit Josephus. Ab Asiæ Regibus, inquit, honorati sunt Judæi: nam Seleucus Nicator in conditis à se per Asiam & inferiorem Syriam urbibus, in ipsa denique metropoli Antiochiâ jus civitatis eis dedit, voluitque pari ibi cum Macedonibus ac Græcis conditione degere. AN. 22. Eufeb. Chr. Joseph. l. 12. c. 3.

Demetrius, cùm totum imperium armis recuperare moliretur, tantis viribus Asiæ imminebat, quantas secundùm Alexandrum habuit nemo. Seleucus autem, Ptolemæus, & Lysimachus tantum apparatum meritò habentes suspectum, in eum conspiravere; missisque ad Pyrrhum legatis, eum hortati sunt, ut Macedoniam sibi assereret. Pyrrhus comitem se & belli socium illis junxit. Eodem tempore Græciam Ptolemæus ingenti classe sollicitavit: Macedoniam verò Lysimachus ex Thraciâ, ex vicino Pyrrhus incursionibus populati sunt; ad Pyrrhum milites Demetrii descecerunt. His cognitis, Demetrius trepidus, causiâ & pullâ chlamyde tectus, subduxit se castris, & regno iterum exutus est. AN. 25. Plutar. in Demetr.

Cassandriam refugerat Demetrius, inde in Græciam contendit, ubi pacem cum Pyrrho iniit, deinde in Asiam cum undecim hominum millibus navigavit, Cariam & Lydiam Lysimacho ademptums; Miletum appulit: multæ ultrò urbes venerunt in potestatem ejus, multasque vi subegit; cepit etiam Sardes; descecerunt ad eum aliquot Lysimachi milites. At superveniente Agathocle Lysimachi filio cum exercitu, Phrygiam petiit Demetrius: ibi frumentatione & pabulatu prohibitus est, morbus deinde exercitum infestare cepit, militum octo millia amisit, reliquos retrò duxit. Ut Tarsum descendit, cupivit quidem abstinere à prædando, ne Seleucum irritaret: cùm verò id fieri non posset in ultimâ militum inopiâ, dedit ad Seleucum literas, quibus prolixè sortem lamentatus est suam. AN. 26.

Seleucus Demetrii soceri misertus, Præfectis suis scripsit, ut illum sumptibus Rege dignis, & exercitum ejus alimentis largè soverent; sed Procles, Seleuco valdè familiaris, ipsius animum variâ suspicione ita imbuit, ut contra eum Ciliciam versùs ille duxerit exercitum. Mutationem miratus Demetrius, ad loca Tauri munitissima se recepit, missisque legatis ad eum petiit, ut ipsius bonâ pace liceret sibi aliquam liberorum barbarorum provinciam occupare, in eâque errorum & fugarum fine facto, reliquum vitæ suæ exigere; sin id nollet, saltem copias per hiemem ibi aleret, neque omnium rerum egenum summoveret, & hostibus objiceret. Seleucus omnia hæc sinistrè in-

 terpre-

SELEUC. AN. 26. terpretatus, id modò ei permisit, ut datis obsidum loco primoribus suorum amicornm, per duos menses in Cataonià hiemaret, simulque fauces quibus patebat iter in Syriam, obstruxit.

Demetrius undique instar feræ inclusus, vertit se necessariò ad vim, finesque Seleuci depopulatus est; ac cum adoriente confligens Seleuco, semper fuit superior; claustra Syriæ, dejectis præsidiis in suam redegit potestatem. Jamque planè animo erectus, parabat cum Seleuco de rerum summâ dimicare, cùm gravis morbus illum occupavit, & res evertit, militibus partim ad hostem transeuntibus, partim ex castris aliò dilabentibus. Recreatus morbo tandem Demetrius, superato Amano monte, regiones usque ad Cyrrhesticam populatus est: castra proximè posuit Seleucus, cùmque ad manus cum Demetrio venisset, hortatus mercenarios ejus milites, ut ad se transirent, ipsi eum tandem Regem salutarunt. Id Demetrius intelligens, ad Amani montis portas confugit, ad Caunumque Cariæ urbem pergere cogitans, ob frequentes hostium ignes substitit: & cùm quidam dixisset, debere eum Seleuco se tradere, stricto ense mortem sibi consciscere voluit; verùm amicorum tandem consiliis persuasus, misit ad Seleucum, se suasque res illi dedens.

Eâ re nuntiatâ, ministris mandavit Seleucus, ut tentorium regium, & alia quæ ad excipiendum Demetrium pertinerent, magnificè appararent: misitque confestim ex comitatu suo Apollonidem, Demetrii quondam familiarem, qui eum consolaretur, ostenderetque, citra ullum metum tanquam ad necessarium & generum ipsum esse venturum. Eâ sententiâ Seleuci vulgatâ, pauci primùm, mox plurimi amicorum, ad Demetrium certatim confluxerunt: quæ res miserationem Demetrii in invidiam vertit; æmulisque inde data est occasio Seleuci humanitatem divertendi, cùm, simul atque conspiceretur Demetrius, multas novationes in castris extituras dicerent.

Pausanias igitur cum peditibus mille circiter & equitibus obviam missus, remotis cæteris, Demetrium non in Seleuci conspectum, sed in Syriæ peninsulam abduxit. Ibi validâ adhibitâ custodiâ, cultus sufficiens Seleuci jussu præbitus ei fuit, pecuniaque, & ad victum necessaria quotidie subministrata prolixè: ad hæc amicis, qui fuerant ejus fugam comitati, quicumque vellent, potestas cum eo vivendi. Alii ad eum à Seleuco ventitabant, cum benignis mandatis, bono animo esse hortantes, spemque libertatis, certorum pactorum interventu, facientes, ubi Seleuci filius Antiochus, & uxor ejus Stratonice advenissent.

Euseb. Chr. Pauf. Eliac. Seleucus, capto Demetrio, Syriæ & Asiæ pariter imperavit, & utroque regno unum fecit imperium: & ipsius, tum ob alias res gestas, tum ob captum bello Demetrium, illustre fuit apud omnes gentes nomen; ob idque factum Elæus Tydæus statuam illius posuit.

Plutarch. in Demet. Demetrius, cùm in eam fortunam captivitatis devenisset, ad filium, suosque apud Athenas & Corinthum duces atque amicos scripsit, ne literis ipsius, neque sigillo crederent; sed perinde ac si mortuus esset, urbes & res reliquas Antigono reservarent. Antigonus verò allatam patris captivitatem graviter ferens, sumptâ veste lugubri,

bri, cùm ad alios Reges, tum ad Seleucum supplex scripsit, quid- SELEUC.
quid ipsi relictum fuerat, atque adeò seipsum pro parente obsidem of- AN. 26.
ferens. Idem à Seleuco multæ civitates & dynastæ petierunt.

Solus Lysimachus, legatione ad Seleucum missâ, monuit, ne ho- AN. 27.
minem summâ flagrantem cupiditate, qui omnibus Regibus insidiatus Excerpt.
esset, ullatenus è manibus dimitteret; ac bis mille talenta daturum Valef. ex
se promisit, dummodo illum Seleucus è medio tolleret. At Seleucus Diod. p.
Rex legatos acerbè increpuit, qui se, non solùm ad violandam fidem, 263.
sed ad tantum scelus erga conjunctissimum hominem suscipiendum im-
pellerent. Cæterùm ad Antiochum filium, qui in Mediâ morabatur,
scriptis literis, consilium ejus exquisivit, quid Demetrio faciendum
esset: illum enim custodiâ liberare, atque in pristinum regnum splen-
didè reducere constituerat; cujus beneficii gratiam cum Antiocho
communicatam volebat, quòd is Stratonicen Demetrii filiam in matri-
monio haberet, liberosque ex eâ sustulisset.

Ptolemæus Ceraunus, Ptolemæi Soteris ex Eurydice filius, cùm AN. 28.
pater Ptolemæo, qui Philadelphus dictus est, juniori filio regnum Memn. a-
dare decrevisset, ex Ægypto, metu profugus, ad Seleucum se rece- pud Phot.
pit: quem ille, ut amici filium miseratus, liberaliter & honorificè c. 9. & 13.
tractavit, promissis etiam additis, fore ut defuncto parente in pater-
num Ægypti regnum ab eo deduceretur.

Demetrius tertium jam annum in Chersoneso Syriæ inclusus, ex AN. 29.
otio saginâ & vino in morbum delapsus, è vitâ migravit, post patris Plutar. in
Antigoni excessum annis 17. Ob Demetrii mortem Seleucus malè Demetr.
audivit, & non mediocriter ipsum pœnituit, quòd suspectum eum ha- Porphyr.
buisset. Funus curavit filius ejus Antigonus. in Euseb.

Seleucus cùm Syriæ imperaret, Judæi annuum stipendium, tre- Sulp. Sev.
centa argentea ei dabant talenta; nec tamen per externos magistratus, Sacr. Hist.
sed per sacerdotes suos regebantur, patrioque ritu vivebant. lib. 2.

Lysimachus, Arsinois uxoris fraude seductus, Agathoclem filium AN. 30.
in carcerem conjectum trucidari jubet, insidias sibi structas falsò cri- Memn.
minatus: quo interempto, Lysandra ejus uxor, Arsinois verò soror, ap. Phot.
utraque Ptolemæi & Eurydices filia, ad Seleucum cum filiis profugit. l. 9. & 13.
Fugienti addidit se comitem Alexander, ipsius Lysimachi ex Odris- Pauf. At-
siade uxore filius, qui cùm Babylonem pervenissent, à Seleuco sup- tic.
plices contendunt, ut bellum contra Lysimachum suscipiat.

Philetærus Eunuchus, à Lysimacho thesauri custodiæ in munitione Idem.
Pergamenâ præfectus, Agathoclem interfectum dolens, eamque ob App. Syr.
rem Arsinois criminationibus petitus, Pergamum occupavit; atque
inde per legatum se pecuniamque omnem Seleuco obtulit. Cùm verò
Lysimachus post necem filii, principes suos qui occisum Agathoclem
dolebant, supplicio affecit. Itaque multi ex Ducibus & Præfectis
ejus certatim ad Seleucum defecere; eumque pronum jam ex æmula-
tione gloriæ, bellum Lysimacho inferre compulerunt.

Seleucus Sardensium arcem oppugnavit: in eâ Theodotus præ- AN. 31.
erat, custos thesaurorum Lysimachi. Cùm arcem capere non posset, Polyæn.
proclamare jussit, se centum talenta daturum ei qui Theodotum oc- l. 4.
cidisset. Theodotus metu proditionis prodire non audebat: vul-

SELEUC. AN. 31. gus verò molestè ferebat, sibi fidem non adhiberi. Ergo Theodotus prævertens, noctu portam aperuit, & introducto Seleuco, thesauros ei tradidit.

Pauf. Att. Memn. c. 9. Justin. l. 17. Oros. lib. 3. Porphyr. ap Euseb. Syriac. l. 17. in Μακεδον. Cùm Lysimacho nuntiatum fuit Seleucum bellum suscepisse, statim in Asiam trajecit: collatis verò signis cum eo congressus, περὶ Κόρυ πέδιον in Phrygiâ, quæ Hellespontο adjacet. Lysimachus dum fortiter dimicat, magnâ clade acceptâ, ab Heracliensi quodam Seleuci milite, Malacone nomine, pilo trajectus est. Ultimum hoc certamen commilitonum Alexandri fuit: Lysimachus annos septuaginta Appiano, septuaginta quatuor Justino, octoginta verò Luciano natus; Seleucus septem & septuaginta: sed in hac ætate utrique animos juveniles gerebant.

Polyæn. lib. 8. Arsinoë, Lysimachô marito suo vitâ defuncto, cùm maximus Ephesi motus oriretur, & qui Seleuci partibus favebant, muros dejicerent, portasque aperirent, in cubili regio famulam regiâ stolâ amictam collocavit, multisque satellitibus eam munivit: ipsa verò laceros induta pannos, & sordidatum vultum, per aliam januam egressa, cucurrit ad naves, & solvit. Menecrates, unus è ducibus, impetu in cubile facto, confodit famulam, Arsinoëm eam esse existimans.

Pausan. App. Syr. Memn. ut sup. Justin. l. 17. c. 2. Extincti Lysimachi corpus canis domesticus diu protegens, alites ferasque arcuit, donec jam tubidum inventum est. Eo tandem sublato, regnum ejus ad Seleuci ditionem ut pars accessit; qui tantâ victoriâ lætus, & quod majus putabat, solum se de cohorte Alexandri remansisse, victoremque victorum extitisse, non humanum fuisse opus, sed divinum munus, gloriabatur.

Memn. Excerpt. c. 8 & 10. Heraclienses Ponti, audito Lysimachi interitu, qui Heraclitum illis præfecerat, illum captum in custodiâ detinuerunt: metu dehinc soluti, mœnia arcis ad fundamenta usque diruerunt, & missâ ad Seleucum legatione, Phocritum civitatis curatorem fecerunt.

Memn. ib. c. 11. Zipætes Bithyniæ regulus, Lysimachi antea, tunc etiam Seleuci causâ (nam cum utroque simultates habebat) Heracliensibus infensus, excursionibus in agros factis, à nullo maleficiorum genere abstinuit: sed neque illius exercitus cladium expers fuit; haud multò mitiores quàm intulit, ipse recipiens.

Ibid. cap. 12. Interea Seleucus Aphrodisium in urbes Phrygiæ, & eas quæ adjacent Ponto, Procuratorem misit. Hic rebus, quarum causâ venerat, confectis, post reditum in aliarum quidem civitatum laude prolixus erat: Heraclienses autem criminabatur, ut Seleuco parùm addictos. Seleucus ergo hoc iratus, legatos ad se profectos fastidivit, & minis increpitans terruit: quorum unus tamen Chamæleon nihil his perculsus, ita Regem compellavit: Hercules χάῤῥων Seleuce. Quàm vocem cùm Rex non intelligeret, conceptâ in irâ persistens, se avertit. Quæ cùm Heracliensibus renuntiarentur, tum cæteris se muniverunt, tum copias auxiliares collegerunt.

Justin. l. 17. c. 2. App. Syr. Memn. Excerpt. c. 13. Seleucus in Macedoniâ patriâ suâ, quod reliquum senectutis erat, transigere instituit: impulit enim amor patriæ, ex quâ cum Alexandro militatum iverat: Asiam suo filio commendavit, & Hellespontum traje-

trajecit, ignarus prorsus non multò pòst fragilitatis humanæ seipsum exemplum futurum. Cùm Lysimachiam peteret, aram vidit in loco sitam conspicuo, ubi percontatus, Argos ei nomen fuisse didicit: cùmque verò in mentem revocaret oraculum de Argis, & ulteriùs causam appellationis sciscitaretur, Ptolemæus Ceraunus, quem benemerita nihilo meliorem fecere, benefactorem à tergo aggressus confodit: atque ita Seleucus regnum, quod Lysimacho eripuerat, cum vitâ pariter amittit. Lysimacho superstes Seleucus fuit circiter septem menses: regnavit annos XXXI. SELEUC. A N. 31.

Ptolemæus Ceraunus, equi cursu adjutus, Lysimachiam profugit: ubi imposito sibi diademate, & ad exercitum reversus, pecuniam Seleuci militibus diripiendam tradidit: illi necessitate compulsi, eum receperunt, & Regem salutarunt; qui paulò antè Seleuco sacramenti religione erant adstricti. Corpus Seleuci cremavit Philetærus Eunuchus Pergami Dynastes, pro magno auri pondere à Ceranno sibi traditum. Memn.ib.

Seleucus, maximus post Alexandrum Rex fuit, animoque maximè regio præditus, maximæque post illum terræ portioni imperavit; Satrapias enim septuaginta duas habuit. Ab Alexandro Elephantorum Magister ordinatus, ab eo tamen non amatus, contrà oderat quòd forti & generoso esset animo. Princeps justitiâ & pietate Reges proculdubio omnes antecelluit, moderatione & industriâ excellens, non alienus à literis, Megasthene Historico, quem legatum ad Sandrocottum Indiæ Regem misit, & Erasistrato Medico, ut plurimùm usus. Arrian. l. 7. de Reb. Alex. App. Syr. Ælian. lib. 12. c. 16. A. Gell. lib. 6. c. 17.

Atheniensium bibliothecam, quam Xerxes advexerat, Seleucus in Perside reperit, eamque illis reddidit sine pretio; ut & Harmodii & Aristogitonis, qui ipsorum urbem tyrannide liberarent, effigies æneas, quas Xerxes ipse sustulerat, in pristinam sedem reportandas curavit: idcirco ab Atheniensibus illi statua ænea ante porticum erecta est. Apollinis Colossum, Milesiis ab eodem Xerxe ademptum, & Ecbatana asportatum, in Branchidas reportandum curavit. Laodicensibus concessit Dianæ signum, illud quod à Bravone fuit Susa portatum. Pauf Attic. Valer. M. Pauf. Lac.

Lemnii, Atheniensium coloni, ut gratiam Seleuco referrent, quòd eos non solùm à duro & acerbo Lysimachi dominatu liberasset, verùm etiam oppidum utrumque suum, Myrinam scilicet & Hephæstiada, reddidisset, templa Seleuco exstruxerunt; & poculum, quod libandi causâ affundebant, dum ad epulas convenirent, Seleuci servatoris appellarunt. Antiochenses Seleucum ut Heroa coluerunt, & in Cassio monte apud Seleuciam, festum ei diem egisse refert Strabo: Arrianus verò ei templum, quod Nicatorium appellarunt, exstructum scribit. Athen. l. 6. c. 16.

Seleucus vasto robustoque fuit corpore, adeò ut taurum ferocem sacrificante Alexandro profugum, solus cornibus arreptum retinuerit manibus. Laboribus per omnem vitam functus est maximis. Bosphorum Cimmerium jungere voluit mari Caspio. Dicere sole- Appian. Syriac. Pausan.

Lucian. de Dea Syria. solebat: Si multi scirent quantumque negotii, tantummodo tot epistolas scribere ac legere, nec humi projectum diadema tollerent.



NUMMI SELEUCI NICATORIS.



Ex Musæo nostro.

Caput pelle leoninâ amictum, in posticâ cujus parte Jupiter sedens, dextrâ victoriolam, sinistrâ hastam inversam, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΕΛΕΥΚΟΥ, id est REGIS SELEUCI.

NUMMUS hic tetradracmus argenteus, non Herculi, ut quidam autumant ob pellem leoninam, sed Seleuco tribuendus est: ille partito Alexandri Magni imperio, cum aliis ducibus Rex appellatus, diademate sibi imposito regni Syriæ fundator extitit. Neminem verò turbet pellis leonina. Macedoniæ Reges ab ipso Hercule genus derivasse arbitrantes, stirpis auctorem exuvias leonis ferentem in nummis imitati sunt, quales Amyntam, Philippum, & Alexandrum Magnum cum hoc insigni observavimus.

Hæc capitis ornamenta usurparunt Alexandri Magni Duces unà cum imperii dignitate, quo se utique vel oris, vel habitûs similitudine necessarios quasi & legitimos hæredes probarent. Quâ de causâ Seleucus leonis exuviis ornatus in nummis perhibetur, in quibus plenam & amplam illius faciem si spectes, eum vasto & robusto corpore fuisse cum Appiano fateberis.

Suidas. Seleucus ob tantas & insignes victorias cognominatus est ΝΙΚΑΤΩΡ, id est Victoriosus, potiùs quàm ΝΙΚΑΝΩΡ, ex Nicanore quodam Antigoni duce interfecto. Hanc verò ΝΙΚΑΝΟΡΟΣ vocem à plurimis scriptoribus usurpatam arguit legitima ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ in successorum Seleuci nummis epigraphe. Monendi

Thesaur. sunt hàc de causâ Antiquarii Goltzium cautè legendum, nec ei fidem in Syriæ Regum cognominibus scribendis semper adhibendam, cùm sæpius illustria & legitima promiscuè cum minus decoris ΣΕΛΗΤΟΥ . ΓΡΥΠΟΥ . ΚΥΖΙΚΗΝΟΥ. huc usque non inspectis, vulgaverit.

Add. ad. to. 2. f. 1. Thes. f. 17. Diss. 5. fol. 327. Nummum exhibuit Tristanus cum epigraphe ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΕΛΕΥΚΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ, quem malè Seleuco primo tribuit. Similis iterum à Carolo Patino eidem adscriptus prodiit: sed paucos ante annos monuerat Ezech. Spanhemius hunc nummum Seleuco Syriæ regni fundatori haud tradendum

dum, quòd intercedere videretur Epiphanis cognomentum, quale demum ab uno ex Seleuci hujus successoribus innuere videretur Appianus, illum verò V. cl. Seleuco VI. Antiochi vulgò Grypi filio natu majori, ut infrà demonstrabimus, rectè adscripsisset.

Jupiter in aversâ parte nummi Seleucum arguit Alexandri Magni memoriam cusum, vel ipsum, ex cujus cognatione videri volebat, imitari: Alexander autem Jovis filium se passim prædicans, in nummis faciem ejus signabat; ita Seleucus nummos cum Jove in aversâ parte, ut in anteriori semetipsum ad Herculis formam, percussit, ut generis Alexandri, sic & sui, auctores Jovem & Herculem testaretur. Jupiter cum victoriâ sedens, post victorias tandem quiescendum monet; quod innuit hasta inversa.



Ex Musæo nostro.

Caput pelle leoninâ ornatum, cum alâ supra aurem: in parte aversâ bos cornupeta, cum epigraphe ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΕΛΕΥΚΟΥ.

Seleucus Nicator iterum prodit cum exuviis leonis, & ala, ut in aliquot nummis Bithyniæ Regibus etiam observatur. Hunc nummum vulgavit Spanhemius: alam cornu fuisse autumat, sed integra, ut in sequenti Antiochi Soteris numismate, percussa conspicitur. Dissert. 5. fol. 305.

Bos cornupeta adludere videtur ad Seleuci factum. Seleucus, inquit Appianus, adeò vasto robustoque corpore fuit, ut taurum ferocem sacrificante quondam Alexandro, vinculis profugum, solus cornibus arreptum retinuerit manibus. Alam de fortitudine etiam interpretantur.



Ex Musæo nostro.

Caput Jovis barbatum, laureâ coronatum. In aversâ parte currus quatuor elephantorum Pallade aurigante, eâque jaculum dextrâ vibrante, clypeum sinistrâ, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΕΛΕΥΚΟΥ.

Ad Seleucum Nicatorem pertinet hic nummus cum Jovis capite. Permulti

Syriæ Regum nummi Jovis, Apollinis, aliorumque numinum effigiem exhibent, quos deinceps prætermittemus, nummos Regum capita solùm exponentes, ut eorum facies hactenus ignotæ dignoscantur.

Diod. l. 20. Currus elephantorum Seleuci potentiam in his bestiis possidendis demonstrat. Ipse 480. elephantos contra Antigonum ex Asiâ duxit: à Sandrocotto Indiæ Rege, cum quo pacem inierat, 500. accepit. Plurimos autem in quodam Syriæ loco Laodiceam versùs alere solitum memorat Strabo. Triumphalem eorum currum in victoriæ memoriam agit Pallas tutelaris Macedonum Regum Dea, contra hostes etiamnum armata.



ANTIO-

ANTIOCHUS I.

Seleuc. AN. 31.



ANTIOCHUS, Seleuci & Apames filius, patri in imperio ſucceſſit, quem jam juſſerat regnare in mediterraneis regionibus cum Stratonice novercâ illi in uxorem à patre traditâ: eam tamen patre tantùm defunƈto accepiſſe refert Julianus, de quo ſic ait. Cognitum Antiochi morbum Eraſiſtratus Medicus patri Seleuco expoſuit: ille, quòd liberos amaret, permittere ſe ait filio uxorem: at is tum quidem recuſavit; patre autem mortuo non multò pòſt, munus, quod antea ſibi datum generoſè repudiaverat, arripuit. In Miſopog.

Philetærus cineres Seleuci ad Antiochum remiſit, qui in maritimâ Seleuciâ eos conditos honoravit, delubro addito, & fano ei ſacrato, quod Nicatorium vocavit. AN. 32. App. Syr.

Antigonus Gonatas, cæde Seleuci intelleƈtâ, expeditionem ſuſcepit in Macedoniam, pedeſtribus & navalibus copiis Ptolemæum Ceraunum antevenire properans. At Ptolemæus expeditas habens Lyſimachi naves, inſtruƈtâ acie ei occurrit, ſuperiorque commiſſo prælio evaſit. Viƈtus autem Antigonus, in Bæotiam ſe recepit; & Ptolemæus in Macedoniam tranſiens regnum obtinuit. Memn. Excerpt. c. 14. & 15.

Occupato Ceraunus Macedoniæ regno, omni arte adulatur Antiocho, cum quo bellum etiam habiturus videbatur, patris cædem proculdubio ulturus: at pulſo Antigono per Ptolemæi Philadelphi fra- Juſtin. l. 17. c. 2.

F tris

Seleuc. tris copias, navali prælio, pacem cum Antiocho fecit, affinitatemque
A N. 32. cum Pyrrho, datâ ei in matrimonium filiâ suâ, junxit.

Pyrrhus, qui ingens momentum futurus, cui parti socius in hoc bello accessisset, pace inter Reges initâ, Tarentinis adversus Romanos laturus auxilium, ab Antigono naves ad exercitum in Italiam deportandum, mutuò petiit; ab Antiocho pecuniam, qui opibus quàm militiâ instructior erat; à Ptolemæo Macedonum militum auxilia.

A N. 33. Memn. c. 16. Antiochus, qui cùm vix tandem multis præliis nec universum tamen patris regnum recuperasset, expeditam manum in ulteriora Tauri mittit, Patrocle duce; qui Hermogenem, Aspendium genere, legatum sibi adoptavit. Hic cùm alias urbes, tum Heracleam Ponti, infestare constituerat: verùm Heracliensium legatione placatus, è finibus eorum excessit; & percusso cum eis amicitiæ fœdere, per Phrygiæ agros in Bithyniam se convertit: sed Bithyniorum insidiis exceptus, unà cum exercitu internecione cæsus est, cùm strenui viri facinora suo loco in hostes edidisset. Zipætes verò Bithyniæ

Memn. Excerpt. c. 21. Rex, Antiochi copiis ita deletis, urbem ad Lyperum montem condidit, nomine suo insignem.

Diod. l. 24. Pauf. Phoc. Justin. l. 24. Ptolemæus Ceraunus, dum se belli metu deposito, omnia tranquilla credit, accidit ut Gallorum multitudo, fame ex patriâ migrare coacta, Macedoniam invaderet, à quibus conserto prælio, Rex ipse vivus capitur, & caput ejus amputatur, paucis ex Macedoniâ fugâ servatis.

Idem ibid. Sosthenes, unus de Macedonum principibus, contractâ juventute, & Gallos victoriâ exultantes compescuit, & Macedoniam ab hostili populatione defendit: ob hæc virtutis beneficia Rex ab exercitu appellatus est.

A N. 34. Memn. c. 17. Antiochus in Bithyniam, ob cædem Patroclis, expeditionem instituere decrevit. Rex eorum Nicomedes, Zipætis filius, per legatos auxilium ab Heracliensibus petiit, & impetravit, gratiam se relaturum, ubi simili necessitate tempus flagitaret, pollicitus.

A N. 35. Idem c. 19. Sosthene Macedonum duce, qui Gallos repulerat, defuncto, Antiochus & Antigonus Gonatas Macedoniam tanquam paternum regnum ambiebant, in copias militares, magnos utrimque apparatus facientes. Antigono Nicomedes Rex operam navavit, Antiocho complures alii. Antiochus verò priusquam in Antigonum duceret, adversùs Nicomedem bellum instituit. Hic igitur & aliunde auxilia collegit, & de belli societate missis legatis Heracleam, tredecim in subsidium triremes inde accepit, & tum demùm classem suam Antiochi classi opposuit: etsi autem adversas aliquandiu tenebant acies, neutri tamen pugnæ initium fecerunt, sed absque effectu tandem discesserunt.

Justin. l. 25. In Arati Vita. Antiochus, qui longè latèque imperabat in Asiâ, pace initâ cum Antigono, ei Macedoniam cessit, traditâ in uxorem Philâ, quam Stratonice uxor, ejusdemque Antigoni soror, è Seleuco Nicatore patre enixa fuerat.

Pauf. Phoc. Brennus, Gallorum Dux, principes eorum perpulit, repetitâ sæpius oratione, ut novas ad invadendam Græciam copias mitterent, qui hoc

hoc tandem anno bellum Græcis intulerunt. His conductitios milites SELEUC.
miserunt Reges, Antigonus è Macedonià quingentos duce Aristode- A N. 35.
mo Macedone, totidem Antiochus ex Asià, quibus Telesarchus Sy-
rus præfuit, qui, in Oete jugo defendendo, tandem occisus est.

Insequenti anno, Archonte Democle, Gallorum pars post Brenni A N. 36.
cladem, in Asiam transmisit; eorum transitum Nicomedes certis con- Idem Ibid.
ditionibus conciliavit, quorum auxilio, toto Bithyniæ regno contra A N. 37.
Zipætam fratrem recuperato, illos in Antiochi ditionem immisit.
Contra Gallos exercitum duxit Antiochus; & cùm ad manus ventum A N. 38.
esset, nec satis feliciter pugnaretur, resque magno versaretur in dis-
crimine, Rex, ut bonas spes militum animis induceret, vidisse dixit in
quiete Alexandrum M. monentem, ut pro signo quoddam sanitatis Cæl.
symbolum, τὴν ὑγιαίνειν, proponeret, id quod pro tesserà Tribu- Rhod. quæst.
nis daret, ac militum lacernis insideret, sic fore, ut certà facilique l. 3.
victorià potiretur: hoc adhibito symbolo, equitatus Gallorum Theo-
dotæ Rhodii ductu, disjectus est. Antiochus victorià moderatè usus
est, & lacrymas quidem profudit, quòd in belluis exercitûs sui
salus steterit; ideo in trophæum elephantem sculpi jusserit, cujus
frequens in Antiochi nummis typus etiam observatur. Gallis itaque App. Syr.
in Asiam longè latèque irrumpere minantibus profligatis, Antiochus
ΣΩΤΗΡΟΣ cognomentum accepit.

De diversis in Asià bellorum motibus, quos non attigit Justinus, Justin. l.
his annis memorat; & quidem Antiochi omnia penè gesta tenebris 26. c. 1.
obsita jacent.

Magas, Ptolemæi Philadelphi eàdem Berenice matre frater, patre A N. 49.
verò Philippo Macedone quodam genitus, cùm Apamen, Antiochi Pauf. Att.
filiam, uxorem duxisset, socero persuasit, ut violato fœdere, quod
ejus patri Seleuco cum Ptolemæo Sotere ictum fuerat, in Ægyptum
invaderet. Quod cùm Antiochus comparato exercitu moliretur, Pto-
lemæus in omnes populos quibus imperabat Antiochus copias dimi-
sit, ex quibus aliæ prædonum more agros popularentur, aliæ hostem
agmine facto arcerent. Hoc consilium omnem Antiocho in Ægyp-
tum proficiscendi facultatem eripuit.

In Margianà Parthiæ provincià campus desertis ambiebatur. Antio- Strabo
chus admiratus loci naturam, muro circumdedit, cujus ambitus mille l. 11.
& quingentorum erat stadiorum, atque urbem de nomine suo Antio-
chiam condidit: alteram etiam in Phrygià, nomine Apamæam, in
Marsyæ fluvii ostiis ipsam perlabentis construi jussit, civesque è Cele-
nis urbe in eam transtulit.

Rex, cum felicitate ad senium profectus, altero filio occiso, alte- A N. 51.
ro Rege nuncupato Antiocho, decessit: regnum non deterius quàm Trog. Prob. l. 26
acceperat, reliquit; omne tamen infestum ac malevolum trepidabat Liban.
metu rerum. Ephesi diem extremum obiit. Ab Atheniensibus Lem- Ant.
ni incolis consecratus est cum Seleuco patre. Stratonice ejus uxor, G. Syncell. p. 27.
post mortem etiam à Smyrnensibus consecrata est, Deaque cogno- Athen. l. 6.
minata, delubro ab eis addito, & fano illi sub nomine Veneris Stra- Marmor.
toni- Arund.

SELEUC. AN. 51. tonicidis, ex oraculo Apollinis, consecrato, cui jus asyli totique urbi concessum est à Seleuco II. ejus nepote.

Post mortem Stratonicis aliam duxit uxorem, cujus nomen ignoratur, ex quâ Laodicen filiam habuit, Antiochi successoris uxorem, sic Polyæn. lib. 8. inquit Polyænus: Antiochus, cognominatus Deus, duxit Laodicen ὁμοπάτριον ἀδελφὴν, id est sororem ejusdem patris; unde in Appiano Πτολεμαίου Φιλαδέλφου θυγατέρα in numero singulari legendum est.



NUMMI ANTIOCHI SOTERIS.



EX MUSÆO HARLÆO.

Caput diadematum, cum alâ supra aurem; in cujus aversâ parte Apollo nudus sedens, dextrâ telum, sinistrâ arcum, cum epigraphe ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ, id est REGIS ANTIOCHI.

ANTIOCHUS, Seleuci Nicatoris filius, solo diademate contentus, nudam Regis Antiochi appellationem in nummis exhibuit, nec ΣΩΤΗΡΟΣ cognomine ipsi post fugatos Gallos, Appiano teste, atributo usus est: unde forsan ad eum pertinere nummum inanis suspectus, quem effigies patri non absimilis, eadem ala quam in Seleuci nummo, formaque ejus temporis numismatum penitus arguunt.

Ala supra aurem Antiochi Soteris percussa est, ut similis in altero maximo argenteo Bithyniæ Regis Prusiæ, Cynici cognominati, nummo observatur: alæ autem avium capitibus Regum ad potentiam & dignitatem populis conciliandam, ut animalium cornua Heroum galeis ad hostium terrorem, ex Herodoto & Diodoro, admovebantur.

Apollo in aversâ parte in memoriam generis Seleuci patris signatus est; siqui-

quidem Justinus ipsum ab Apolline originem duxisse testatur his verbis: *Laodice cùm nupta esset Antiocho, claro inter Philippi duces viro, visa est sibi per quietem ex concubitu Apollinis concepisse.* Apollo, Jovis & Latonæ filius, eodem partu cum Dianâ editus est in Delo insulâ. Hic jaculum & arcum gerit, ideoque quidam illi cum apparatu nomen ἀπὸ τοῦ ἀπολλύναι derivant, quòd jaculis perderet. Sedet, ut opinor, supra machinam illam impositam terræ hiatui, unde Delphis virgo insistens innoxiè ex aditu accipiebat, ut oraculum petentibus communicaret. Imberbis est, perpetua illi ut Phœbo adscribebatur juventus, unde Ovidius: SELEUC. AN. 51.

> *Solis perpetua est Phœbo, Bacchoque, juventus.*


Idem enim erat cum Phœbo. Longos habet capillos instar fœminæ, unde Horatius:

> *Intonsosque agitaret Apollinis aura capillos.*



ANTIOCHUS II.



AN. 52. App. Syr.

NTIOCHUS II., Antiochi Soteris & Stratonices filius, patri in regno successit, à Milesiis ΘΕΟΣ cognominatus est, quòd Timarchum eorum Tyrannum sustulisset, ipso in exilium pulso.

AN. 53. Memn. Excerpt. Cùm Rex Byzantinis bellum inferre decrevisset, ipsi ab Heracleotis Ponti quadraginta triremes in auxilium acceperunt; & horum factum est operâ, ut ad minas tantummodo progressum haberet bellum.

AN. 54. Antiochus, patris voluntatis ut & regni hæres, bellum adversus Ptolemæum Philadelphum à patre inchoatum renovat, quod in multos annos productum est: totis enim Antiochus Babylonis atque Orientis viribus contra eum dimicavit. Hieron. in Dan.

AN. 56. Philo de Temp. Joseph. l. 12. c. 3. Rex Eleazarum Pontificem Judæorum, Simonis Justi filium, inimicum habuit, qui anno ejus regni sexto mortuus est. Antiochus jus civitatis in Ioniâ Judæis concessit, suisque moribus vivere permisit; quod olim Seleucus Nicator eis concesserat, ipse confirmavit.

AN. 57. Laodice Antiochi Soteris filia, Antiocho Antiochum filium peperit, qui Hierax est cognominatus.

AN. 61. Hieron. in Dan. c. 11. Cùm Antiochus adversus Philadelphum bella quàm plurima gessisset, volens itaque Ptolemæus post multos annos molestum finire cum ipso

ipso certamen, filiam suam Berenicen Antiocho uxorem dedit; etsi de priore uxore Laodice, ex eodem patre sorore, & quidem adhuc vivente, duos filios haberet, Seleucum & Antiochum: deduxitque Ptolemæus filiam suam Pelusium usque, & infinita auri & argenti millia dotis nomine dedit; unde Φερνοφόρος, id est dotalis appellatus est. Tantis impensis filiam curavit Ptolemæus, ut ad eam Nili aqua deferretur, ut solius hujus fluminis aquam Berenice biberet.

SELEUC. A N. 62. Polyæn. l. 8. Athen. l. 2. c. 2.

Arsaces & Teridates fratres, qui genus à Persarum Regibus ducebant, dum Persidis Satrapa ab Antiocho Deo Agathocles Macedo esset constitutus, qui cùm amaret Teridatem, ut ei vim inferret facilius, strueretque insidias, spe frustratus, ab ipso Teridate, fratris Arsacis auxilio, consciis etiam aliis quinque, interfectus est: gentem Macedonum pellentes, imperium ipsi arripuerunt. Hanc defectionem accidisse Manlio Vulsone & Attilio Regulo Coss. refert Justinus. Arsacem septuaginta duobus annis post mortem Alexandri Magni regnare cepisse scribit Mircondus: quod tempus uno tantum anno Vulsonis & Reguli Consulatum antecedit.

A N. 63. Memn. Excerpt. G. Sync. lib. 41. c. 4.

Eodem etiam tempore Theodotus mille urbium Bactrianarum Præfectus defecit: quod exemplum secuti totius Orientis populi, à Macedonibus defecerunt. Alii Euthydemum Græcos Bactrianam incolentes, à Macedonum obedientiâ abalienavisse tradunt: deinde Arsacem Theodoti Bactriani incrementa fugientem, Parthiam ad defectionem pertraxisse. Addit etiam Apollodorus Bactrianos illos Græcos viribus auctos, etiam Indiam penetrasse, atque Hypasim fluvium versùs ortum transgressos, ad Isamum usque pervenisse, majoremque quàm ipsum Alexandrum Indiæ partem subegisse.

Strabo. l. 11. in Part.

Ubi socerum Ptolemæum fato functum vidit Antiochus, submotâ planè Berenice, priorem suam uxorem Laodicen cum liberis suis, ejus amore superatus, in regiam reduxit. Hæc metuens ambiguum viri animum, ne Berenicen reduceret, virum per ministros veneno interfecit; dissimulandi verò sceleris gratiâ, Artemonem è plebe hominem, Antiocho similem, in lectulo perinde quasi ipsum Regem ægrum Laodice collocavit; admissumque universum populum, & sermone ejus & vultu consimili fefellit; ac tam diu defunctum maritum dissimulavit, quoad ex arbitratu ejus regni successor Seleucus, filius natu maximus, ordinaretur.

A N. 66. App. Syr. Hieron. in Dan. Valer. M. l. 9. c. 14. Plin. l. 7. cap. 12.

Antiochus regnavit annos quindecim, relictis è Laodice quatuor filiis, Seleuco & Antiocho fratribus, Stratonice Ariarathis ejus nominis quarti Cappadocum Regis uxore; è Berenice verò Ptolemæi Philadelphi filiâ puerulo adhuc in cunis vagiente, cum matre postea trucidato.

Phot. Ex. Diod. l. 31.

Rex post mortem à Smyrnensibus consecratus est, ut fuerat jam ab illis pater Antiochus, & mater ejus Stratonice, honoribusque egregiis tum publicè à plebe, tum privatim ab unoquoque civium, decoratus est.

Marm. Arund.

SELEUC.
AN. 66.

NUMMI ANTIOCHI DEI.



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput diademate cinctum: in aversâ parte Apollo ſedens cum attributis & epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ, id eſt REGIS ANTIOCHI.

ANTIOCHUS II. Antiochi Soteris & Stratonices filius, à Mileſiis ΘΕΟΣ apud Appianum cognominatus eſt, quòd Timarchum eorum Tyrannum ſuſtuliſſet: licèt verò inter Syriæ Reges DEI appellationem primus obtinuerit, valdè tamen dubito an primus in nummis illam ſibi vindicarit. Spanhemius nummum Gazæ Mediceæ cum inſcriptione ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΘΕΟΥ ei attribuit: ſed forſan mutila eſt cujuſdam Syriæ Regis cum adjuncto DEI cognomine aliam appellationem uſurpantis epigraphe; ſuperbam enim & ambitioſam illam in nummis nomenclationem Antiochus IV. à Samaritanis ſibi datam primus exhibuit.

Differt. 5. fol. 403.

Diverſa Antiochi II. à patre effigies, prioris quidem ampla, & naſus oblongus, hujus verò circumſcripta, paululumque naſus repandus, uno denique intuitu diſſimilis. Uterque eorum nummus ſimplici ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ epigraphe gaudet, diſtinctione cognominis initio principatus haud neceſſariâ, cùm pater & filius à populis abundè dignoſcerentur.

Apollo cum eodem typo, ut in patris ſucceſſorumque Regum nummis, ad originis Seleucidarum memoriam, vel forſan ab Antiochenſibus in honorem Apollinis, apud eos peculiari cultu in Daphnes ſuburbio habiti, percuſſus eſt.


Nummi hujus Regis ex omni magnitudine & metallo reperiuntur: ſed quanta ſit Syriæ Regum nummorum in auro raritas ſeu preſtantia, ex eo notanda occurrit, quòd in tota eorum ſerie, duorum Regum nummi aurei nobis hactenus ſint inſpecti.

SELEU-

SELEUCUS II.

SELEUC. AN. 66.





ELEUCUS II. Antiochi Dei & Laodices filius, natu maximus, patri in imperio ſucceſſit, auſpiciaque regni à parricidio, hortante matre, quæ prohibuere debuerat, cœpit. Illi CALLINICI nomen feciſſe matrem aiunt, quaſi præclaram de ſuis hoſtibus victoriam conſecuto: alii per deriſionem ſic denominatum aſſerunt à victoriis, quas nullas habuiſſe autumant; ſed falluntur, ut infrà videbimus. Pogon à barbâ, teſte Polybio, vocatus eſt, ſed nomen ludibrii.

Juſtin. l. 27. c. 1.

ſub fin. lib. 2.

Cùm Rex novercam Berenicen cum parvulo, quem patri Antiocho pepererat, Icadioni & Gennæo Antiochiæ principibus occidendum tradidiſſet, Berenice illos ad ſe interficiendam miſſos didicit, protinuſque Daphnæ ſuburbio Antiochiæ ſe clauſit, ubi cùm obſideri eam cum parvulo filio nuntiatum Aſiæ civitatibus eſſet, recordatione paternæ majorumque ejus dignitatis, caſum tam indignæ fortunæ miſerantes, auxilia ei omnes miſerunt: frater quoque Ptolemæus, periculo ſororis exterritus, relicto regno, cum omnibus viribus advolat; ſed ante adventum auxiliorum Laodices inſidiis interceptus eſt puerulus: quod Berenice graviter ferens, armata currum conſcendit, perſecutaque ſatellitem regium Gennæum urbis Præfectum, crudelis imperii miniſtrum, quem haſtâ necquicquam petierat, ſaxo ictum proſtravit, ac

Hieron in Dan. l. 11. Juſtin. l. 27.

Val. Max. l. 9. c. 10.

SELEUC. AN. 66. super ejus corpus actis equis, inter infesta contrariæ partis agmina, ad domum in quâ interfecti pueruli corpus occultari arbitrabatur, perrexit.

Polyæn. Strat. l. 8. Qui interfecerant puerum, alium quendam interfecto simillimum produxerunt in populum, eumque, ut ille esse videretur, regio satellitio stipaverant: Berenici verò præsidium stipendiariorum Gallorum dederunt, eique locum regiæ firmissimum tradiderunt, & jusjurandum atque fœdus inibant: Aristarcho enim Medico, quem secum habebat, suadente, ut pacem cum eis faceret, Berenice credidit; at illi juramento quasi stratagemate usi, Berenicen statim adorti jugularunt. Quæ verò circa eam erant mulieres, defensionem parabant, plurimæ ceciderunt: Panariste autem, Mania, & Gethosyne corpus Berenices obruentes terrâ, aliam quandam in lectum collocarunt, quasi illam adhuc viventem, & vulnus acceptum sanaturam; ac tantisper subditis persuaserunt donec accersitus ab ipsis Ptolemæus frater veniret.

AN. 67. Justin. l. 27. Universæ civitates quæ defecerant, cùm ingentem classem comparassent, repente exemplo crudelitatis exterritæ, simul & in ultionem ejus quam defensuri erant, Ptolemæo se tradiderunt. Ptolemæus, dum occisi filii & peremptæ Berenices quasi superstitum adhuc nominibus inscriptas literas circummittit, ingressus Syriam, Laodicen interfecit, Ciliciam & Cælesyriam cum Seleuciâ cepit, superiores partes trans Euphratem, & propemodum universam Asiam, & quidem sine bello & pugnâ, Panaristes stratagemate usus, obtinuit. Polyb. l. 5. Hier. in Dan.

AN. 68. Justin. l. 27. Ptolemæus, nisi in Ægyptum domesticâ seditione revocatus esset, totum regnum Seleuci occupasset: tantum vel illi odium parricidiale scelus, vel huic favorem indignè peremptæ mors sororis attulerat. Hier. in Dan. Cælesyriam tamen Ptolemæus retinuit, Ciliciam autem amico suo Antiocho gubernandam tradidit, & Xantippo alteri duci provincias trans Euphratem. Diripiens regnum Seleuci, quadraginta millia talentorum argenti tulit, & vasa pretiosa simulachraque eorum duo millia & quingenta, in quibus erant & illa quæ Cambyses captâ Ægypto in Persas portaverat; unde Ægyptii, quia post multos annos Deos ipsorum retulerat, ΕΥΕΡΓΕΤΟΥΣ cognomentum illi tribuerunt.

AN. 69. Polyb. l. 5. Justin l. 27. Post discessum Ptolemæi, qui relicto Seleuciæ quam occupaverat præsidio, Seleucus adversùs civitates, quæ defecerant, ingentem classem comparavit: sed repente, veluti Diis ipsis parricidium vindicantibus, ortâ tempestate, classem naufragio amittit; nec quicquam illi ex tanto apparatu præter nudum corpus, & spiritum, & paucos naufragii comites residuos fortuna fecit: misera quidem res sed optanda Seleuco fuit, siquidem civitates, quæ odio ejus ad Ptolemæum transierant, velut Diis arbitris satisfactum sibi esset, repentinâ amicorum mutatione in naufragii misericordiam versâ, imperio ejus se restituerunt.

Marmor. Arund. Smyrnæi & Magnetes, qui sunt ad Sipylum montem, fœdus ad amicitiam & societatem cum Rege Seleuco inierant, ut ostenderet populus nec hostium impetu territus, nec rerum suarum cladem pensi habens,

habens, erga ejus Majestatem benevolentiam servasse, & in hoc perseverare proposito, & pro viribus adesse, sicut ab initio susceperat, unde honorem Seleucus accumulavit eorum civitati, tum ob benevolentiam & studium, quo populus ipsius Majestatem affecerat, tum quòd pater ejus Antiochus Deus, & mater patris Dea Stratonice, consecrati apud eos essent, & honoribus egregiis honorati, tum publicè à plebe tum privatim ab unoquoque; & stabilivit populo libertatem, & statum popularem: quin porrò scripsit ad Reges, Principes, civitates & gentes sancivisse se non modò fanum Veneris Stratonicidis aviæ suæ inspoliatum fore, sed & urbem Smyrnæorum inspoliatam. Quæ privilegia Smyrnæi cum Magnetibus communicarunt, fœdere inter se inito. (Seleuc. A N. 69.)

Seleucum in Mesopotamiâ urbem nomine Callinicopolim condidisse ad annum primum Olympiad. CXXXIV. Fasti Siculi indicant, qui in hunc Seleucidarum LXIX. incidit, desumptâ eorum ærâ, ut suprà observavimus, à primo anno Olympiadis CXVII.

Onias Judæorum Pontifex hoc anno detrectat tributum Ptolemæo Regi solvere, quod pro populo majores ejus de suo solebant Syriæ Regi pendere, talenta argenti viginti non solvendo, ad iram commovit Evergetem.

Lætus malis suis Rex, & damnis ditior redditus, sed quasi ad ludibrium tantum fortunæ natus esset, nec propter aliud opes regni recepisset, quàm ut amitteret, bellum Ptolemæo inferens, prælio victus, non multò quàm post naufragium comitatior, trepidus Antiochiam confugit: inde ad Antiochum fratrem literas facit, quibus auxilium ejus implorat, oblatâ ei Asiâ inter fines Tauri montis in præmium latæ opis. (A N. 70. Justin. l. 27.)

Antiochus, cùm esset annos quatuordecim natus, supra ætatem regni avidus, occasionem non tam pio animo quàm offerebatur, arripuit; sed, latronis more, totum fratri eripere cupiens, puer sceleratam virilemque sumit audaciam: unde Hierax est cognominatus, quia non hominis, sed accipitris ritu, in alienis eripiendis vitam sectaretur. Accipitris verò cognomento delectatum fuisse refert Plutarchus. (Idem ibid. De solert. anim.)

Ptolemæus, cùm Antiochum in auxilium Seleuco fratri venire cognovisset, ne cum duobus uno tempore dimicaret, in annos decem cum Seleuco pacem fecit. (Justin. l. 27. c. 2.)

Pax ab hoste data interpellatur à fratre, qui, conducto Gallorum mercenario exercitu, pro auxilio bellum, pro fratre hostem, imploratus exhibuit.

Aradii, qui cum cæterâ Phœniciâ Syriacis Regibus ut amicis obtemperabant, duobus fratribus dissidentibus, Seleuco adhærentes, in has conditiones convenerunt, ut ad se ex regno confugientes recipere liceret, nec tradere invitos; sed nec etiam quidquam injussu Regis enavigare prætermittere: quo privilegio, quasi jure asyli, illi valdè locupletati sunt. (Strabo l. 16.)

Antiochus Asiam fratri extorquere conatus, cum Gallis adversùs Seleucum movit: prælio tandem Ancyræ inter fratres commisso, victor quidem virtute Gallorum Antiochus fuit. Seleucus autem, (Trog. Prob. l. 27. Polyæn. l. 4.)

SELEUC. A N. 70. ut ne amici quidem intelligerent eum cum paucis se fugæ mandare, Amactionis ducis regiæ jam Armigerum se esse simulabat, sumptâ veste ad habitum Armigeri accommodatâ: cùm effugisset, & multitudo equitum peditumque cum eo confluxisset, receptâ stolâ, se ipsum militibus conspiciendum agnoscendumque præbuit, Antiochiamque est reversus.

Idem l. 8. Pysta, quæ aliis Mysta, Seleuci amasia, ab hostibus etiam capta, abjecto regio vestitu, fœminæ pauperrimæ pannis laceris induta, inter captivos venit: ducta in Rhodum cum cæteris mancipiis, confessa est quæ esset: Rhodii, redditâ emptori pecuniâ, splendidè eam ornatam Seleuco Antiochiam miserunt.

Plut. de fraterno amore. Cùm Seleucus clam fugisset, pro mortuo creditus est, nuntioque fratri Antiocho allato, ipse purpuram deposuit, pullâque sumptâ veste, & clausâ regiâ, fratrem luxit. Galli etiam arbitrantes Seleucum Justin. l. 27. in prælio cecidisse, in Antiochum arma vertêre, liberius depopulaturi Asiam, si omnem stirpem regiam extinxissent; quod ubi sensit Antiochus, velut à prædonibus auro se redemit: auditâ deinde fratris incolumitate, Diis rem sacram ob lætum nuntium fecit, civitatibusque sibi subditis, ut sacrificarent & serta gererent imperavit; sed, ubi fratrem contra se exercitum alium colligere accepit, societatem cum mercenariis suis junxit.

Idem l. 41. c. 4. Arsaces, Theodotus, & alii Orientis populi, qui ab imperio Antiochi Dei defecerant, illorum impunitatem fratrum discordia dedit; qui, dum sibi invicem eripere regnum volunt, persequi defectores omiserunt. Inter eos Arsaces, acceptâ opinione Seleucum à Gallis in Asiâ victum, Hyrcanorum quoque regnum occupavit, atque ita duorum regnorum imperio præditus est.

A N. 71. Interea Eumenes Pergami Dynasta, sparsis consumptisque bello intestinæ discordiæ fratribus, quasi vacantem Asiæ possessionem invasu- Strabo l. 13. rus, victorem Antiochum Gallosque agreditur: nec difficilè, saucios adhuc ex superiore congressu, integer ipse viribus, apud Sardes prælio congressus, Antiochum superat, & in fugam vertit. Hæc victoria Seleuco fratri metum incussit.

A N. 72. Idem ibid. Victo Antiocho, cùm Eumenes majorem partem Asiæ occupasset, ne tunc quidem fratres, perdito præmio propter quod bellum gerebant, concordare potuerunt, sed omisso externo hoste, in mutuum exitium, bellum reparant. Seleucus multas copias interim comparaverat, fratremque Antiochum aggreditur; ipse profugit in Mesopotamiam. Itaque eum Armeniorum montes transgressum, Arsaces, cum quo ei Polyæn. l. 4. amicitia intercedebat, excepit. Duces Seleuci Andromachus & Achæus cum infinitis copiis persequebantur, & magno quidem impetu manus conserebant: tandem Antiochus accepto vulnere profugit in montis colles superiores, exercitu sine ordine sub lateribus montis castra metante, famam divulgavit, illum in prælio cecidisse: exercitus verò non exiguam partem noctu colles montis occupare jussit. Sequenti die, Antiochi milites legatos miserunt Philetærum Cretensem, & Dionysium Lysimachæum, certisque conditionibus ejus corpus ad sepeliendum postularunt, seipsos atque arma tradentes. Andromachus

inquit

inquit nondum Antiochi corpus inventum esse, quærerent interiùs in vinculis, se missurum qui arma & milites acciperent. Seleuc. AN. 72.
Venerunt quatuor millia virorum, non ad pugnam faciendam parati, sed ad accipiendos captivos instructi: qui postquàm ad latera montis venissent, hi qui colles occuparant, desuper effusi, magnam eorum stragem ediderunt: Antiochus verò regio habitu recepto apparuit, & viventem & vincentem se ostendens. Sed Antiochus deinde à Seleuco victus est, quem Andromachus Prol. dum in Mesopotamiam usque persequi conatur, à Ptolemæo Ever- Trog. gete captus, in vinculis aliquandiu detentus est. In bello quod inter se fratres repararunt, Plutarchus ait, fratri juniori matrem de fraterauxilium tulisse; licèt dixerit Appianus, eam à Ptolemæi militi- no amore. bus occisam fuisse initio illius imperii.

Antiochus in hâc provinciâ denuò victus est, multorumque dierum AN. 73. fugâ fatigatus, tandem ad cognatum suum Ariarathem Regem Cap- Justin. l. padociæ provehitur. Seleucus, toto fratris exercitu funditùs deleto, 27. acerrimum hostem tandem profligasse lætus, in egregiæ monimentum victoriæ, urbem Callinicopolim, quam unâ Olympiade prius ex scriptorum errore in hâc provinciâ conditam Fasti Siculi indicant, hoc anno ædificavit.

Antiochus cùm primùm ab Ariarathe benignè exceptus esset, inter- AN. 74. jectis diebus, cognito quòd insidiæ sibi pararentur, salutem fugâ quæ- Justin. l. sivit. Igitur cùm profugo nusquam tutus locus esset, ad Ptolemæum 27. c. 3. hostem, cujus fidem tutiorem quàm fratris existimabat, decurrit, memor vel quæ facturus fratri esset, vel quæ meruisset à fratre: sed Ptolemæus, non tam amici debito quàm hostis functus, servari eum in arctissimâ custodiâ jussit.

Laodice Andromachi soror, Seleuco Callinico Antiochum filium AN. 75. peperit, qui in imperio successit Seleuco, fratri natu maximo, & MAGNUS est cognominatus.

Rebus itaque quietis, Seleucus contra Orientis defectores exercitûs AN. 76. ducendi consilium cepit. Arsaces eo audito, illius metu, & Theodo- Idem l. ti Bactrianorum Regis, ingentem etiam parat; sed citò morte Theo- 41. c. 4. doti liberatus, cum filio ejus & ipso Theodoto fœdus ac pacem fecit: AN. 77. nec multò pòst cum Seleuco Rege ad defectores persequendos veniente congressus, victor fuit. Hunc diem Parthi exinde solennem velut initium libertatis observarunt.

Revocato deinde novis in Asiam motibus Seleuco, acceperat forsan AN. 78. Antiochum fratrem è Ptolemæi carcere fugisse; ipse enim operâ cujus- Justin. l. dam meretricis adjutus, deceptis custodibus, elapsus est; sed fugiens l. 27. c. 1. & l. 41. à latronibus interfectus est. Arsaces dato sic laxamento regnum Par- c. 4. thicum format, militem legit, castella munivit, civitatesque firmat.

Olympias, Pyrrhi Epirotarum Regis filia, amisso marito eo- AN. 79. demque fratre Alexandro, cùm tutelam filiorum ex eo suscep- Justin. l. torum Pyrrhi & Ptolemæi, regnique administrationem in se rece- 28. pisset, ab Ætolis partem Acarnaniæ eripere volentibus, ad Regem Macedoniæ Demetrium decurrit, eique habenti uxorem Se-

Seleuc. leuci sororem, filiam suam Phtiam in matrimonium tradit. Factis
A N. 79. itaque nuptiis, prior uxor sponte suâ ad Seleucum discedit, cumque in mariti bellum impellit.

A N. 80. Rhodii terræ motum passi, quo dejectus est Colossus Soli dicatus,
Polyb. l. 5. legatos miserunt ad Civitates & Reges, qui certatim donaria amplissima largiti sunt; inter quos Seleucus, præter immunitatem Rhodiis omnibus concessam, qui in ditionem suam navibus appellerent, præter quinque remes, instructas decem, & mensurarum frumenti ducenta millia, hoc amplius xyli, resinæ, & crinis aliquot dena millia cubitorum, & millena pondo, largitus est.

A N. 85. Seleucus comparato iterum exercitu contra Arsacem movisse vide-
ex Possid. l. 5. tur: Athenæus enim illum à Barbaro captum, diu apud Arsacem commoratum refert, habitumque fuisse regiâ prorsus magnificentiâ &
A N. 86. impensâ, tandemque dimissum pace initâ. Justinus ait: Amisso re-
l. 27. c. 3. gno, equo præcipitatus, finit. Regnavit annos viginti, relictis è
Idem l. 38. c. 5. Laodice duobus filiis, Seleuco & Antiocho, & filiâ, Mithridati V. Ponti Regi nuptâ, cui majorem Phrygiam pater in dotem dedit.



NUMMI SELEUCI CALLINICI.



Ex Musæo nostro.

Caput diademate cinctum: in aversâ parte Apollo nudus stans, dextrâ telum, sinistrâ innixus tripode, cui corona lauri imposita, cum epigraphe ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΕΛΕΥΚΟΥ, id est Regis Seleuci.

Seleucus II. cognominatus est Callinicus; quod nomen per ludibrium ipsi inditum exstimant, quasi nullas obtinuerit victorias: insignem tamen de fratre Antiocho retulit, in cujus memoriam urbem in Mesopotamiâ de suo nomine Calli-

Callinicopolim condidisse indicant Fasti: qui titulus in ejus ex omni metallo nummis non observatur, quòd Reges Syriæ ab initio cognomina posteritati consignare non ita essent solliciti. SELEUC. AN. 86.

De Apolline plura, de illius tripode pauca degustemus. Tripus à machinâ illâ terræ impositâ, unde oracula petebantur, quæ tribus fulcris sustinebatur, nomen accepit. Corona tripodi imposita ex lauro concinnata est: laurus peculiariter Apollini sacra dicitur in memoriam Daphnes Penæi fluvii filiæ, ipsius complexus fugientis, in hanc arborem mutatæ.




Ex Musæo nostro.

Caput diadematum: in aversâ parte Apollo stat, dextrâ telum, sinistrâ arcu innixus, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΕΛΕΥΚΟΥ, id est Regis Seleuci.

Ad Seleucum Callinicum spectat hic nummus; eadem est quæ in superiori effigies, & planè à Seleuco I. dissimilis, plena siquidem Nicatoris facies, Callinici verò macilenta, ut & nasus oblongus conspicitur: ad hæc Seleuci I. numismata exuviis leonis semper sunt insignita.

Apollo, pro tripode in anteriori nummo, hic arcu innixus stat, in Seleuci originis memoriam, aut in Apollinis honorem, ab aliqua civitate, forsan Antiochiâ percussus: illam Callinicus tertiâ parte auxit, unde memores Antiochenses summo honore Apollinem venerati, illum in nummo Seleuci signarunt.



Ex Musæo nostro.

Caput idem juvenile diademate ornatum: in aversâ parte equus cum eâdem epigraphe.

Equus in plurimis Macedoniæ urbium nummis signatur, quòd in hoc regno

 illi

SELEUC. AN. 86. illi in fama & pretio essent: hinc fabulati sunt in Thessalià primum equum ortum fuisse, & primò ibi domitum. Syriæ Reges, qui à Macedonià originem ducebant, generosis equis delectabantur, & optimo pollebant equitatu; quod innuere videtur equus in nummo Seleuci, nisi denotet bellicosum populum, quo symbolo Syro-Macedones egregiam belli fortitudinem demostrarent.

Stella in vertice nummi signata, ad Aradum urbem, cujus insigne & peculiaris nòta est, ut sæpius videbimus, pertinet.



SELEU-

SELEUCUS III.



SELEUCUS III., Seleuci II. & Laodices filius natu maximus, mortuo patre, Asiæ regnum susceptit : ipse à D. Hieronymo & ab aliis Ceraunus appellatur. Cùm audiret patrem ab Arsace detentum, cum Antiocho fratre, ipsius ultione, & spe victoriæ provocatus, exercitu congregato, arma corripuit; sed accepto ejus mortis nuntio, ipse ad regni moderationem se convertit : Antiochus verò ad superiora Asiæ transiit, Babyloniæque moratus est. Hieron. in Dan.

Rex ut audivit Attalum Pergamenum loca omnia quæ sunt citrà Taurum montem in Asiâ, suæ ditioni subjecisse, ipsi protinus bellum inferre decrevit, copiasque comparavit. Rebus itaque consulendum ratus, Hermiæ è Cariâ oriundo ad rerum curam admoto, fide ejus fretus, regnum commendavit, maximisque viribus contra Attalum secundo imperii sui anno Taurum transgressus est. Illum Achæus, Andromachi filius, & Laodices Seleuci conjugis frater, propter jus cognationis ad hoc bellum comitatus est. AN. 88. Polyb. l. 4. Idem l. 5.

Per aliquod tempus protrahi bellum videbatur, cùm Seleucus, qui nec valetudine firmus nec opibus, exercitum in officio continere non posset, dolo ab amicis Apaturio Galatâ & Nicanore appetitus, veneno in Phrygiâ sublatus est. Illius cædem Achæus ulciscens, ut Seleuci cognatus, Apaturium & Nicanorem trucidavit : copias verò AN. 89. App. Syr. Polyb. l. 4.

SELEUC. AN. 89. & res universas cùm prudentiâ tùm magnitudine animi singulari administravit; nam cùm diadematis capiti imponendi occasionem nactus, accederet etiam populorum voluntas regnum illi certatim deferentium, ipse inclinare in eam partem noluit; sed Antiocho juniori, Seleuci fratri, imperium conservans, per omnes Hier. in Dan. regiones bellum circumferens, quidquid cis Taurum fuerat amissum, recepit.

Exercitus, qui erat in Syriâ, Antiochum ad regnum de Babylone vocavit; & Epigenes, qui Seleuci copiis præerat, illas in Polyb. l. 5. Syriam reduxit. Seleucus regnavit ex Porphyrio & Eusebio annos tres: an habuerit uxorem, incertum est.

NUMMI SELEUCI CERAUNI.



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput diadematum: in aversâ parte Apollo ut in aliis sedens, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΕΛΕΥΚΟΥ, id est REGIS SELEUCI.

Hieron. in Dan. SELEUCUS III. Callinici filius, cognominatus est CERAUNUS; sed unde illi à celeritate nomen, an ut Parthis terrorem incuteret, qui captum in prælio patrem detinebant, contra quos exercitum ducere parabat. Id cognomen in nullis hujus nominis Syriæ Regum nummis hactenus inspeximus; quem tamen ad Ceraunum revocare placet, cujus conjecturæ testis, una ipsius Seleuci agnitio, quæ ex aliis nobis superest: cæteri enim aut literis numeralibus, aut aliquo cognomine ab aliis distinguuntur.

De Apolline jam plura, ideo explicatione non indiget. Hic Seleuci nummus inter rariores reponendus.

ANTIO-

ANTIOCHUS III.

SELEUC. A N. 89.



ANTIOCHUS III., Seleuci II. & Laodices filius, Seleuco fratri successit adhuc impubis & puer annorum quindecim: ob res præclarè gestas MAGNUS cognominatus est. Regnum defectoribus plenum aggressus, omnem citra Taurum provinciam Achæo commendavit, Mediæ Molonem, & fratrem ejus Alexandrum Persidis Satrapam constituit; Hermiæ, quem Seleucus III. regno præfecerat, summum aulæ moderamen concessit. Polyb. I. 5.

Achæus, subacto multis cladibus Attalo, quidquid fuerat amissum recepit, illumque inter paterni regni fines compegit: regionibus cis Taurum dominans, non speciem solùm regiam, & potentiam obtinebat. A N. 90. Polyb. 1. 4.

Duo fratres Molo & Alexander, Antiochi Regis pueritiam aspernati, spe etiam illa ducti, quasi Achæus consilia cum ipsis esset consociaturus, præcipuè autem calumnias & crudelitatem Hermiæ veriti, deficiendi, & Satrapias suas ab Antiocho avertendi, consilium inierunt. Rex cum suis de defectione Molonis & Alexandri consilium cepit, quomodo illorum defectioni esset occurrendum, jussitque ut ex animi sententiâ quisque diceret. Omnium primus Epigenes censuit non contemnendam sibi eam rem videri, sed appropinquare Regem iis locis oportere, ut ipse præsentiæ suæ majestate exorientem nubem dissiparet. Tum indignatus Hermias, perfidiæ insimulavit Epigenem, A N. 91.

 quasi

SELEUC. quasi corpus regium in manibus conspiratorum ponere studuerit; censuitque Regi periculosum, copias adversus Molonem ducere, sed in
AN. 91. Ptolemæum summâ celeritate ducendum putaret exercitum ad Cælesyriam recuperandam. Igitur adversus Molonem duces Xenon & Herodotus Hemiolius mittuntur; Antiochum autem Hermias hortatus est, ut mox res Syriacas aggrederetur, id satagens, ut Regi quamplurimis curis implicito necessarium se redderet, & præsentem authoritatem non amitteret.

Interea Hermias fingit epistolam quasi ab Achæo missam, eamque Regi offert, quâ significabat Achæus sollicitari se à Ptolemæo ut imperium sibi vindicet; polliceri Ptolemæum naves, pecuniam, omnia incœpto necessaria, si modò diadema assumeret, & palam ejus imperii insignia sibi arrogaret, quod reipsâ obtineat, quantumvis ipse sibi titulum invidens, oblatam à fortunâ coronam respiciat. Iisis literis Rex fidem habens, prompto pronoque animo erat ad suscipiendam in Cælesyriam expeditionem.

AN. 92. Antiochus inter hæc, dum ad Zeugma agebat, Seleuciam advenit Diognetus dux classis, ex partibus Cappadociæ ad Euxinum, Laodicen Mithridatis Regis filiam ducens, virginem matrimonio Antiochi destinatam. Rex quanto par erat comitatu obviam progrediens, cum ingenti clientum turbâ virginem excipit, ac statim magnifico regioque omnium rerum apparatu nuptias celebrat. Peractis nuptiarum solennibus, Rex Antiochiam venit, ibique Laodicen salutari Reginam jussit, totusque se deinde ad bellum comparat.

Eodem tempore Molo, præparatis ad omnia populorum præfecturæ suæ animis, quà commodorum spe injectâ, quà metu proceribus incusso, productis ad ipsum epistolis Regis minarum plenis, & falsis; habens etiam promptum ad omnia coadjutorem fratrem Alexandrum; proviso denique ne quid è proximis provinciis metuendum haberet, benevolentiâ eorum qui inter cæteros eminebant, largitionibus sibi conciliatâ, adversus regios duces cum magno exercitu est profectus. Xenon & Theodotus, ejus adventu perturbati, intra urbes se recipiunt. Molo, Apolloniatico potitus agro, commeatibus omnis generis abundabat, jam formidabilis propter regni magnitudinem, principiò Seleuciam obsidere, Tigri trajecto, est conatus; deinde quominus copias transmitteret à Zeuxide qui fluviatiles omnes naves occupaverat, impeditus, ad castra, quæ vocant Ctesiphontem, concessit, ibique necessaria exercitui ad hibernandum comparavit.

Antiochus, auditis Molonis successibus, & fugâ ducum suorum cognitâ, paratus quidem erat, omisso Ptolemæo, exercitum adversus Molonem ducere: sed Hermias pernegat Regis majestati convenire,
AN. 93. ut ipse præsens cum perduellibus manus conferat. Igitur Xenætas Achæus Hermiæ consilio mittitur, cui exercitus & summum imperium attribuitur. Juvenem Regem Hermias habens in potestate, pergit ire, & Apameæ copias cogit, inde Laodiceam castra movet, unde profectus cum exercitu Rex, desertum emensus per convallem Marsyam nomine, inter Libanum & Antelibanum sitam, quibus montium fauci-

faucibus hinc castellum imminet Brocchi, inde Gerra quam pervenit: hanc urbem Theodotus Ætolus, cui fides erga Ptolemæum adhuc constabat, diligenter munierat, ei vim facere Antiochus principiò instituit; sed quia propter locorum munitissimam naturam plus ipse detrimenti accipiebat, quàm hosti inferebat, incœpto destitit. SELEUC. AN. 93.

Xenætas, qui contra Molonem profectus, Seleuciam castra moverat, Diogene accito Susianæ Præfecto, & Pythiadâ, Tigrim amnem pro munimento habens, in conspectu hostium consedit: multi flumen transnatantes, è castris Molonis ad Xenætam veniebant, affirmantes, si copiæ amnem trajicerent, universum Molonis exercitum ad partes ipsius esse inclinaturum: nam & Moloni plerosque invidere, & multitudinem egregiâ cumprimis erga Regem esse voluntate. Hac persuasione inflatus Xenætas, amnem transire statuit: ex universo exercitu fortissimos quosque equites peditesque legit, ac relictis ad tuitionem castrorum Zeuxide & Pythiadâ, decem ferè millia passuum infra Molonis castra silentio noctis prætergressus, postquam sine periculo navibus impositas copias trajecisset, nocte eâdem opportunum castris locum cepit, qui hostibus imminebat, ibique consedit. Molo, re intellectâ, equitatum in hostem mittit, partim ut transitu eos impediret, partim ut jam transgressos funderet: at Xenætas sperans defecturas ad se Molonis copias, hosti jam proximus, metatur castra: tum verò Molo, ut imperatoriâ arte hostem falleret, relictis in castris impedimentis, noctu inde discessit, itinere versùs Mediam facto. Xenætas, occupatis hostium castris, suos ut bono animo essent, optimamque de futuris spem haberent, hortatus est, utpote jam in fugam converso, & in summâ rerum desperatione constituto Molone. Quæ cùm dixisset, curare singulos corpora jussit, paratosque in posterum diem esse ad hostem insequendum. Multitudo, auctis animis, & omni genere prædæ referta, ad crapulam se ebrietatemque convertit: Molo verò, postquam opportunum locum nactus, cœnâ militem refecisset, converso mox itinere in hostes redit, quos cùm somno vinoque sepultos reperisset, summis viribus sub auroram adoritur. Xenætas novitate rei perterritus, cum paucis impetu in hostes facto, profligatur, dormientium magna pars in ipsis castris trucidantur, reliqui in flumen se projecerunt. Molo, castris hostium potitus, Seleuciam cum exercitu venit; hâc quoque impetu primo captâ, Zeuxis aufugerat, & Diomedon Præfectus illius perterritus hanc dereliquerat; & peragratâ provinciâ, civitates nemine resistente, in fidem accipit. Post hæc totius Babyloniæ, & locorum omnium qui sunt circa Mare Rubrum, præfecturam consecutus, Susa contendit, & urbem quidem mox debellavit; arcem verò, in quam Diogenes dux se receperat, cùm frustra tentasset, Seleuciam ad Tigrim remigravit: ibi summâ curâ resocillato milite, multitudinem adhortatus, ad reliqua sua consilia exequenda perrexit, & in regione quidem ad amnem sitâ, omnia usque ad Europum urbem occupat, in Mesopotamiâ verò omnia usque ad Dura.

Antiochus de Xenætæ interitu, & Molonis victoriâ, certior factus, propriis rebus consulendum putavit; spei de Cælesyriâ conceptæ re-

L nun-

SELEUC. A N. 93. nuntians, ad bellum istud omnem convertit impetum. Convocato iterum concilio, Epigenes sermonem denuò occupans, oportuisse ait jam antè usos consilio, quod ipse dederat, non cunctari, nec procrastinatione uti, & hortari ut in ejus belli curam Rex incumberet. Hermias incœpto persistens, Regem obsecrabat, ne tam imprudenter recipiendæ Cælesyriæ spem desereret; offendit apud multos, ipsi quoque Antiocho molestus: probatâ Epigenis sententiâ ut magis necessaria & utiliora suadentis, decretum est bellum contra Molonem gerendum esse, & ut Rex ipse copias adversùs ipsum duceret: ibi tum Hermias totum sese ad sententiam aliorum componere, fierique repente alius. Apameæ congregato exercitu, cùm fortè seditio quædam inter milites orta fuisset propter reliqua stipendiorum non depensa, perculsum animo regem nactus Hermias, sedaturum se militum animos promisit, si modò concederet sibi Rex, ne huic expeditioni interesset Epigenes. Rex, etsi Epigenem consilio atque industriâ plurimùm in rebus bellicis pollere didicerat, circumventus tamen ab Hermiâ, & præoccupatus à fisci administris, custodibus, & cubiculariis, sui juris non erat: quamobrem præsentibus malis medendum ratus, confestim Epigenem dimisit Apameam.. Exercitus postulata sua consecutus, Hermiæ favebat. Soli Cyrrhestæ numero circiter sex millia, factâ seditione, à Rege defecerunt, & multas aliquandiu molestias Regi exhibuerunt, donec victi tandem ab aliquo è regiis ducibus, plerique perierunt. Interea Hermias operâ usus est Alexidis, qui tum arci Apameæ præerat, qui confictis literis tanquam à Molone ad Epigenem missis, insontem occidit. Antiochus ut ad Euphratem venit, assumptis viribus quæ ibi erant, castra inde movit: cùmque ad Antiochiam in Mygdoniâ pervenisset, ibi substitit, donec desæviret hiems.

A N. 94. Rex inde profectus quadragesimo pòst die, Libam venit. Eo loci cùm Rex suos consuleret quâ viâ adversùs Molonem esset pergendum, qui erat in tractibus Babyloniæ vicinis, censebat Hermias secundùm Tigrim esse progrediendum, ità ut pro munimento exercitui essent tum hic, tum alii duo amnes, Lycus & Kaptos. Zeuxis, etsi quominus liberè suam proferret sententiam, tristissimo Epigenis exitu terrebatur; quia tamen Hermiæ consilium erat cum manifesto errore conjunctum, dicere ausus est Tigrim omnino esse trajiciendum: primò quòd si hostes locum Fossam Regiam dictum præoccuparent, nullâ ratione trajicere essent valituri; contra si Tigrim trajicerent, nequaquam dubium esse quin Apolloniatidis regionis incolæ, pœnitentiâ ducti, Regem ad se vocarent, jam non voluntate, sed necessitate ac metu Molonis: neque porrò ambigendum esse, quin propter soli ubertatem omni genere commeatuum exercitus esset abundaturus: postremò Molonem, ubi interclusus ei foret reditus in Mediam, & omnis commeatus ereptus, coactum iri ad dimicandum descendere; aut si prælium detrectaret, sine morâ copias ejus universas mutatis animis ad spes Regis esse respecturas. Zeuxidis laudatâ sententiâ, confestim exercitu trifariam diviso, tribus locis copias cum impedimentis flumen trajecerunt; & versùs Dura Antiochus cum copiis profectus,

fectus, obsidionem ejus urbis, quam scilicet unus ex Molonis ducibus obsidere cœperat, repentè dissolvit; deinde octavo die Orico monte superato, Rex Apolloniam pervenit. SELEUC. AN. 91.

Molo, cognito Regis adventu, ne reditus in Mediam sibi intercluderetur, Tigrim ponte statuit jungere, & copias transmittere, ut prior montana regionis Apolloniatidis occuparet, quòd in funditorum, qui nominantur Cyrtii, multidudine magnam fiduciam poneret. Postea, appropinquantibus utrinque copiis, accidit ut quæ fuerant præmissæ delectorum manus, in quibusdam jugis sibi invicem occurrerent. Hi primò lacessere sese mutuò, ac pugnam conserere; deinde ubi propiùs ambo exercitus accesserunt, è conflictu discessere, ac tum quidem ad suas legiones reversi quinque millium intervallo, metantur castra. Molo quàm periculosæ & ancipitis res sit aleæ reputans, ut rebelles cum Regibus suis interdiu & fronte rectà congrediantur, nocte adoriendum sibi Antiochum esse censuit. Delectis igitur fortissimis, occultis quibusdam callibus eos circumducit, ut de superiore loco impetum in hostem faceret: verùm ubi in itinere intellexit decem juvenes ad Antiochum transiisse, ab incœpto desistens, & sub lucem primam in castra reversus, inopinato adventu suis terrorem injecit. Postero die Rex copias educit, & ad prælium evocat: in dextro cornu primò Xystophoros locat, duce imposito Ardye, viro in bellicis rebus egregià virtute cognito: his proximos admovet Cretenses: adhærebant istis Galatæ Tectosages, deinde ad horum deinceps latus applicuit peregrinos ex Græcià mercede conductos: post omnes sequebatur agmen phalangis, dispositis cohortibus ad instar priorum. Lævum cornu equitibus dedit, quos Hetæros, sive Regis socios vocitant: elephantos (ii erant numero decem) ante aciem per intervalla collocavit: subsidiarias verò manus, quà peditùm, quà equitum, in cornua distribuit; & ut hostem, ubi semel inchoata pugna fuerit, circumirent, præcepit: ordines deinde interequitans, paucis pro tempore militem est cohortatus: lævum cornu Hermiæ & Zeuxidi tradidit, ipse in dextro curabat. At Molo, propter consternationem animorum, quæ præcedente nocte erat versata, confusè ac perturbatè aciem struere ad formam aciei hostilis propter duas rationes accommodans, equites in cornu utrumque dividit: scutatos, galeatos, & quod erat gravis armaturæ, medio inter equites loco statuit: præterea sagittarios, funditores, & id omne genus leviter armatorum, ultra equites ad dextram & sinistram circumfudit: falcatos currus ante aciem in spatio collocavit, sinistrum cornu Neolao fratri commisit, dextrum ipse tenuit. Post hoc, procedente paulatim utroque exercitu, dextrum quidem Molonis cornu fidem servavit, magnoque ac forti animo impetum in Zeuxim fecit; lævum verò cornu, simul atque in conspectum Regis ventum est, transitionem fecit. Molo, postquam proditum se à suis, & circumclusum ab hostibus vidit, mortem sibi conscivit. Neolaus, ubi pugnà evasit, & in Persidem ad Alexandrum fratrem pervenit, matrem & Molonis liberos obtruncat, dein super mortuorum cadaveribus ipse se jugulat, postquam Alexandro persuasisset, ut ipse quoque idem faceret. Rex,

 direptis

SELEUC. AN. 94. direptis hostium castris, Molonis corpus loco totius Mædiæ conspicuo jussit in crucem tolli: delatum namque cadaver in Chalonitidem regionem in ascensu Zagri montis affixum est; rebellem exercitum Rex duris verbis increpitum, in fidem datâ dextrâ recipit; & in Mediam misit, qui res ejus provinciæ ordinarent.

Seleuciam Antiochus è superiore regni tractu regressus, circumjacentium præfecturarum statum componit: pari mansuetudine ac prudentiâ Hermias Seleucenses variè criminatus, mulctæ nomine mille talenta à civitate exigere; Diganes (id magistratus apud illos est nomen) in exilium pellere, in multos civium mutilatione membrorum, cædibus ac tormentis sævire; quæ mala Rex ægrè tandem, modò iram Hermiæ verbis leniens, modò pro arbitrio suo quædam disponens, mitigavit, contentusque Seleuciensium errorem centum quinquaginta talentorum mulctâ castigasse, in pristinum statum eam restituit. His rebus peractis, Diogenem Mediæ Præfectum, Apollodorum Susianæ reliquit; Tychonem in proxima Rubro mari loca misit. Ac Molonis quidem rebellio, quique illam est insecutus superiorum Asiæ præfecturarum motus, hac animadversione sopita est, omniaque in hunc modum sunt composita.

Antiochus successu læto rerum suarum ferox, minis terrere, ac metum injicere volens barbarorum populorum Dynastis, qui provinciis suis imminentes, earum fines attingebant, ne in posterum auxilia vel commeatum rebellibus suis subministrarent, expeditionem adversus eos suscipiendam sibi duxit: omnium autem primum Artabazanem, qui Atropatios dominio obtinebat, aggredi statuit. Eo tempore Regem filio esse auctum, nuncii attulerunt. Hermias, qui ut arma in Ptolemæum verterentur optabat, eò lubentiùs ad eam expeditionem consensit, persuasus, si Antiocho aliquid humanitus contingeret, tutorem se infantis futurum, & omne imperium in suâ potestate habiturum. His ita constitutis, Zagrum montem superant, & in ditionem Artabazanis impressionem faciunt. Hoc regnum inde à Persarum temporibus durabat, tempestate Alexandri Magni neglectum. Artabazanes Regis adventu perterritus, maximè propter ætatem jam decrepitam, vi majori cedendum ratus, cum Antiocho pacem quibus ipse voluit legibus, fecit.

Hac pace firmatâ, Apollophanes Medicus, Regi dilectus, illum monere ausus est, ut ab Hermiâ sibi caveret: Antiochus, qui & ipse jam graviter ferre & formidare Hermiam cœperat, Apollophanis consilium probavit, eumque hortatus est, ut non modò verbis, verùm etiam operibus suæ amicorumque saluti provideret. Apollophane paratum se ad omnia asserente, tale quiddam machinati sunt. Simulant Regem vertigine quâdam laborare: ad paucos dies familiam, & eos qui circa Regem stationes obire soliti erant, dimittunt; ita cùm Regem amici pro se quisque inviserent, conveniendi separatim quoscumque vellent illorum, opportuna fuit occasio. Præparatis igitur illis qui ad hoc inceptum idonei esse videbantur, cùm propter Hermiæ odium haud difficulter omnes consentirent, destinata pergunt exequi: Antiocho imperant Medici, ut luce primâ, dum adhuc frigidior est

est aër, prodeat ambulatum: ad constitutam horam præsto est Hermias, & unà cum eo quotquot ex amicis participes consilii facti fuerant; à reliquis cessatum est, quia multò maturiùs Rex quàm pro solito more exibat. Hoc pacto Hermias è castris abducitur in locum quendam; deinde ubi paululùm ex itinere velut necessitatis cujusdam causâ deflexisset, à circumstantibus confoditur. Hoc modo vitam finivit Hermias, supplicium perferens sceleribus suis. Rex deinde domum reducere constituit exercitum. Provinciales omnes factum laudabant, quòd Hermias ab administratione summotus esset: quo etiam tempore Apamensium uxores, Hermiæ uxorem, liberi liberos, lapidibus obruerunt. SELEUC. AN. 94.

Achæus, cùm bellum à Rege cum Artabazane gerebatur, postquam Attalum in urbem Pergami conclusisset, omniaque circùm loca in potestatem suam redegisset, & cum Ptolemæo Philopatore consiliorum societatem iniisset, cogitans fieri posse, ut in eâ expeditione aliquid humanitus Antiocho eveniret; aut etiam ut id non esset, sperans facile sibi esse propter ingens locorum intervallum, in Syriam priùs irrumpere, quàm ille reverteretur, & Cyrrhestis qui à Rege defecerant adjuvantibus regnum illud celeriter obtinere, è Lydiâ cum universo exercitu fuerat profectus. Laodiceam Phrygiæ ut ventum est, diadema capiti imposuerat, nomen regium tum primùm assumens, & cùm legatis cæterisque responsa dabat, & cùm ad civitates scribebat, Syniride exule præ cæteris ut id faceret ipsum impellente. Mox itinere aliquandiu continuato, ubi jam Lycaoniæ appropinquabat, seditio in exercitu est orta, ægrè ferente milite duci se ad bellum gerendum contra eum, quem sibi Regem natura dedisset. Itaque Achæus, qui vertisse in contrarium voluntates ipsorum sentiret, conatis absistit; atque, ut armatis suis persuaderet de invadendâ Syriâ nihil unquam à se fuisse cogitatum, mutato itinere Pysidiam populatur. Hac ratione ditato exercitu, conciliatâ sibi benevolentiâ ac fide militum, reversus est domum.

Antiochus, dimissis in hiberna copiis, nuncios ad Achæum cognatum suum mittitat, fidem illius primò accusans, quòd diadema capiti imponere, & Rex salutari ausus fuisset: deinde quòd palam Ptolemæi partes sequeretur. Tum paratis quæ ad bellum contra Ptolemæum gerendum necessaria videbantur, copias omnes Apameæ congregat; & consilio Apollophanis Medici, Seleuciensis genere, urbem Seleuciam recuperare primo vere statuit. Ea urbs Regum Ægypti præsidiis tenebatur, à tempore quo Ptolemæus Evergetes, propter casum Berenices Seleuco Regi iratus, bello Syriæ illato, eâ urbe potitus est. Antiochus Diogneto Navarcho mandat ut ad Seleuciam classe navigaret: ipse Apameâ cum exercitu profectus, stadiorum fermè quinque intervallo ab urbe juxta Circum signa constituit. Missus est Theodotus Hemiolus cum idoneâ manu in Cælesyriam, jussusque à Rege fauces occupare, & illi regioni præsidere. Seleucia in littore maris Mediterranei ad Orontis ostia sita est. Antiochus priusquam quicquam moliretur, in urbem misit, qui principibus viris pecuniam offerrent, si modò urbem absque certamine traderent; & AN. 95.

M eùm

SELEUC. AN. 95. cùm illos flectere non posset, eorum qui per partes curabant, nonnullos corrupit. Exercitu trifariam diviso, propositis voce præmiis, suos cohortatus est. Zeuxidi cum ipsius commilitonibus portam quà itur Antiochiam, attribuit: Hermogeni loca proxima fano Castoris & Pollucis: Ardyem & Diognetum ab eà parte ubi navale erat & suburbium, irruptionem facere præcepit. Convenerat enim hoc ferè modo inter Regem & proditores, ut si per vim caperetur suburbium, urbs illi mox esset tradenda. Ubi datum signum fuit, omnes simul undique acriter magnâque vi irruêre: eximiâ tamen præ cæteris audaciâ irruptionem conati Ardys & Diognetus. Itaque cùm miles è classe navalia, Ardys suburbium scalis applicitis acerrimè invaderent, nec possent oppidani opem ferre, quia ab omni parte hostes urgebant, postquam esset aliquandiu pugnatum, in Ardyis potestatem suburbium devenit: quo occupato, confestim duces illi à Rege corrupti, ad Leontium, penes quem summum erat imperium, accurrunt, & ut ad Antiochum legati de pace mittantur, priusquam per vim urbs expugnetur, postulant. Leontius, qui fraudem suorum ducum ignorabat, consternatione illorum perterritus, misit ad Antiochum, qui pro securitate omnium qui in urbe erant, paciscerentur. Rex, acceptis conditionibus quæ offerebantur, liberis nihil se nociturum pollicetur: erant autem hi ad ↀↀ CIↃ. Traditâ autem urbe, non liberis solùm pepercit, sed etiam restitutis in patriam civibus qui in exilium pulsi fuerant, & leges suas civitati, & suas cuique privatorum facultates reddidit; portum verò & arcem præsidiis firmavit.

Erat adhuc in his Rex occupatus, cùm literæ à Theodoto illi afferuntur: is Ætolus erat, Ptolemæi præfectus, & ante biennium à Syriâ fortiter Antiochum repulerat; nunc autem, contempto Rege Ptolemæo ob injuriam quandam, & aulicis diffidens, occupatâ per se Ptolemaïde, per Panætolum Tyro, aliasque urbes quas obtinebat, Antiocho tradere paratus erat. Eo nuntio accepto, hærere ac fluctuari dubius animi Rex, tandem expeditione adversùs Achæum in aliud tempus dilatâ, cum exercitu profectus, eandem quam antè convallem Marsyam emensus, ad lacum qui montes interjacet, cum copiis insedit. Ibi cognito Nicolaum Ptolemæi ducem Ptolemaïdem obsidere, in quâ Theodotus esset inclusus, relictâ gravi armaturâ, datoque ducibus negotio, ut Brocchi castellum situm in ipso prope lacum transitu obsiderent, ipse cum expeditis militibus ad eximendam obsidione Ptolemaïdem iter intendit. Nicolaus, qui Regem adventare famâ nunciante jam antè didicerat, castra movet, ac Lagoram Cretensem cum Dorymene Ætolo ad occupandas fauces prope Berytum mittit: in hos statim ducit Antiochus, manus conserit, terga vertere hostes cogit, & mox in istis faucibus castra metatur. Eo loci copiis cæteris acceptis, cum universo exercitu ire pergebat. Processerunt illi obviam Theodotus & Panætolus amicis suis comitati; quos omnes cùm benignè Antiochus appellasset, Tyrum & Ptolemaïdem illi tradiderunt cum omnibus apparatibus qui in oppidis illis erant. Inter cætera ibi repertæ sunt naves quadraginta, quarum erant viginti tectæ, omnibus armamentis egregiè instructæ: harum nulla minor

fuit

quadriremi; cæteræ, triremes, dicrota, & celoces: & hæ quidem naves Diogneto Navarcho sunt traditæ. SELEUC. AN. 95.

Rex factus certior Ptolemæum Memphim concessisse, copias Pelusii esse congregatas, Nili aggeres recludi, omnes aquæ dulcis scaturigines obrui, mutatâ sententiâ de exercitu ducendo versùs Pelusium, quoquoversum agmen ductans, urbium alias vi, alias æquitate conditionum, sibi adjungere: igitur quæ leviter munitæ erant, hæ illius adventu perterritæ, ad ejus amicitiam fidemque se applicabant. Rex volens Damascum in suam potestatem redigere, quam Dinon Ptolemæi dux cum præsidio tenebat, præcepit exercitui atque universæ regioni ut convivium Persicum summâ celebritate obirent; mandavitque omnibus principibus, ut copiosum afferrent convivii apparatum, in quo celebrando cùm prorsus occuparetur cum omnibus suis, Dinon audito celebritatis luxu, aliquantum de excubiarum diligentiâ remisit: Antiochus autem imperans ut concoctum frumentum ad quatuor dies secum portarent, duxit exercitum per solitudinem & vias obscuras ac præcipites, atque ex improviso irruptione factâ, cepit Damascum. Polyæn. l. 6.

Ptolemæus, subveniendi rebus suis, & accedendi propiùs ad hostem, sicut par erat ipsum facere manifestâ adeò perfidiâ appetitum, ne consilium quidem aut rationem ullam præ socordiâ inibat, usque adeò rei militaris cura atque exercitatio omnis ab eo fuerat spreta. Sosybius & Agathocles, quibus regni habenas Ptolemæus commiserat, decernunt in præparatione belli operam sibi naviter esse ponendam: interim verò legatos ad Antiochum mittendos censent, qui impetum illius relaxent: ita denique omnia in speciem esse comparanda, ut Antiochus in eâ quam conceperat de Ptolemæo opinione confirmetur; nunquam videlicet ausurum ipsum bellare secum, verùm per amicos & colloquia acturum, & ut Cælesyriâ excedat rogaturum. Hæc ubi placuit sententia, Agathocles & Sosybius ad Antiochum de pacis conditionibus miserunt; quinetiam Rhodios, Cyzicenos, Byzantios, & Ætolos sollicitant ad procurandam inter Ptolemæum & Antiochum pacem, cùm è vestigio legationes ad utrumque Regem mitterentur: facta est interea Ægyptiis opportunitas parandi quæ ad bellum necessaria forent. Antiochus interim urbem Phœniciæ Dora obsidione premebat; cujus incœpti cùm exitum nullum videret, appetente jam hyeme, missis à Ptolemæo legatis demùm annuit, ut & induciæ ad menses quatuor fierent, & de summâ re ad conditiones æquissimas se descensurum diceret. Hoc autem ille faciebat cùm longè ab eo abesset, ut veram animi mentem prodiret: sed qui diutiùs à ditione suâ abesse nollet, Seleuciam exercitum reducere ad hibernandum properabat. Jam enim manifestum erat rebus ipsis struere insidia Achæum, à quo Ptolemæum adjuvari nemo dubitabat. Polyb. l. 5.

Factis induciis, legatos emittit Antiochus, jubetque ut quid Ptolemæo videretur, statim renuntiarent, sibique ad Seleuciam occurrerent; ipse relicto in locis illis præsidio, & rerum curâ Theodoto commissâ, exercitum versùs Seleuciam duxit: & cùm legati in sermonem de pace descendissent, Rex nihil à se nisi jure factum affirmabat; Antigonum enim Coclitem, & Seleucum Nicatora, qui

Seleuc. primi ea loca occupaverant, verissimos ac justissimos dominos
AN. 95. fuisse aiebat, quamobrem ad se, non ad Ptolemæum, Syriæ regnum hæreditario jure pertinere, quippe Ptolemæum Lagi filium contra Antigonum pugnasse non sibi, sed Seleuco eorum locorum imperium quærentem. Præterea communem omnium Regum concessionem in medium afferebat: nam quo tempore, superato Antigono, dividere inter se regna Cassander, Lysimachus, & Seleucus voluerunt, Seleuco esse omnem Syriam judicavère. At legati Ptolemæi his contraria afferre conabantur: aiebant enim Ptolemæum Lagi filium unà cum Seleuco adversùs Antigonum gessisse bellum, ut totius Asiæ imperium Seleuco vindicaret, Syriam verò & Phænicem sibi adsciceret; ideoque, & in proditione Theodoti, & in hostili profectione Antiochi in Syriam, omnino injuriam factam esse contendebant: ad extremum re infectâ legati discessère. Maximam verò utrisque difficultatem afferebat Achæi negotium: nam Ptolemæo id summo studio agente, ut fœderibus comprehenderetur, Antiochus contrà, ne fieri quidem mentionem ullam omnino ejus rei ferre poterat, rem esse indignam clamitans, audere Ptolemæum rebelles protegere, aut cujusquam illorum meminisse.

AN. 96. Ineunte vere Antiochus copias suas cogit, veluti terrâ marique hostem aggressurus, & reliquas Cælesyriæ partes nondum subactas redacturus. Nicolaus Ptolemæi dux, acceptis copiis & commeatu, qui Gazam adfatim convehebatur, audacter bello se accingit, adjuvante Perigene, quem classi Ptolemæus præfecerat. Nicolaus genere Ætolus erat, qui usu bellicarum rerum, & audaciâ, nemini eorum ducum, qui Ptolemæo tunc militabant, concedebat. Hic præoccupatis angustiis quæ sunt circa Platanum Phœniciæ urbem, cum reliquo exercitu Porphyreonem profectus est, ut ingressum Antiochi impediret, navalibus copiis, tectis quidem navibus triginta, onerariis verò ampliùs quadringentis adjuvantibus. Antiochus Marathum progressus, cùm ad eum Aradii venissent de societate acturi, non solùm accepit illos in societatem, sed etiam controversiam quæ insulanos Aradios & eos qui continentem habent, invicem antea alienabat, sedavit, atque ut inter se concorditer viverent effecit: deinde per eum locum, quem Θεοῦ πρόσωπον vocant, Syriam ingressus, Berytum venit, & in transitu Botrym occupavit, Trierem & Calamum incendit; Nicarchum inde & Theodotum præmisit ad angustias, quæ sunt circa Lycum fluvium, præoccupandas; ipse cum reliquis copiis profectus, juxtà Tamyram fluvium castrametatus est, Diogneto præfecto classis haud procul navigante. Hic rursus assumptis secum Theodoto & Nicarcho cum eâ expeditorum manu quam habebant, fauces quas Nicolaus præoccupaverat, speculatum est profectus, naturâque locorum probè inspectâ, in castra se recepit. Nicolaus, cùm loca illa ubi Libanus mons brevem difficilemque juxta mare viam relinquit, muniisset, facilè arcere se posse Antiochum existimabat. Rex, divisis in tres partes copiis, (unam enim partem Theodoto, addito præcepto ut secundùm Libanum montem hostem peteret, manum consereret, per-

rum-

rumperet denique; alteram Menedemo, cui imperavit ut per medium Seleuc. flumen tentaret tranſitum; tertiam Diocli, qui Parapotamiæ ad Euphratem A N. 96. præfecturam obtinebat, aſſignaverat, ad res mari gerendas reſervavit:) ipſe, cum prætoriâ ſuâ cohorte medius inter omnes ſtetit, ut & cuncta aſpiceret, & opem ferre laborantibus poſſet. Simul & Diognetus & Perigenes navales copias ad pugnam direxerunt, terræ, quantùm fieri poterat, appropinquantes, & ut terreſtris navaliſque prælii una duntaxat facies appareret connitentes. Mox cùm omnes uno dato ſigno ingreſſi eſſent, mari quidem pugnæ diſcrimen æquabatur : terrâ verò licèt principiò ſuperior eſſet Nicolaus, locorum præſertim naturâ eum adjuvante, mox tamen poſtquam Theodotus ſtationem in monte locatam vi dejecit, pervaſitque, & è ſuperiore loco impetum in hoſtes fecit, Nicolaus cum ſuis fugam capit. Circiter duo millia eorum inter fugiendum ſunt cæſa, nec pauciores vivi ſunt capti, reliqui Sidonem ſe recipiunt. Perigenes Navarchus, conſpectâ terreſtrium copiarum clade, retrò ipſe concedens Sidonem petit.

Antiochus cum exercitu profectus, ad Sidonem ſigna conſtituit; urbis tamen oppugnationem non ſibi cenſuit eſſe tentandam : aſſumptis igitur legionibus Philoteriam ducit; Diogneto verò Navarcho dat negotium, ut claſſe Tyrum appellat. Philoteria ad lacum ipſum eſt ſita, quem Jordanis amnis influit, qui inde egreſſus, per planitiem Scythopoleos labitur. Hiſce duobus oppidis in deditionem acceptis, Rex reliqua incœpta Ataburium occupando ſe comparat. Eo tempore Keræas, unus è Ptolemæi præfectis, ab eo defecit, qui ab Antiocho munificè ſuſceptus, animos multorum è ducibus Regis Ægyptii erexit. Itaque non multò pòſt Hippolochus Theſſalus cum equitibus quadringentis ad Antiochum transfugit. Poſtquam Rex præſidio Ataburium firmaſſet, caſtra movit: inter eundum oppida Pellam, Camum, Gephrum, dedita ſibi accipit. Hic adeò felix rerum ſucceſſus adjacentis Arabiæ populos movit, ut cohortationibus mutuis incitati communibus ſuffragiis ſe illi omnes adjungerent. Quâ novâ ſpe auctus Rex, opibuſque Arabum ſubnixus, in Galatidem devenit, devenit, eâque potitus Abila in poteſtatem redigit. Reſtabant adhuc Gadara, locus opinione hominum præ cæteris eximiè munitus. Admoto autem exercitu; erectiſque machinis, Rex oppidanos ita terruit, ut in deditionem confeſtim venirent. Poſt hæc, cùm ei nuntiatum eſſet in urbem Arabiæ Rabatamanam (ea eſt Rabbath ben Ammon) magnum hoſtium numerum convenisse, eductis copiis eò tendit, & tandem loco aquationis intercluſo, obſeſſos deditionem facere coëgit. Ibi Nicharchum cum idoneo præſidio reliquit: Hippolochum autem & Keræam, quos defeciſſe à Ptolemæo diximus, cum quinque millibus peditum ad vicina Samariæ loca proficiſci juſſit, ut eos qui ſuum imperium agnoſcerent, ab hoſtium vi atque injuriis tutarentur. Ipſe Ptolemaïdem verſus caſtra movet, eo loci hybernaturus.

Antiochus & Ptolemæus, præparatis omnibus rebus, in eo jam A N. 97. erant, ut expeditionem ſuſceptam prælio terminarent. Igitur ineunte

N vere

SELEUC. AN. 95. vere Ptolemæus Alexandriâ movet, secum trahens septuaginta millia peditum, equitum quinque millia, elephantos Libycos tres & septuaginta. Antiochus, cognito hostem adventare, & ipse copias suas in unum cogit. Erant autem in ejus exercitu: Daæ, & Carmani Cilices, ad instar expeditorum ornati, quorum & curam & ducatum Byttaco Macedoni dederat: Theodotus Ætolus, qui Ptolemæum prodiderat, viginti hominum præerat millibus, ex universo delectis regno, Macedonico armatu, & erant plerique eorum argenteis clypeis insignes: pariter & phalanx viginti millium ipsa quoque numerum fermè explebat; erantque hujus duces Nicarchus, & Theodotus cognomento Hemiolus. Aderant præterea Agrianes & Persæ, sagittarii & funditores bis mille, & unà cum his mille Thraces, duce Menedemo Alabandensi. Aderant & Medorum, Cissiorum, Caddusiorum, & Carmanorum ad quinque millia, qui parere Aspasiano Medo jussi. Arabes, & è finitimis populis alii decem ferè millium summam efficiebant, & ducem Zabdiphilum sequebantur. Mercede conductorum è Græcià manus ad millia quinque accedebat, eratque eis præfectus Hippolochus Thessalus. Habebat & Cretenses mille quingentos, ductore Eurylocho; & Neocretas mille, quibus Zebes Gortinius imperabat: unà cum his & Lydi jaculatores erant quingenti: item Cardaces sub Lysimacho Gallo mille. Equitatus verò universi ad sex millia accedebat, quorum millia quatuor ducem agnoscebant Antipatrum Regis nepotem: cæteris præerat Themison. Summa totius exercitus Antiochi, peditum duo & septuaginta millia, equitum sex, elephanti duo supra centum.

Ptolemæus Pelusium profectus, in eâ primùm urbe castra posuit. Ibi assumptis qui sequebantur à tergo, postquam frumentum exercitui esset mensus, movet castra, pergitque ire, per terram carentem aquâ propter Casium montem, & ea quæ vocant Barathra, iter habens. Gazam ut ventum est, pars exercitus iterum ibi est assumpta, placidè leniterque ut antè processit. Quintis castris quò destinaverat pervenit, ibique stadia quinquaginta ab oppido Raphiâ signa constituit. Hæc urbs Cælen Syriam ex Ægypto petenti, post Rhinocolura occurrit prima omnium è Syriacis. Per eosdem dies etiam Antiochus eodem cum exercitu advenit, qui urbem Raphiam prætervectus, decem fermè stadia ab hoste locum castris noctu cepit. Ac primò castra castris collocata hoc intervallo habebant: post paucos verò dies Antiochus, partim ut commodiore loco minùs commodum mutaret, partim ut animis suorum audaciam adderet, propius Ptolemæum consedit, non longiore stadiorum quinque intervallo inter utraque castra relicto. Quo tempore sæpe factum, ut qui aquatum & pabulatum exibant, sæpe manus consererent. Eodem etiam tempore, Theodotus Ætolus, qui à Ptolemæo defecerat, observato loco tabernaculi regii, duobus tantùm comitatus, sub lucem hostile vallum intravit; cùmque dignosci propter tenebras non posset, obvios omnes fefellit: verùm ubi in tentorium illud irrupit, in quo responsa dare adeuntibus, & cœnare solitus Rex erat, omnes scrutatus angulos, à Rege aberravit, qui extra illud insigne tabernaculum alibi tum fortè quiescebat:

cebat: cæterùm ex iis qui ibi cubabant duobus vulneratis, Andreâ etiam Archiatro Regis obtruncato, facinus Ætolicæ quidem, sed tamen virilis prorsus audaciæ, sine discrimine in Antiochi castra se recepit, quoad audaciam sui voti compos, imprudentiâ tantùm lapsus. SELEUC. AN. 97.

Postquam per dies quinque opposita invicem castra Reges habuissent, descendere tandem in prælium utrique visum est. Cùm igitur prior Ptolemæus suos vallo eduxisset, extemplo Antiochus quoque educere è castris, & aciem contra dirigere. Phalanges suas ambo, & delectorum aciem armatu Macedonico instructorum invicem frontibus collocarunt: cornua Ptolemæus ordinaverat hoc modo. Lævum curabat Polycrates cum iis equitibus qui ducatum ejus sequebantur. Inter hos & phalangem primi erant Cretenses: ad latus ipsum equitum sequebantur regii Prætoriani, quos Agema vocant: deinde Cetrasi duce Socrate: hi Libycos contingebant, qui Macedonum armis erant ornati. Dextrum cornu tenebat Echecrates Thessalus, equites habens quibus præerat: ad lævam Echecratis Gallos & Thraces locaverat: deinceps Phoxidam cum mercenariis, qui Ægyptiacæ phalangi adhærebant: ex elephantis quadraginta in lævo cornu fuerant locati, ubi Ptolemæus ipse pugnam erat facturus; tres & triginta dextrum cornu & mercenarios equites protegebant. Antiochus verò bestias sexaginta, quibus erat præpositus Philippus ejus collactaneus, ante cornu dextrum, ubi dimicaturus ipse erat cum Ptolemæo, locat: horum à tergo equites bis mille duce Antipatro stare jussit, quibus totidem alios in modum forcipis dispositos advinxit: juxta equites in fronte aciei Cretenses statuit, deinde eos qui mercede fuerant è Greciâ acciti: inter hos & Macedonicam armaturam quinque illa interposuit millia, quæ Byttaco Macedoni parebant. Lævam deinde aciem dirigens, in ipso quidem cornu equites bis mille posuit, quorum dux Themison: his Cardacas applicuit, & Lydos jaculatores: deinde expeditorum tria millia sub Menedemi ducatu: his adhærebant Cissii, Medi, & Carmanes: his Arabes, & finitimi populi, qui jam phalangem ipsam contingebant: reliquos elephantos sinistro cornui præposuit, præfecto illis Myisco inter pueros regis in aulâ quondam educato.

Ad hunc modum instructis utrinque copiis, uterque Rex amicis ac ducibus comitatus, aciei frontem obequitans, suos alloqui cœpit, fortitudinem militum extollere, ordines suos hortari, maximam in phalangibus spem habere: phalanges enim Rex uterque, & delectos Macedonico more armatos contra se invicem collocarant. Milites autem unà cum Ptolomæo Andromachus Aspendius, Sosybius, & Ptolemæi soror Arsinoë hortabantur: Antiocho verò Theodotus & Nicarchus suos monendo rogandoque, secundas agebant. Mox ut pervenêre Ptolemæus quidem & soror ipsius ad aciei suæ lævum cornu; Antiochus verò cum regiâ equitum turmâ; classicum incinere jussis tubicinibus, prælium elephantis commiserunt. Cæterum belluarum Ptolemæi pleræque certamen detrectabant: nam Libycis elephantis id accidere solet, ut neque odorem neque barritum Indicorum ferant.

SELEUC. AN. 97. rant. Cum igitur fubitò confternati omnes, & in fugam verfi, ordines perturbarunt, Ptolemæi Agema illis urgentibus eft inclinatum. Antiochus circumducto fupra beftias agmine, in Polycratem & equitatum cui ipfe præerat, dedit impetum: fimul Græcorum mercenarii, qui circa phalangem fuerant ab Antiocho conftituti, Ptolemæi cetratos impellunt, quorum jam antè ordines beftiæ turbaverant, ac lævum quidem Ptolemæi cornu hoc pacto oppreffum, omni ex parte in fugam inclinavit. Echecrates verò qui in dextro curabat, pofteaquam pulverem ingentem ferri in fuos vidit; beftias autem quæ à fuis partibus ftabant, ne accedere quidem ullo modo ad hoftem velle; Phoxidæ Græcorum mercenariorum ductori mandat, ut oppofitos fibi inimicos invaderet: ipfe equitibus longo agmine eductis, extra periculum pofitus ab incurfu elephantorum, hoftilem equitatum à tergo & latere adoriens, in fugam citò vertit: idem & Phoxidas, & omnes qui circa illum erant, fecerunt: in Arabas namque & Medos factâ impreffione, terga dare omnes coëgerunt. Igitur dextrum quidem Antiochi cornu vincere, at finiftrum vinci: & cùm hoc pacto phalanges amborum nudatæ fuis cornibus effent, ipfæ interim medio campo manebant, inter fpem metumque de futuro pariter fluctuantes. Antiochus in dextro cornu profperam pugnam faciebat: Ptolemæus verò, qui in phalangem fe receperat, cùm in medium veniffet, feque militibus oftendiffet, tantam fuis alacritatem, hoftibus verò pavorem ingeneravit, ut qui Andromacho & Sofybio in acie reftiterunt, qui Nicarchi ductu regebantur, pugnam omiferunt. Antiochus ut rerum imperitus ac juvenis, quia ipfe ex adverfo ftantes hoftes vicerat, cæteras quoque fui exercitus partes vincere omnes ratus, fugientes perfequebatur: tandem verò ab aliquo è fenioribus quid ageretur monitus attendere, cùm ille ei pulverem indicaret, qui è mediâ acie ad caftra ipfius ferebatur, tum demùm re cognitâ, in eum locum ubi fteterat acies, accurrere conatus, ubi omnes fuos fugæ fe mandaffe comperit, etiam ipfe Raphiam conceffit. Ptolemæus, profperum fummæ rerum eventum per phalangem confecutus; per equites verò & mercenarios dextri fui cornu multis fugientium hoftium occifis; in caftra fe recipit: poftridie verò fublatis fuorum corporibus, humatifque, inimicorum autem fpoliatis, movet figna, & Raphiam ducit.

Antiochus ftatim à fugâ fuis collectis, extra urbem caftra munire voluerat; fed quia milites ejus magnâ ex parte intra mœnia penetraverant, ipfe quoque ingredi fuit coactus. Sequenti die eductis fub auroram copiis, Gazam contendit, ubi pofitis caftris, ad Ptolemæum de tollendis cadaveribus mittit, impetratâque ab eo veniâ, mortuis jufta facit. Defiderati funt ex Antiochi militibus non multò pauciores decem millibus peditum, equites trecenti, & eo plures: capti funt vivi fupra quatuor millia; elephanti in conflictu periere tres, è vulneribus poftea duo. E Ptolemaïcis occifi funt pedites mille quingenti, equites verò feptingenti: ex elephantis fedecim funt trucidati, reliquorum pars major capta. Hic fuit ejus pugnæ exitus, quam de Cæle-Syriæ imperio ad Raphiam Reges pugnarunt.

Vic-

Victor Ptolemæus & Raphiam & reliquas Cæle-Syriæ urbes à civibus suis traditas recepit; cùm omnes civitates in dominatu ipsius instaurando, & deficiendo ad illum, de celeritate inter se certarent. Est sanè mos hic cunctis mortalibus in ejusmodi temporibus, ut præsenti fortunæ semper se accommodent. Fit etiam nescio quomodo, ut Cælé-Syriæ populi ad venerationem hujus Regiæ magis inclinent. Antiochus simul ac cognominem sibi urbem est ingressus, Antipatrum fratris filium, & Theodotum Hemiolium legatos de pace ad Ptolemæum mittit: admodùm enim verebatur, ne ab hostibus bello peteretur; & cùm propter acceptam cladem subditorum suorum multitudini parùm fideret, etiam ab Achæo, ne hac occasione adversus se uteretur, sibi metuebat. Quorum omnium nihil reputans animo Ptolemæus, victoriâ tam inopinatâ contentus, & omnino Cæle-Syriæ imperium recuperasse, adeò non erat alienus à quiete, ut plus etiam quàm par esset, ejus desiderio tangeretur, impellente ignaviâ, & cæteris animi morbis, qui per universam vitam fuerunt illi familiares. Itaque ergo ubi Antipater cum reliquis legatis ad eum venit, minaciter paululùm eos allocutus, & de Antiochi questus injuriis, inducias in annum concessit, ac deinde firmando fœderi Sosybium misit; ipse verò tres in Syriâ ac Phœniciâ menses moratus, ad componendum singularum civitatum statum, mox omnibus illis præfectum relinquens Andromachum Aspendium, cum sorore & amicis ad repetendam Alexandriam castra movet, imposito eo fine huic bello, quem subditi, reliquæ ejus vitæ atque institutorum gnari, fatis mirari non poterant.

SELEUCO-
A N. 97.

Ubi fœdus cum Sosybio affirmasset Antiochus, ad bellum contra Achæum, ut antè proposuerat, magnâ curâ per hyemem adornavit; ineunte æstate Taurum superat, & factâ cum Attalo Pergami Rege societate, Achæum bello est aggressus. Galli interea, quos propter opinionem virtutis Attalus ad bellum contra Achæum ex Europâ acciverat, discesserunt, quos Prusias tandem delevit; sobolem verò propemodum omnem atque conjugia in ipsis castris jugulavit. Achæus tandem Sardes se recipit & ibi obsidetur, circa quas leves dimicationes & pugnæ sine intermissione ullâ continuè committebantur noctu atque interdiu, quia urbs erat munitissima, & de quâ capiendâ pauca spes, nisi ad inopiam rerum omnium obsessi redigerentur.

A N. 98.

Antiochus altero jam anno Sardes oppugnabat, cùm Lagoras Cretensis, vir qui rei bellicæ non mediocrem usum habebat, partem muri qui arcem cingebat, incustoditam manere, ex vulturum inspectione & familiaritate deprehendit: nam in eo loco barathrum erat, in quod moris erat cadavera mortuorum, & equorum interanea jacere. Itaque silentio noctis accedens quà adiri locus posset, & scalæ admoveri; quod cùm id commodè fieri invenisset, Regi communicavit, & ab illo rem probante petiit ut Theodotum Ætolum & Dionysium præfectum satellitum pro sociis adjungeret. Hi tres igitur consilia de rebus omnibus inter se communicantes, viros quindecim & corporis & animi robore validissimos delegerunt in admovendis scalis, & triginta designarunt, qui

A N. 99.

O subsi-

SELEUC. AN. 99. subsidio ipsis forent. Primi, mœnibus superatis, ad proximam portam accedentes, intrinsecus irruerunt cardines portarum: electi sunt bis mille, à tergo secuturi, qui factâ à superioribus in urbem irruptione, theatri summam præcinctionem occuparent. Quo pacto cùm res successisset, patefactâ portâ & occupatâ, continuò alii portas effringere. Artabazus urbis præfectus, & omnes qui in urbe erant, cum aliis in arcem fugâ se facto impetu recepit; reliquus verò exercitus simul irrumpens, urbem devastavit universam: atque hoc modo in potestatem Antiochi Sardium oppidum venit.

Polyb. l. 8. Achæus in arce obsessus, Bolidis cujusdam Cretensis proditione in hostium potestatem devenit. Bolis ille in aulâ Ptolemæorum diu vixerat, quem Sosybius Ptolemæi Consiliarius magnâ mercede conduxit, ut modum aliquem ac rationem liberandi Achæum comminisceretur: ab hoc Achæus proditus est, & ad Antiochum adductus, cui præ admiratione hæsit vox faucibus, ut post diuturnum silentium sortem illius ad extremum miseraretur, & lacrymas funderet, considerans quàm inopinati sunt fortunæ casus. Achæus enim erat filius Andromachi fratris Laodices, quæ Seleuco II. nupsit: duxerat uxorem Laodicen, Mithridatis Regis filiam. Postquam in concilio proceres sederunt, variæ de illius supplicio fuerunt sententiæ; demùm placuit, primùm ut extremis membris miser Achæus mutilaretur, deinde ut post caput amputatum, atque utri asinino insutum, truncus in crucem tolleretur. Quo facto, ubi rem exercitus rescivit, adeò castra universa fanaticus quidam furor & animorum consternatio incessit, ut Laodice uxor, cui hoc duntaxat innotuerat, maritum AN. 100. exiisse, casum illius è tumultu ac motu castrensi conjiceret. Rex post mortem Achæi totus ad arcis obsidionem intentus, ortâ inter inclusos seditione, scissi sunt in partes, aliis cum Artabazo, aliis cum Laodice sentientibus; quam ob causam dum sibi invicem diffidunt, celeriter utraque factio, & se, & arces, fidei Regis permiserunt.

AN. 101. Mediam occupaverat Arsaces Arsacis filius, qui Parthicum imperium sub Seleuco II. Antiochi patre fundaverat; quâ re cognitâ, AN. 102. Antiochus adversùs eum expeditionem suscepit. Arsaces existimabat Regem Ecbatanam Mediæ regiam usque venturum; sed ad continentem his terram desertam nequaquam ausurum tantis præsertim cum copiis trajicere, ac maximè propter aquarum inopiam. Cæterùm Arsaces ut videt Regem per solitudinem iter ingredi, puteos statim omnes obrui & corrumpi jubet: quod postquam Antiocho est renuntiatum, Nicomedem iterum cum mille equitibus misit: sed jam Arsaces cum copiis pedem retulerat: quando hi venerunt, equites solùm nonnulli canalium ora corrumpentes sunt inventi, quos regii primo impetu terga vertere, & conjicere se in pedes coëgerunt; ipsi mox ad Antiochum sunt reversi. Rex, solitudinem emensus, ad oppidum venit Hecatompylon in mediâ Parthiâ situm: ubi reficiendum ex laboribus itineris militem pauci dies sumpti sunt. Sed Arsaces patriam reliquerat, propterea in Hyrcaniam, quò se receperat, progredi statuit.

AN. 103. Tagas ut venit Antiochus, & ab indigenis sciscitando cognovit, quantis difficultatibus viæ essent impeditæ, quas pertransire ipsum prius

priùs oportebat, quàm ad Labutæ montis summa illa juga perveniat, quæ in Hyrcaniam vergunt; quanta item barbarorum multitudo, occupatis locis quibusque opportunis, viæ immineret, faciendum censuit, ut expeditorum omnem numerum in varia partiretur agmina, ut divisis ipsorum ducibus, quò cuique tendendum esset significaret: fecit item in operariis quos oportebat, expeditorum manum quocumque pergerent comitari, & ut quisque locus ab iis occupatus, eum ita concinnare, ut phalanx & jumenta facilè illuc transirent. Id cùm Rex consilii cepisset, primum ducere agmen Diogenem jussit, traditque ei sagittarios, funditores, & è montanis hominibus eos qui jaculandi & mittendi peritiam haberent: huic alterum subjecit Cretensium clypeatorum ad duo millia, ductore Polyxenidâ Rhodio: postremos ducebant Nicomedes Cous, & Nicolaus Ætolus. Progredientibus autem istis in itinere, longè asperior & angustior locorum natura est reperta, quàm Rex putarat; maxima pars montis conficienda erat per confragosam convallem, à torrente cavatam, saxis & super pendentibus rupibus sponte delatis plenam, in quam barbari arboribus cæsis continuas fecerant concædes: at quominus leviter armati & expediti per nudas rupes scanderent, id verò naturam non vetare. Diogenes intra convallem ascensum moliens, in primam stationem hostium incidit. In primo statim conflictu transversis itineribus loca illa emensi, supra caput hostium evaserunt, ita ut jaculatione crebrâ & saxis barbaros regii depulerunt, & locum ipsorum occuparunt: tunc operarii omnia complanavêre, & cum funditoribus, sagittariis, & jaculatoribus barbaros relictis iis locis ad ipsum montium verticem se recipere coëgerunt. Antiochus cùm tutò locorum angustias pertransiisset, non sanè absque difficultate & multo tempore: vix namque octavo die in jugum collis evaserunt; quò item barbari cùm venissent conferti, atque ii sibi persuasissent ascensu hostem prohibere se posse, atrox prælium est ortum: pulsi sunt ad extremum barbari.

SELEUC. AN. 103.

Rex itaque confecto agmine & composito descendit in Hyrcaniam: postquam Tambracem est ventum, muros quidem non habentem, sed amplam, ut in quâ sit regia, eo loci est commoratus. Ac quoniam plerique omnes, sive qui è pugnâ evaserant, sive qui ex omni circà regione aufugerant, in oppidum se receperant, quod Syringem vocant, à Tambrace non longè distantem, Hyrcaniæ quasi caput, vi illud expugnare cœpit. Copiis igitur iterum acceptis, eò ducit, & positis circa urbem castris, obsidionem instituit. Barbari, muris tandem per cuniculos subrutis, de summâ re in desperationem adducti, Græcos qui in urbe erant, obtruncant, supellectilis quod erat pretiosissimum rapiunt, & fugâ sibi noctu consulunt. Eo Rex animadverso, Hyperbatim cum mercenario milite mittit, in quem Barbari cùm incidissent, projectis impedimentis, in oppidum denuò sunt reversi; cetratis deinde per ruinas muri magnâ vi irrumpentibus, omni planè jam spe depulsi in deditionem venerunt.

Arsaces adversus Antiochum centum millibus peditum, & viginti millibus equitum instructus, mirâ virtute pugnans, tandem in societatem ejus assumptus est: pax enim inter eos eâ lege inita est, ut Arsa- AN. 104.

 ces

SELEUC. AN. 105. ces unà cum Antiocho bellum gereret in Euthydemum Bactrianorum Regem.

Euthydemus, qui rebellionem fecerat cum exercitu, circa Taguriam erat; quo Antiochus per nuntios cognito, equitum decem millia ad tutandam Arii amnis ripam, regioni præsidere; damnatâ expugnationis spe fluvium trajicere, & pergere in hostem decrevit. Tridui tunc iter à flumine aberat Antiochus, qui ubi per biduum moderato gradu agmen duxisset, tertio die, à cœnâ dato cæteris præcepto, ut simul lux esset orta, castra moverent, ipse cum equitibus, peditibus expeditis, cetratis decem millibus noctu profectus, citatim ad ulteriora contendit. Sciscitando namque didicerat equitatum hostium interdiu quidem stationes in ripâ fluminis habere, noctu verò ad quoddam oppidum se recipere, viginti stadia inde distans. Itaque silentio noctis confecto quod supererat itineris, priusquam illucesceret, pars equitatus sui maxima flumen trajecerat. Bactriani equites per signa quæ à speculatoribus edebantur rem edocti, auxilii ferendi causâ properantes, in ipso itinere in hostes incidunt. Rex primum illorum impetum & procellam equestrem sustinens, duo equitum millia secum pugnare solita cohortatus, cæteris imperat ut per signa ac turmas aciem ordinarent, & stationes consuetas singuli caperent; ipse cum iis, quos diximus, equitibus pergere in hostem, & cum primâ acie Bactrianorum pugnam capessere. Antiochus eo certamine egregiè præ omnibus suis rem manu gessit. Perierunt utrâque ex parte multi. Qui Regem comitabantur, alam equitatûs hostilis primam superarunt: secundâ mox, & item tertiâ ingruente, premi regia cohors cœpit: jamque adeò malo loco res erant, cùm maximâ jam equitatûs parte in aciem structâ, Panætolus dato signo inducendi in pugnam equites, Regem & eos qui simul periclitabantur, sustinuit: Bactrianos verò qui passim invehebantur, non servatis ordinibus, terga dare, & effusâ fugâ compulit fugere. Et illi quidem, cùm Panætolus fugientibus infestus incumberet, multis suorum desideratis, non priùs loco steterunt, quàm Euthydemo fuerunt conjuncti. Regii equites, postquam multos cepissent vivos, multosque occidissent, receptui cecinerunt, & nocte illâ ad ripam fluminis tetenderunt. In hoc prælio accidit, ut Regis equus accepto vulnere moreretur; ipse fauciatus in ore, dentes quosdam amitteret: & omnino fortitudinis famam ex eâ maximè pugnâ sibi pareret. Secundùm dimicationem hanc Euthydemus metu perculsus, Zariaspa, quod est Bactrianæ oppidum, se recepit.

AN. 108. Antiochus tædio tandem affectus ob diuturnitatem belli contra eos qui rebellaverant in superioribus Satrapiis, Euthydemum post multa prælia in amicitiam recipere cogitat: ad eum igitur Teleam misit, cum quo disceptans Euthydemus, dicebat facere injustè Antiochum, qui se deturbare de regno tanto studio contenderet: neque enim à Rege descivisse; sed cùm alii descivissent, eorum posteros sustulisse, & Bactrianorum imperium hoc pacto obtinuisse. Ubi in eandem sententiam plura disseruisset, legatum rogare institit, ut pacis per benevolentiam conciliandæ interpres esse vellet, utque Antiochum oraret, ne

ne regiam appellationem sibi invideret, neque ejus decoris splendorem; cùm præsertim, si huic petitioni Rex non adnueret, neutrius res futuræ essent satis securæ: adesse enim Nomadum Scytharum non exiguam manum, per quam utrique sint periclitaturi: regionem certè universam, si semel incolæ Nomadas admiserint, absque ullâ controversiâ barbaris oppletam, in mores barbaricos atque instituta degeneraturam. Hæc locutus, Teleam ad Antiochum misit. Rex, qui terminandi belli rationes dudum circumspiciebat, auditis Teleæ mandatis, eas ob causas pacis conditiones non invitus accepit: & Teleas quidem ultrò citròque sæpius ad ambos ivit rediitque: tandem verò Euthydemus Demetrium filium suum ad sanciendum fœdus misit, cujus indole Rex cùm esset delectatus, cumque adolescentem regno dignum, & propter speciem, & propter quandam Majestatem, quam in congressibus præ se ferebat, judicasset, primò quidem unam è suis filiabus se ei desponsaturum promisit; deinde ejus patri regii nominis usurpandi fecit potestatem: tum autem fœderis conditiones super cæteris rebus scripto complexus, & societate jure jurando firmatâ, castra movit; ubi primùm militibus commeatum largiter dedisset, & elephantos omnes accepisset, quos Euthydemus secum habebat. SELEUC. AN. 108.

Superato Caucaso, Indorum fines ingressus, amicitiam cum Sophagaseno Rege renovavit; ibique elephantos alios accepit, ut jam centum quinquaginta bestias haberet: deinde exercitui frumentum denuò mensus, copias cœpit reducere, Androsthene Cyziceno relicto ad devehendam gazam sibi à Rege promissam. Arachosiam inde ventum est, unde trajecto amne Erymantho in Carmaniam venit, itinere per Drangianam habito. In eâ provinciâ Rex, quia hyems jam appetebat, in hybernis copias collocavit. Hunc habuit exitum suscepta ab Antiocho in superiores provincias expeditio, cujus ille fructum tulit, ut non solùm illarum regionum superiorum Satrapas imperio suo adjiceret, verùm etiam urbes maritimas, & omnes cis Taurum Dynastas sibi subjiceret: postremò ut perculsis audaciâ & navitate suâ universis subditis, regnum non mediocriter stabiliret. Effecit namque Antiochus expeditione illâ, ut non solùm Asiæ, verùm etiam Europæ populis imperio dignus vulgò censeretur.

Ineunte vere Antiochus excercitum è Carmaniâ Persidis provinciâ, AN. 109.
ubi hyemaverat, eduxit; & contemptâ Ptolemæi Philopatoris ignaviâ, eò quòd deperiret Agathocleam psaltriam, fratremque ejus & ipsum Agathoclem haberet concubitum, quem postea Ægypti ducem constituit, incredibilem de superioribus locis exercitum congregavit. Hier. in Dan. c. 11.

Auditâ Ptolemæi morte, qui puerum quatuor annorum, aliis verò AN. 110.
quinque, ex Eurydice sorore & uxore relinquebat, legatos ad Philippum Macedoniæ Regem de ipsius regno invadendo misit. Philippus, qui, pacatâ Græciâ, in Asiam Prusiæ Bithyniæ Regi genero suo opem laturus transierat, pactionem cum Antiocho fecit sub hac conditione, ut proximas civitates regno suo singuli de regno Ptolemæi jungerent, ita ut post victoriam Cœle-Syria & Phœnice Antiocho, sibi verò Ægyptus & Caria, cederet. App. Syr. Justin. l. 30. Polyb. l. 7. & 15.

SELEUC. AN. 110. Mors Ptolemæi ab aulicis diu occulta fuit; cognitâ tandem aula turbatur seditionibus procerum Tlepolemi & Agathoclis, cui Ptolemæus Epiphanis pueritiam commiserat. Is nomine Tutoris regia munia obibat; sed, odiosus omnibus, occisus est. Quidam dicunt Ptolemæum testamento tutorem Populum Romanum filio reliquisse.

Justin. l. 30. Polyb. l. 15. Val. Max. l. 4. c. 4.

AN. 111. Antiochus, rupto fœdere ad Raphiam inito, in Cæle-Syriam contra Ptolemæum Epiphanem eduxit. Philippus instructâ navali acie è Macedoniâ solvit ut Cariam appelleret; sed Rhodii interea inito cum Attalo Rege Pergami fœdere, Philippi in hanc provinciam descensum prohibere littoribus ejus occupatis decreverant: fitque inter eos ad Chium insulam dimicatio, ubi Philippus, etiamsi victus, certis tamen de causis victoriam sibi vindicabat; sed detrimenta quæ acceperat, ægerrimè ferens, cum stupendâ quâdam animi præsentiâ contra hostes insurrexit. Rhodii enim ad Ladem insulam è Mileti urbis regione stationem habebant. Philippus cum classe eos est adortus: prælium non inferius quàm ad Chium fuit, sed longè acrius, Rhodii amissis aliquot quinqueremibus aufugerunt; Macedones verò hostes & quinqueremes captas ad naves suas religarunt, & subductis navibus ad insulam Ladem in ipsis Rhodiorum castris stationem fecerunt. Milesii rei eventu obstupefacti, Philippo urbem ingresso coronam obtulêre.

Hieron. in Dan. c. 11. Liv. l. 31. Valesii Excerpt. pag. 70. & 73.

AN. 112. Alexandrini legatos ad Romanos miserant, orantes ut tutelam pupilli susciperent, tuerenturque regnum Ægypti, quod jam Philippum & Antiochum factâ inter se pactione divisisse dicebant. Grata legatio Romanis fuit, causam belli adversus Philippum quærentibus. Mittuntur legati C. Claudius Nero, M. Æmilius Lepidus, & P. Sempronius Tuditanus, qui Antiocho & Philippo denuntient, regno Ægypti abstineant; & M. Lepido mandatur, ut tutorio nomine regnum pupilli administret. Dum hæc aguntur, legationes interim Attali & Rhodiorum injuriis Philippi querentes, & Asiæ civitates sollicitari nuntiantes, Romam venerunt: his legationibus responsum est, curæ Asianam rem Senatui fore.

Justin. l. 30. c. 2. & 3.

Polyb. l. 16. Philippus Miletum ingressus, Cariæ urbes aggressus, Jassum, Bargyliam, Euromum, Pedasam, Peræamque Rhodiorum ditionis regionem sibi subjecit, agros vicinos depopulatus, per Cariam Ioniamque decurrens, regnum Attali est ingressus, Pergamum usque venit, in Deorum simulachra & templa sæviit, mox adversus Thyatira profectus, legatos ad Zeuxim Lydiæ pro Antiocho præfectum misit, postulans ut commeatum subministraret, ac reliqua sibi præstare ex præscriptis fœderis vellet. At Zeuxis parere quidem fœderi velle se imprimis simulabat, sed reipsâ nolebat Philippum opibus ac potentiâ augere, licèt Athenienses cum ipso bellum tunc contraxissent.

Vales. Exc. p. 66. 68.

AN. 113. Preces Atheniensium excitarunt Romanos ad renovandun bellum adversus Philippum jam ipsi infensos, quod P. Sulpitio Consuli est demandatum. Philippus ineunte jam hyeme Bargyliis moratus, prorsus hyemare in Asiâ nolebat, idcircò cessit in Macedoniam, præsidiis in urbibus quas occupaverat relictis. Cedentem Attalus Rhodiique secuti, Æginam venerunt, inde Athenas, ubi cum Romano-

Liv. l. 31.

rum

rum legatis societatem contra Philippum inierunt, qui regio animo Seleuc.
usus, nec Romanorum bello territus, occupare Græciæ opportuna AN. 113.
loca cogitavit; ideo ad populandos Atheniensium agros missus, ipse Maronea & Æno occupatis, deinde progressus ad Chersonesum, illius urbes recepit. Abydeni Regi portas clauserunt, illos obsessit: at Romanorum legati audito Rhodi de illorum obsidione cum ipso Philippo colloqui cupientes, sicut in mandatis acceperant, Abydum M. Æmilius minimus natus trium consensu navigavit, & ut ad Philippum venit, questus est Attalo Rhodiisque arma illata, & quod tunc Rex maximè urbem oppugnaret; sed oratio ferocior Regi visa, illum dimisit. Æmilius Rhodum reversus, legati omnes ad Antiochum & Ptolemæum, ut controversias illorum dirimerent, contenderunt: interea Aydo potitus Philippus, imposito in eâ præsidio, in regnum rediit.

Scopas Ætolus, princeps gentis, Ptolemæo merens, ab Alexan- AN. 114.
driâ cum magno auri pondere in Ætoliam missus, sex millia peditum & equites mercede conductos in Ægyptum advexit; nec ex juventute quenquam reliquisset, ni Democritus nunc belli quod instaret admonens, partem juniorem castigando domi continuisset.

Antiochus, adventu legatorum Romanorum in Ægyptum, & tutore Ptolemæi M. Æmilio Alexandriæ morante, Antiochiam est reversus; arma tamen non deposuit, sed memor fœderis cum Philippo initi, ditionem Attali invasit. Regnum ejus vacuum tunc erat præ- Liv. lib.
sidiis navalibus & terrestribus: Attalus enim pro Romanis contra Phi- 32. c. 8.
lippum moverat; sed cognito Antiochi adventu, per legatos oravit Senatum, si suâ operâ uti ad Macedonicum bellum vellent, præsidium sibi ad sua defendenda mitterent. Interea Scopas, Antiocho Pergami regnum vastante, magno in Ægypto exercitu collecto, & Joseph.
ad mediterranea verso impetu, multas Cæle-Syriæ urbes & Judæam in l. 12. c. 3.
potestatem Ptolemæi retraxit.

Senatus legatos ad Antiochum misit, qui nuntient Attali, navium- Liv. lib.
que ejus & militum operâ adversus Philippum communem hostem uti 32. c. 8.
populum Romanum: gratum eum facturum & Senatui, si regno Attali abstineat, belloque absistat. Antiochus Romanorum auctoritate motus, finibus Attali suas deduxit copias, & id libenter, cùm audierat Scopam cum copiis ad Cæle-Syriam recuperandam id tempus elegisse. Versus hanc igitur provinciam Rex celeriter contendit, & contra Scopam, qui multas ejus urbes receperat, decertavit: prælium inter Valef.
ipsos ad Panium juxta fontes Jordanis est commissum. Scopas in dex- Exc. p.
tro cornu phalangem cum modicâ parte equitatûs ad pedem montis 79.
posuit: cornu verò sinistrum, in quo ordinati equites, planitiem tenuit. Antiochus partem copiarum primâ luce, præfecto majore è filiis Antiocho, præmisit, ut editiora montium loca, quæ hostibus imminebant, occuparet. Sole demum illucescente, trajecto cum reliquis copiis fluvio, inter utraque castra in planitie aciem instruxit, ac phalangem quidem rectâ mediæ hostium aciei opposuit, equitatûs verò partem sinistrum phalangis cornu constituit. Antiochus fugavit in eo prælio Scopam, & cum decem millibus armatorum obsedit clausum

SELEUC. AN. 115. in Sidone, ob quem liberandum Ptolemæus misit duces inclytos Æropum, Menoclem, & Damoxenum; sed obsidionem solvere non potuit, donec fame superatus Scopas, manus dedit, & nudus cum sociis dimissus est. Deinde Rex Gazensium urbem obsedit & vastavit: Bataneam, Samariam, Abila, & Gadara recepit. Judæi quoque ultrò deditionem fecerunt, receptumque intra mœnia Antiochi exercitum & elephantos liberaliter aluerunt, & oppugnantibus præsidium in arce à Scopà relictum, impigrè auxilium tulerunt. Quamobrem Antiochus æquum ducens aliquam Judæis pro studio suarum partium referre gratiam, scripsit ad amicos & duces literas testes beneficiorum quæ contulerant, in quibus etiam significabat quomodo remunerari eos decreverat. Receptis tandem Rex quæ erant in Cæle-Syriâ & Phœniciâ in suam potestatem civitatibus, in hyberna Antiochiam concessit. Hæc itaque Antiochi victoria has provincias Regibus Syriæ deinceps possidendas reliquit.

Joseph. l. 12. c. 3.

Polyb. l. 17.

AN. 116. Initio veris Antiochus bellum transitumque in Europam moliens, præmissis terrâ cum exercitu filiis duobus Ardye & Mithridate, jussisque Sardibus se operiri, ipse cum classe centum tectarum navium, ad hoc levioribus navigiis, cercurisque ac lembis ducentis proficiscitur: simul per omnem oram Ciliciæ & Cariæ tentaturus urbes, quæ in ditione Ptolemæi essent; simul Philippum exercitu navibusque adjuturus, Zephyrio, Solis, Aphrodisiade, & Coryco; & superato Anemurio Ciliciæ promontorio, Selinunte, aliisque ejus oræ castellis omnibus aut metu aut voluntate sine certamine in deditionem acceptis, Coracesium portis clausis tenebat eum, illud Rex oppugnabat, dum legati à Rhodiis missi ei denuntiaverunt, si intra Nephelida promontorium Ciliciæ copias suas non contineret, se obviam ituros; non ab odio ullo, sed ne conjungi cum Philippo paterentur. Licèt hæc accendere regium animum possent, Antiochus temperavit iræ, & legatos se Rhodum missurum respondit, iisque mandaturum ut renovarent vetusta jura, cum ea civitate, sua majorumque suorum; & vetarent eos adventum pertimescere Regis: nihil aut sociis eorum noxæ futurum fraudive; nam Romanorum amicitiam se non violaturum: argumento & suam recentem ad eos legationem esse, & Senatûs honorifica in se decreta, responsaque. Cumque hæc legati Regis in concione Rhodiorum agerent, nuntius venit debellatum ad Cynocephalas Philippum esse, octo circiter millia hominum ex suis cecidisse, captosque fuisse vivos non pauciores quinque millibus, ipsumque in Macedoniam fugisse. Hoc nuntio accepto, Rhodiis, dempto metu à Philippo omni, erat consilium obviam eundi classe Antiocho. Interim Rex Coracesium expugnavit, Andriacem cepit, Lymiram, Pataram, & Xantum; perlustratâ deinde Asiæ orâ, ac terrore urbibus circumlato, Ephesum occupavit, atque ibi hyemavit.

Liv. lib. 33. c. 19.

Hier. in Dan. c. 11.

AN. 117. Pace Populi Romani cum Philippo initâ, non aliam ob causam quàm quòd Antiochus è Syriâ cum exercitu erat profectus, & Europam versus instituerat, Decemviros Romani in Græciam miserunt, qui de communi sententiâ unà cum Q. Flaminio res Græciæ componerent:

Polyb. l. 17. Liv. lib. 33.

nerent: ante eos primi omnium legati Regis Antiochi sunt vocati, & apertè illis pronuntiatum est ut Antiochus excederet Asiæ urbibus quæ aut Philippi aut Ptolemæi fuissent, sineret liberas omnes esse Græcas: ante omnia denuntiatum, ne in Europam aut ipse transiret, aut copias trajiceret. Dimisso tandem Decemvirorum conventu omnes partiti munia inter se; ex iis P. Villius & L. Terentius ad Antiochum discesserunt. Cùm autem hybernasset Rex Ephesi, omnes Asiæ civitates in antiquam imperii formulam redigere est conatus. Smyrna & Lampsacus libertatem usurpabant, periculumque erat, ne si concessum his foret, quos metuebat, Smyrnam in Æolide, Ionique Lampsacum in Hellespontò aliæ urbes sequerentur. Igitur & ipse ab Epheso ad Smyrnam obsidendam misit, & quæ Abydi copiæ erant, præsidio tantùm modico relicto duci, ad Lampsacum oppugnandum jussit. Contra Antiochum Smyrnæi, Lampsaceniquc, & cæteri qui recusabant illius imperata facere, missâ ad Flaminium legatione, Romanorum opem auxiliumque petierunt. Ipse initio veris ab Epheso profectus, Hellespontum venit, terrestres copias Madytum trajecit Chersonesi urbem, terrestri navalem exercitum junxit; & quia clauserant portas, circumdedit mœnia armatis: sed jam opera admoventi deditio est facta. Idem metus tum incolentes alias Chersonesi urbes in deditionem dedit. Lysimachiam inde omnibus simul navibus terrestribusque copiis venit, quam cùm desertam ac stratam propè ruinis invenisset, cupido eàm restitui nobilem urbem & loco sitam opportuno cepit: videbatur ei locus commodissimus in totâ Thraciâ, ceu horreum apparatibus quos destinabat commodum, & ut filius Seleucus eam sedem regni haberet. Ipse parte dimidiâ terrestrium copiarum ad depopulandum proxima Thraciæ est profectus; alteram partem, navalesque socios omnes reliquit in operibus reficiendæ urbis.

SELEUC. AN. 117.

App. Syr.

Cùm autem Antiochus oppugnaret Cypsela urbem in Thraciâ, multos habebat Thraces nobili genere natos, quibus præerant Tiris & Dromichætes: hos ornavit torquibus aureis & armis argenteis, atque sic ad pugnam faciendam prodiit. Illi prosequentes è Cypselis propinquos & vernaculos suos multo auro argentoque ornatos, beatos ac felices prædicabant, qui sub Antiocho stipendia mererent, & abjectis armis Regi se dediderunt, & pro hostibus socii facti sunt.

Polyæn. Stratag.

Sub hoc tempore L. Cornelius, missus à Senatu ad dirimenda inter Antiochum & Ptolemæum Reges certamina, Selymbriæ subsistit, & ex decem legatis P. Lentulus à Bargyliis, P. Villius & L. Terentius à Thasso, Lysimachiam petierunt, eòdem & à Selymbriâ L. Cornelius, ex Thraciâ post paucos dies Antiochus, convenerunt. Hegesianax & Lysias, qui ad Flaminium à Rege missi fuerant, in tempus illius conventus etiam advenerunt. Primus congressus cum legatis, & deinceps invitatio benigna & hospitalis fuit; ut de mandatis statuque præsenti Asiæ agi cæptum est, animi exasperati sunt. Romani omnia acta Regis, ex quo tempore è Syriâ classe solvisset, displicere Senatui non dissimulabant: petierunt igitur ab Antiocho, ut Ptolemæum Populi Romani amicum sineret paterno potiri regno integro; & Asiæ civitates, quas Philippus tenuerat, libertati suæ

App. Syr.

SELEUC. AN. 117. relinqueret: iniquè enim usurpari ab Antiocho quæ Populus Romanus Philippo ademerit, & mirum esse cur Rex jam infestet Europam, & urbes in eâ ædificet, Thraciamque subigat, nisi ipsum ad aliud bellum gradum faciat. Ad ea Rex Thraciam quondam possessam à majoribus suis, deinde alienatam occupatis eis alibi, se nunc recuperare per otium, & ibi Lysimachiam condere Seleuco filio domicilium; cæterùm Asiæ civitates liberas se relicturum, si velint non Populo Romano habere gratiam. Ptolemæi verò cognatus sum, inquit, mox socer futurus; nec ex Philippi quidem adversâ fortunâ petii, nec adversus Romanos in Europam trajeci: miror autem ego cur Populus Romanus magis inquirat quòd Antiochus in Asiâ, quàm Antiochus quid in Italiâ faciat. Tum cùm dixisset L. Cornelius, æquum videri, ut Lampsaceni Smyrnæique vocarentur, & dicendi potestas illis fieret; quod ita factum est. Aderant Lampsacenorum quidem legati Parmenion & Pythodorus, Smyrnæorum verò Cæranus, quibus liberam orationem habentibus indignatus Antiochus, quòd videretur apud judices Romanos eorum quæ fecisset rationem contendentibus secum reddere, loquentem Parmenionem tacere jussit, non sub Romanis judicibus, sed Rhodiis, disceptare has controversias sibi placere affirmans: ita colloquium tunc est solutum, cùm nullo modo inter ipsos convenisset: rumore postea sine ullo satis certo auctore allato de morte Ptolemæi, Antiochus qui suam fore Ægyptum, si tum occasio esset, censebat. Dimissis itaque legatis, relictoque Seleuco filio cum terrestribus copiis ad restituendam, ut instituerat, Lysimachiam: ipse omni classe navigans Ephesum, legatis ad Flaminium missis, qui ad fidem de societate agerent, oram Asiæ legens, pervenit in Lyciam.

Polyb. l. 17.

Liv. l. 33. Pataris cognito vivere Ptolemæum, cogitare de Ægypto desiit, sperans illâ omissâ, potiturum se Cypro, in quam trajiciebat: celeriter autem tempestate deprehensus circa flumen Sarum, multas naves amisit, & nonnullas cum amicis cæterisque vectoribus. Collectis reliquiis naufragii, minùs opulento agmine quàm profectus erat, cùm res non in eo esset ut Cyprum tentaret, in Seleuciam Syriæ delatus, classem quassatam reparavit, & ibi celebravit liberorum nuptias Antiochi & Laodices, quos matrimonio junxerat: deinde subduci navibus jussis, quia jam hyems instabat, ipse in hyberna Antiochiam processit.

AN. 118. Liv. l. 34. Decem legati Romani reversi, de rebus Antiochi & ejus in Syriam profectione Senatum edocuerunt. Interea Flaminius legatis Antiochi de societate agentibus respondit, nihil se absentibus decem legatis sententiæ habere, Romam eundum ad Senatum esse. Sic dimissi sunt ad Regem, qui usque ad æstatem comparandis militibus Antiochiæ steterat, cùm Hannibal legatos qui Româ Carthaginem venerant, sui exposcendi gratiâ missos ratus, cedere tempori & fortunæ statuit. Itaque præparatis jam omnibus, antè ad fugam Africâ excessit, & in Syriam ad Regem fugit: prospero cursu Tyrum pervenit, exceptusque à conditoribus Carthaginis ut alia patria, vir tam clarus omni genere honorum, paucos moratus dies, Antiochiam navigat. Ibi profectum Regem cùm audisset, filium ejus solenne

Idem l. 33.

ludo-

ludorum ad Daphnem celebrantem convenisset: comiter ab eo exceptus, nullam moram navigandi fecit. Ephesi Regem Antiochum est consecutus, fluctuantem adhuc animo, incertumque de Romano bello; sed non parvum momentum animo ejus moliendum adventus Hannibalis fecit. SELEUC. AN. 118.

Antiochus Hannibalem propter nomen artibus imperatoriis receperat magnificè. Sententia ejus una atque eadem semper erat, UT IN ITALIA BELLUM GERERETUR; SI NIHIL IBI MOVEATUR, LICEATQUE P. R. VIRIBUS ET COPIIS ITALIÆ EXTRA ITALIAM BELLUM GERERE, NEQUE REGEM, NEQUE GENTEM ULLAM, PAREM ROMANIS ESSE. Sibi centum tectas naves, decem milia peditum, mille equites deposcebat: eâ se classe primùm Africam petiturum; magnopere confidere & Carthaginenses ad rebellandum ab se compelli posse, si illi cunctentur, se in aliquâ parte Italiæ bellum excitaturum Romanis: Regem cum ceteris omnibus transire in Europam debere, & in aliquâ parte Græciæ copias continere; neque trajicientem, & quod in speciem famamque belli satis sit, paratum trajicere. In hanc sententiam cùm adduxisset Regem, præparandos sibi ad id populorum animos ratus, literas, ne quo casu interceptæ palam facerent conata, scribere non ausus est, Aristonem quendam Tyrium nactus Ephesi, cum Regis consensu Carthaginem mittit. AN. 119. Liv. lib. 34.

Legati ab Antiocho ad Romanos missi ad amicitiam petendam jungendamque societatem, Romam venerunt: principes legationis erant Menippus & Hegesianax, tertius Lysias ab Appiano numeratur: C. Scribanio Prætore Urbano introducti sunt; & quòd longior esset disceptatio, Flaminio mandatum ut legatorum verba audiret, responderetque iis quæ ex dignitate atque utilitate Populi Romani responderi possent. Postero die, cùm Flaminius postulata & sua & Regis exposuisset, Senatus paratus erat Antiocho bellum decernere, nisi decedat ipse Europâ. Tum Menippus deprecari & Flaminium & Patres instituit, ne festinarent decernere, tempus & sibi sumerent, & Regi ad cogitandum darent. Ita integra dilata res est: legatos mitti ad Regem eosdem, qui Lysimachiæ apud eum fuerant, placuit, P. Sulpitium, P. Villium, P. Ælium. Vix ii profecti erant, cùm à Carthagine legati bellum haud dubiè parare Antiochum Hannibale ministro nuntium attulerunt. AN. 120. Appian. Syriac. Liv. l. 34.

Ætoli post deportatos ex Græciâ Romanorum exercitus, primò in spe fuerant & Antiochum in vacuam Europæ possessionem venturum, nec Philippum aut Nabin quieturos, animos Regum legatis tentaverunt. Damocritus ad Nabin, Nicander ad Philippum, Dicæarchus ad Antiochum est missus. Cùm verò ipse bellum adversus Populum Romanum gerere decrevit, propinquos Reges adjungeret sibi connubio est conatus. Cleopatram filiam, quam per Euclem Rhodium anno septimo desponderat Ptolemæo, decimo ei hyeme Raphiæ in matrimonium dedit, concessâ ei dotis nomine Cæle-Syriâ, quam ei priùs ademerat, Phœnice, Judæâque & Samariâ, demulcens adolescentem ut bello Romano quiesceret. Antiochidem misit Ariarathi Regi Cappadocum, & reliquam Eumeni Regi Pergami obtulit: at ille, quia videbat AN. 121. Idem l. 35. App. Syr. Hieron. in Dan. c. 11. Joseph. l. 12. c. 3.

SELEUC. AN. 121. Liv. l. 35. debat eum jam bellum instituere contra Romanos, & in hunc usum affinitatem quærere, excusavit. Antiochus per Ciliciam, Tauro monte superato, extremâ jam hyeme Ephesum pervenit: inde principio veris Antiocho filio misso in Syriam ad custodiam ultimarum partium regni, ipse cum omnibus terrestribus copiis ad Pisidas, qui circa Selgam incolunt, oppugnandos est profectus.

Eo tempore legati Romani, qui ad Antiochum, sicut antè dictum est, missi erant, jussi priùs Eumenem adire, Eleam venêre; inde Pergamum ascenderunt: Sulpitius æger Pergami subsistit; Villius cùm Pisidiæ bello occupatum esse Regem audisset, Ephesum profectus, dum paucos ibi moratur dies, dedit operam ut cum Hannibale, qui tum fortè ibi erat, sæpè congrederetur, ut animum ejus & tentaret si qua posset, & metum demeret periculi ei quicquam à Romanis esse. His colloquiis aliud quidem actum nihil est; secutum tamen suâ sponte est, velut consilio petitum esset, ut vilior ob ea Regi Hannibal & suspectior ad omnia fieret. Villius ab Ephesо Apamæam processit: ei & Antiochus occurrit primus; ibi autem mors nuntiata Antiochi filii, quem missum antè diximus in Syriam, diremit colloquia. Magni luctus species regiam tenuit, quare legatus Romanus, ne alieno tempore incommodus observaretur, Pergamum concessit.

Rex Ephesum, omisso quod inchoaverat bello, rediit: ibi per luctum clausâ regiâ, cum Minione quodam, qui princeps amicorum ejus erat, secreta consilia agitavit. Fugienti Regi disceptationem cum legatis, professus Minio, se quæ pro causâ essent, dicturum persuasit, ut à Pergamo accerserentur legati. Jam convaluerat Sulpitius; itaque ambo Ephesum venerunt. Rex à Minione excusatus, & absente eo res agi cœpta est. Cæterùm neque remissâ ullâ re, neque impetratâ, æquè ac venerunt omnium incerti, legati Romam redierunt. Rex dimissis iis, consilium de Romano bello habuit. Alexander Acarnan, Philippi quondam amicus, peritus Græciæ, nec ignarus Romanorum in consilio erat; Liv. l. 35. c. 18. is victoriam se haud dubiam ponere animo affirmabat, si in Europam transiisset Antiochus, & in aliqua Græciæ parte sedem bello cepisset: primùm Ætolos, deinde Nabin, conciliaturum omnia: Philippum ad primum bellicum arma capturum: Hannibalem sine morâ mittendum in Africam esse ad distringendos Romanos. Hannibal non adhibitus in concilium, propter colloquia cum Villio suspectus Regi, & in nullo postea honore habitus, primò eam contumeliam tacitus tulit, deinde ad extremum venit ut Antiocho narraret quomodo pater Amilcar cùm sacrificaret, eum altaribus admotum jurejurando adegisset, nunquam amicum Populi Romani fore. Antiochus, quia visus erat Hannibal ex proprii affectus vehementiâ & vero sensu loqui, priores omnes suspiciones deposuit. Ex concilio ita discessum est, ut bellum in Romanos gereretur.

App. Syr. Legati Ætolorum venerunt ad Antiochum, Thoante legationis principe, qui offerebant ei totius Ætoliæ copiarum imperium, hortabanturque ut in Græciam trajiceret tanquam ad rem paratam: nec sinebant ut expectaret exercitum descendentem à mediterraneis Asiæ regionibus, exaggerando vires Ætolicas, promittendoque societatem

La-

Lacedæmoniorum, atque Philippi Macedonis irati Populo Romano, modo ſine mora trajiceret: ſed tres Regem civitates tenebant, Smyrna, Alexandria Troas, & Lampſacus, quas neque vi expugnare ad eam diem poterat, neque conditionibus in amicitiam perlicere, neque à tergo relinquere trajiciens ipſe in Europam volebat: Thoante tamen illum excitante, & intellectâ Demetriadis defectione à Romanis ad Ætolos, Rex maximè elatus, non ultrà differre profectionem in Græciam ſtatuit. Priuſquam ſolveret naves, Ilium à mari aſcendit, ut Minervæ ſacrificaret: inde ad claſſem regreſſus, proficiſcitur quadraginta tectis navibus, apertis ſexaginta, & ducentæ onerariæ cum omnis generis commeatu, bellicoque alio apparatu ſequebantur: copiæ univerſæ, decem millia peditum fuere & quingenti equites, ſex elephanti: vix ad Græciam nudam occupandam ſatis copiarum, nedum ad ſuſtinendum Romanum bellum. Profectus Rex à Demetriade, Lamiam venit, exceptus ingenti favore multitudinis, Ætoli eum Imperatorem Regemque appellandum cenſuerunt. Cum Apocletis inito conſilio, verſus Chalcidem eſt progreſſus: eum cives excipere recuſarunt, ſed Antiochus reverſus cum exercitu, tandem obtinuit ut portæ ſibi aperirentur. SELEUC. AN. 121. Liv. lib. 35. c. 42.

M. Acilius Glabrio ad quintas Nonas Maias Româ paludatus egreſſus eſt, & ſub idem tempus à duobus Regibus Philippo & Ptolemæo Romam venerunt, pollicentes ad bellum auxilia, & pecuniam, & frumentum: à Ptolemæo etiam mille pondo auri, viginti millia pondo argenti allata. Nihil eſt acceptum, gratiæ Regibus actæ; & cùm uterque ſe in Ætoliam cum omnibus copiis venturum, belloque interfuturum polliceretur, Ptolemæo id remiſſum, Philippi legatis reſponſum, gratum eum Senatui Populoque Romano facturum, ſi M. Acilio Conſuli non defuiſſet. Item à Carthaginenſibus & Maſſiniſſâ Rege legati venerunt, triticum, & hordeum, & claſſem offerentes. AN. 122. Liv. lib. 36. c. 34.

Dum Antiochus Chalcide agebat, Epirotarum & Eleorum legati ad eum venerunt; ipſe Thebas deinde venit. In concilio Bœtorum decretum eſt de amicitiâ cum eo inſtituendâ. Hâc quoque gente adjunctâ Chalcidem regreſſus, Demetriade deinde convocavit principes Ætolorum, & Aminandrum Athamanum Regem ad conſultandum; & Hannibal, jamdiu non adhibitus, interfuit concilio, qui Philippum ante omnia & Macedonas in ſocietatem belli quâcunque ratione deducendos eſſe ſtatuit; ex ejus tamen ſententiâ nihil factum eſt, niſi quod ad claſſem copiaſque arceſſendas ex Aſiâ. Rex Polyxenidam miſit, deinde cùm Lariſſam aggredi ſtatuiſſet, & Ap. Claudius in urbis præſidium veniret, & in caſtris ignes accendiſſet, Rex Romanum exercitum cum Philippo eſſe exiſtimans, hyemem inſtare apud ſuos cauſatus, ab eâ receſſit, Chalcidem profectus. Antiochus ibi amore captus Eubiæ virginis Chalcidenſis, Cleoptelemi filiæ, licèt quinquagenario major, cùm patrem invitum primò allegando, deinde ipſe rogando fatigaſſet, tandem impetratâ re, nuptias tanquam in mediâ pace celebravit, feſtoſque dies egit per reliquum hyemis, oblitus quantas ſimul duas res ſuſcepiſſet, Romanum bellum, & Græciam liberandam, Polyb. l. 11. Liv. lib. 36. c. 5. & 6.

SELEUC. AN. 122. berandam, omissâ rerum omnium curâ, in conviviis & vinum sequentibus voluptatibus; ac deinde eâ fatigatione magis quàm satietate earum, in somnis traduxit. Eadem omnes ejus præfectos cepit luxuria, in eandem & milites effusi sunt; nec quisquam eorum aut arma induit, aut stationem aut vigilias servavit.

Antiochus principio veris cùm per Phocidem in Acarnaniam, quò exercitum ducere jusserat, venisset, facilè animadvertit nihilo sæviore disciplinâ milites, quàm ducem hybernasse, ipse Delphis sacrificio Apollini facto, Naupactum processit, Medeona Acarnaniæ fraude cepit, & præsidio ei imposito, Thyriam venit, ubi cùm accepisset Acilium cum legionibus mare trajecisse, per Ætoliæ ac Phocidis urbes Chalcidem rediit. Interim Philippus & M. Bæbius, præsidiis ad ea quæ Athamanes occupaverant, recipienda iverunt, Philippus Limnæam, Bæbius Pellinæum oppugnavit.

Liv. lib. 36. c. 11.

App. Syr. M. Acilius à Brundusio transvectus, Apolloniam cum decem millibus peditum, Appiano viginti, duobus millibus equitum, quindecim elephantis, pedestres copias Larissam ducere delectos militum Tribunos jussit: ipse cum equitatu Limnæam ad Philippum venit. Consulis adventu deditio sine cunctatione est facta, traditumque præsidium, & cum iis Athamanes. A Limnæâ Pellinæum Consul proficiscitur, multitudo Athamanum & militum Antiochi ad tria millia circiter Philippo est tradita: Acilius deinde Larissam est profectus, ibi de summâ belli consultaturus, paucos moratus dies, Cranonem processit. Venienti Pharsalus, Scotussa, & Pheræ, quæque in eis præsidia erant Antiochi, deduntur. Proernam inde recepit: ducere in Sinum Malliacum cœpit, captisque Thaumacis ad Sperchium pervenit, inde Hypatæorum agros vastavit.

Liv. l. 36. App. Syr. Antiochus, his Chalcide acceptis, celeritatem hostium pertimuit, ac demum sensit rectè consuluisse Hannibalem; missisque aliis post alios nuntiis, urgebat Polyxenidam ut trajiceret: undique ad se trahebat milites; in Ætoliam etiam misit, ut omni contractâ juventute convenirent: nam & ipse eò decem millia deditum & equites quingentos duxit. Cùm verò Ætolorum aliquanto pauciores quàm unquam antea convenissent, destitutus & à suis qui morabantur in Asiâ, & à sociis, intra saltum Thermopylarum se recepit: Ætolos, quorum quatuor millia convenerant, partim ad Heracleam præsidio obtinendam, partim Hypatam mittit. Consul depopulatus Hypatensem primò, deinde Heracleensem agrum, in ipsis Thermopylarum faucibus prope fontem adversus Regem castra posuit: die postero, luce primâ signo pugnæ proposito, instruit aciem arctâ fronte ad naturam & angustias loci. Rex ubi hostium signa conspexit, & ipse copias eduxit, velites & cetratos ante phalangem statuit, ipsam pro castris instruxit, ad dextrum ejus latus funditores ac sagittarios collocavit in pedem montis, elephantos in sinistro latere, postea equites, cohortes quibus stipari solebat, juxtà mare. Conserto deinde prælio, primùm Consul à velitibus infestabatur undique, quos tandem fugavit: phalanx illis per medium transmissis, & sarissas condensas objecit, non audentibus in infestas longas & multas hastas incurrere, multis temerè vallum subeuntibus transfixis.

fixis. Interea M. Porcius, à jugo Callidromi dejectis inde Ætolis, super imminentem castris collem apparuit: qui in castris regiis erant, primò Ætolos credere subsidio venire; sed ut signis eorum & armis ex propinquo cognitis errorem aperuerunt, tantus repentè pavor omnes cepit, ut abjectis armis fugerent. Romani Scarphiam persecuti hostes, multis in itinere cæsis captisque, in castra reverterunt. Consul noctis insequentis tertiâ vigiliâ præmisso equitatu ad persequendum hostem, signa legionum primâ luce movit. Aliquantum viæ perceperat Rex cum quingentis equitibus, ut qui non antè ab effuso constiterit cursu, quàm Elateam pervenerit: ibi primùm reliquiis pugnæ & fugæ collectis, cum perexigua manu semiinermium militum Chalcidem se recepit. Romanorum centum & quinquaginta desiderati sunt, ex regio exercitu quingenti duntaxat effugerunt. Consul postea Chalcidem petiit; sed Antiochus cum novâ nuptâ Eubiâ Ephesum se transmiserat. SELEUC. AN. 122.

Antiochus Ephesi de bello Romano securus, tanquam non transituris in Asiam Romanis; quam securitatem ei magna pars amicorum aut per errorem, aut assentando faciebat, Hannibal, unus cujus eo tempore apud eum auctoritas erat, magis mirari se aiebat, quòd non jam in Asiâ essent Romani, quàm venturos dubitare. Rex igitur navibus quæ paratæ instructæque erant Chersonesum petiit, ut ea loca præsidiis firmaret; cæteram classem Polyxenidam parare & deducere jussit, speculatorias naves ad omnia exploranda circa insulas dimisit. Delum trajecerat Polyxenidas, certior factus Deli stare Romanam classem, nuncios ad Antiochum misit, qui omissis quæ in Hellesponto agebat, cum rostratis navibus quantùm accelerare potuit, Ephesum rediit, & consilium extemplò habuit, faciendum-ne periculum navalis certaminis foret. Polyxenidas negabat cessandum, & utique priùs confligendum aiebat, quàm classis Eumenis & Rhodiæ naves conjungerentur: movit omnes auctor consilii: biduum in apparatu morati, tertio die centum, aliis ducenta, quarum septuaginta tectæ, cæteræ apertæ, monetes omnes fermè erant, profecti Phocæam petierunt: inde cum audiisset appropinquare jam classem Romanam Rex, quia interfuturus navali prælio non erat, Magnesiam ad Sipylum concessit, ad terrestres copias comparandas; & ad Cyssuntem portum Erythræorum, classis, tanquam ibi aptiùs hostes expectatura, contendit. Romani à Delo Phanas portum Chiorum petunt, inde Phocæam trajiciunt. Eumenes ad suam classem profectus, cum quatuor & viginti navibus rectis, apertis paulò pluribus, ad navale certamen rediit. Inde centum quinquaginta tectis navibus, apertis fermè quinquaginta profecti Romani ad Corycum portum, qui super Cyssuntem est, conati sunt trajicere. Polyxenidas, ut appropinquare hostes allatum est, occasione pugnandi lætus, sinistrum ipse cornu in altum extendit, dextrum cornu præfectos navium ad terram explicare jubet, & æquâ fronte ad pugnam procedebat. Quod ubi vidit Romanus, vela contrahit, malosque inclinat, simul armamenta componens, operitur insequentes naves. Jam fermè triginta in fronte erant, quibus ut æquaret lævum cornu, dolonibus erectis altum pe- Liv. l. 36.

SELEUC. AN. 122. tere intendit, jussis qui sequebantur, adversùs dextrum cornu prope terram dirigere. Eumenes agmen cogebat: cæterùm ut demendis armamentis tumultuari primùm cœptum est, & ipse quantâ maximâ celeritate potest, concitat naves. Jam omnibus in conspectu erant, duæ Punicæ naves antecedebant Romanam classem, quibus obviæ tres fuerunt regiæ naves, & ut in numero impari, duæ regiæ unam circumsistunt, & primùm ab utroque latere remos detergunt, deinde transcendunt armati, & dejectis cæsisque pugnatoribus, navem capiunt: una, quæ compari Marte concurrerat, postquam captam alteram navem vidit, priusquam à tribus simul circumveniretur, retrò ad classem refugit. Livius indignatione accensus, prætoriâ nave in hostes tendit, adversùs quam cadem spe duæ, quæ Punicam unam navem circumvenerant, cùm inferrentur, demittere in aquam remos ab utroque remiges stabiliendæ navis causâ jussit, & in advenientes hostium naves ferreas manus injicere; & ubi pugnam pedestri similem fecisset, meminisse Romanæ virtutis, nec pro viris ducere regia mancipia: haud paulò faciliùs quàm antè duæ unam, tunc una duas naves expugnavit, cepitque. Et jam classes quoque undique concurrerant, & passim permistis navibus pugnabatur. Eumenes, qui extremus commisso certamine advenerat, ut animadvertit lævum cornu hostium à Livio turbatum, dextrum ipse, ubi æqua pugna erat, invadit. Nec ita multò pòst, primùm à lævo cornu fuga cœpit: Polyxenidas enim, ut virtute militum haud dubiè superari se vidit, sublatis dolonibus effusè fugere intendit: mox idem & qui prope terram cum Eumene contraxerant certamen, fecerunt. Romani & Eumenes, quoad sufficere remiges potuerunt, & in spe erant extremi agminis vexandi, satis pertinaciter secuti sunt, tredecim captis navibus cum militibus ac remige, decem demersis. Romanæ classis unica Punica, in primo certamine à duabus circumventa, periit. Polyxenidas non priùs quàm in portu Ephesi fugæ finem fecit. Romani eo die unde egressa regia classis erat, manserunt; postero die hostem persequi intenderunt: medio ferè in cursu obviæ fuêre iis quinque,
Appian. Syriac. Appiano septem & viginti tectæ Rhodiæ naves cum Pausistrato præfecto classis: iis junctis Ephesum hostem persecuti, ante ostium portûs acie instructâ steterunt. Postcaquam confessionem victis satis expresserunt, Rhodii & Eumenes domos dimissi, Romani Phocœam transmittunt: ibi relictis ad præsidium urbis quatuor quinqueremibus, ad Canas classis venit; & cùm hyems appeteret, fossâ valloque circumdatis naves subductæ.

AN. 123. Liv. l. 37. Antiochus post navalem ad Corycum pugnam cùm totam hyemem liberam in apparatus terrestres maritimosque habuisset, classi maximè reparandæ, ne totâ maris possessione pelleretur, intentus fuerat, suc-
App. Syr. currit, superatum se cùm classis adfuisset Rhodiorum. Itaque & Hannibalem in Syriam misit, ut alias compararet è Phœnice & Ciliciâ naves; & Polyxenidam, quò minùs prosperè res gesta erat, eò enixiùs & eas quæ erant reficere, & alias parare jussit. Ipse in Phrygiâ hybernavit, undique auxilia arcessens; etiam in Gallo-Græciam misit: filium Seleucum in Æolide reliquit cum exercitu, ad mariti-

mas

mas continendas urbes, quas illinc à Pergamo Eumenes, hinc à Phocæâ Erythrifque Romani follicitabant. Rhodii æquinoctio verno Paufiftratum claffis præfectum cum fex & triginta navibus miferunt. Jam C. Livius Salinator à Canis cum triginta navibus & feptem quadriremibus, quas fecum Eumenes adduxerat, Hellefpontum petebat, ut ad tranfitum Romani exercitus, quem terrâ venturum opinabatur, præpararet quæ opus effent. SELEUC. AN. 123. Liv. l. 17.

Interim Polyxenidas (erat is exul Rhodius) cùm audiffet profectam à domo popularium fuorum claffem, & Paufiftratum præfectum, per internuntium pollicetur, fe regiam claffem Paufiftrato proditurum, fi per eum in patriam reftituatur. Panormum Samiæ terræ petit Paufiftratus, ibique Polyxenidæ literis & figno deceptus, nimiùmque credulus, neglexit excubias. Polyxenidas ab Ephefo folverat; ubi autem animadvertit Paufiftratum frumentatum fuos dimififfe, Nicandrum Archipiratam cum paucis Samum tranfmifit, ut armatos per terram ad tergum hoftium duceret: ipfe mediâ nocte folvit, & ante diluculum in dormientes adhuc irruit. Paufiftratus repentino & inopinato malo territus, juffit milites relictis navibus è terrâ repugnare, fed cùm etiam à tergo Nicander impetum in eum faceret, repentè mutato confilio naves confcendere omnes jubet, ipfe primus concitatâ nave remis ad oftium portus tendit; at roftris icta fupprimitur, & telis obruuntur propugnatores, inter quos & ipfe Paufiftratus impigrè pugnans interficitur. Naves quinque tantum Rhodiæ cum duabus Cois effugerunt, terrore flammæ micantis viâ fibi inter confertas naves factâ, reliquas viginti Polyxenidas remulco pertraxit Ephefum. Erythrææ triremes, cum haud procul à Samo Rhodiis navibus, quibus ut effent præfidio veniebant, obviæ fugientibus fuiffent, in Hellefpontum ad Romanos curfum anteverterunt. Sub idem tempus Seleucus Phocæam, portâ unâ per cuftodes apertâ, recepit, & Cuma aliæque ejufdem oræ urbes ad eum metu defecerunt.

Livius, auditâ claffis Rhodiæ ftrage, & veritus ne quid fuis navibus in Æolide relictis accideret, feftinus ad Canas rediit, & Eumenes Elæam venit: Livius omni claffe, cui adjunxerat triremes duas Mytilenæas, Phocæam petit, quam cùm teneri valido regio præfidio audiffet, nec procul Seleuci caftra effe, depopulatus maritimam oram, Samum cum Eumene petere intendit. Rhodii etiam, audito claffis nuntio, luctum in iram vertentes, viginti alias naves præfecto Eudamo miferunt. Polyxenidas Samum petituros ratus hoftes, ut fe Rhodiæ claffi conjungerent, ab Ephefo profectus eft; fed Romani Samiæ portum tenuerunt, & Polyxenidas Ephefum rediit: Samum & Rhodia claffis poft dies paucos venit, profecti extemplò funt Romani Ephefum, ordinatis navibus tanquam ad prælium: cùmque nemo ex adverfo prodiret, dimidium claffis in alto diu oftentarunt, reliquis navibus appulfi ad terram, deprædabantur. Andronicus Macedo, qui in præfidio Ephefi erat, jam in mœnibus appropinquantes irruptionem fecit, exutofque magnâ parte prædæ, ad mare ac naves redegit, Samum unde venerat claffis, repetit.

Seleucus cùm per omne hybernorum tempus exercitum in Æolide

SEL. EUC. AN. 123. continuisset, tunc transire in fines regni Eumenis, dum is procul à domo cum Romanis & Rhodiis Lyciæ maritima oppugnaret, statuit: ad Elæam primò accessit, deinde omissâ oppugnatione, ad caput arcemque regni Pergamum ducit. Attalus Eumenis frater, cùm intra mœnia se recepisset, obsideri urbs cœpta est. Eodem fermè tempore & Antiochus ab Apamæâ profectus, Sardibus primùm, deinde haud procul Seleuci castris ad caput Cayci amnis stativa habuit: cum magno exercitu misto variis ex gentibus, plurimum terroris in Gallorum mercede conductis quatuor millibus erat; hos paucis admistis, ad pervastandum passim Pergamenum agrum misit. Quæ posteaquam Samum sunt nuntiata, primò Eumenes avocatus domestico bello, cum

Polyb. l. 21. classe Elæam petit, inde Pergamum contendit. Paucos per dies Romana Rhodiaque classis ut Regi opem ferrent, Elæam à Samo venerunt, quos ubi exposuisse copias Elææ, & tot classes in unum convenisse portum Antiocho allatum est; & sub idem tempus audivit Consulem cum exercitu jam in Macedoniâ esse, pararique quæ ad transitum Hellespontì opus essent, tempus venisse ratus, priusquam terrâ marique simul urgeretur, agendi de pace, tumulum quendam adversus Elæam castris cepit: ibi peditum omnibus copiis relictis cum equitatu sex millium militum, in campos sub ipsa Elææ mœnia descendit, misso caduceatore Æmilium tum classis Romanæ post Livium, præfectum, velle se de pace agere. Æmilius Eumene à Pergamo accito, adhibitis & Rhodiis, responsum est Antiocho ante Consulis adventum de pace agi non posse. Antiochus pace nequicquam tentatâ, vastatis Elæensium primùm, deinde Pergamenorum agris, relicto ibi Seleuco filio, Adramyttæum, hostiliter itinere facto, petit. Eodem Adramyttæum ut urbi præsidio essent, navibus circumvecti Æ-

Liv. l. 37. milius & Eumenes venerunt. Per eos dies ex Achaiâ mille pedites cum centum equitibus duce Diophane Elæam accesserunt, & mox Pergamum deducti, audaciâ Seleucum ex agro Pergameno movere castra cogunt. Antiochus posteaquam Romanos & Eumenem ad tuendum Adramyttæum venisse audivit, eâ quidem urbe abstinuit, depopulatus agros: Pheream inde, coloniam Mitylenæorum expugnavit; Cotton, & Corylenus, & Aphrodisias, & Crene primo impetu captæ sunt, inde per Thyatira Sardes rediit. Seleucus in maritimâ orâ permanens, aliis terrori, aliis præsidio erat. Classis Romana cum Rhodiis in statione ne Polyxenidas ab Ephesо moveret, rediit Eumenes Elæam.

Rhodii adversus classem, quam fama erat ex Syriâ venire, tredecim suis navibus & unâ Coâ quinqueremi, alterâ Gnidiâ, Rhodum ut ibi in statione essent, profecti sunt. Biduo antequam Eudamus cum classe à Samo veniret, tredecim à Rhodo naves Pamphilidâ præfecto adversus eandem Syriacam classem missæ, assumptis navibus quatuor, quæ Cariæ præsidio erant, Eudamum confestim exire placuit: additæ huic quoque sunt ad eamclassem, quam habebat, sex apertæ naves. Profectus cùm quantùm accelerare poterat progressos consequitur; inde uno agmine Phaselidem cùm venissent, optimum visum est ibi hostem operiri, ex hâc pestilentiæ metu profecti, cùm præterveherentur Pamphylicum sinum, ad Eurymedontem amnem appulsâ classe, audiunt ab Aspendiis ad Sidam jam

jam hostes esse. Tardiùs navigaverant regii adverso tempore Etesiarum. Rhodiorum dux & triginta quadriremes, quatuor triremes fuere. Regia classis septem & triginta majoris formæ navium erat, in quibus tres hepteres & quatuor hexeres habebat, præter has decem triremes erant: & alii adesse hostes ex speculâ quâdam cognovêre. Utraque classis postero die, luce primâ, tanquam eo die pugnatura, è portu movit: & posteaquam superavêre Rhodii promontorium, quod à Sidâ prominet in altum, extemplò & conspecti ab hostibus sunt, & ipsi eos viderunt. A regiis sinistro cornu quò ab alto objectum erat, Hannibal, dextro Apollonius purpuratorum unus præerat, & jam in frontem directas habebant naves. Rhodii longò agmine veniebant; prima prætoria navis Eudami erat, cogebat agmen Chariclitus. Pamphilidas mediæ classi præerat. Eudamus, posteaquam hostium aciem instructam & paratam ad concurrendum vidit, & ipse in altum evehitur, & deinceps quæ sequebantur, servantes ordinem, in frontem dirigere jubet. Ea res primò tumultum præbuit: nam nec sic in altum evectus erat, ut ordo omnium navium ad terram explicari posset; & festinans ipse præproperè cum quinque solis navibus, Hannibali occurrit: cæteri, quia in frontem dirigere jussi erant, non sequebantur. Extremo agmini loci nihil ad terram relicti erat: trepidantibus iis inter se, jam in dextro cornu adversus Hanibalem pugnabatur, sed momento temporis navium virtus & usus rei maritimæ terrorem omnem Rhodiis dempsit: nam postquam & in altum celeriter evectæ naves locum post se quæque venienti ad terram dedere, & si qua concurreret rostro cum hostium navi; aut proram lacerabat, aut remos detergebat, aut libero inter ordines discursu prætervecta, in puppim impetum dabat: maximè exterruit hepteris regia à multò minore Rhodiâ nave uno ictu demersa. Itaque jam haud dubiè dextrum cornu hostium in fugam inclinabat; Eudamum in alto multitudine navium maximè Hannibal, cæteris omnibus præstantem, urgebat, & circumvenisset, ni signo sublato ex prætoriâ nave (quo dispersam classem in unum colligi mos erat) omnes quæ in dextro cornu vicerant naves, ad opem ferendam suis occurrissent: tum & Hannibal quæque circa eum erant naves, capessunt fugam; nec insequi Rhodii, ex magnâ parte ægris, & ob id celeriùs fessis remigibus, potuerunt: sed ut ejus ad veterem classem transitum impedirent, Chariclitum cum viginti navibus rostratis ad Patara & Megisten portum miserunt; quò etiam mox Pamphilida cum quatuor navibus tectis missus est, atque ita in Pamphyliâ clausus Hannibal est.

SELEUC. AN. 123.

Antiochus non civitatum modò, quæ circa se erant, contrahebat præsidia, sed ad Prusiam Bithyniæ Regem miserat, qui eum hortaretur ad ineundam secum societatem. Prusias superioribus quidem temporibus non erat alienus à consilio jungendæ cum Antiocho societatis; admodum enim Romanos formidabat, ne ad tollendas omnes dominationes in Asiam trajicerent: sed postquam allatæ ei fuerunt litteræ à L. & P. Scipionibus, accepit, legitque, monebant eum ut posito metu de regno suo, P. Romani partes amplecteretur; fore enim nunquam ut ejus consilii ipsum pœniteat: sed maximè confirmatus est

Polyb. l. 12.

SELEUC. AN. 122. animus Regis, cùm ad eum C. Livius, qui Prætor antè classi præfuerat, legatus Româ venit, & edocuit, quantò & spes victoriæ certior Romanis quàm Antiocho, & amicitia sanctior firmiorque apud Romanos futura esset. Antiochus posteaquam à spe societatis Prusiæ decidit, Ephesum à Sardibus est profectus ad classem, quæ per aliquot menses instructa ac parata fuerat, visendam. Cùm enim nullam aliam rationem esse judicaret impediendi ne pedestres hostium copiæ trajicerent, atque omnino bellum ex Asiâ expellendi, quàm si potentem maris se firmè stabiliret, navali prælio dimicare proposuit: Notium itaque à vetere Colophone duo fermè millia passuum distans oppugnare aggressus est, ut dum Romani sociam urbem obsidione liberare pararent, occasione rei bene gerendæ Polyxenidæ daretur: qui cùm audisset Romanos à Samo movisse, & ipse forsan à Colophone profectus, hostium classi ad Myonnesum occurrit, & totis classibus tunc simul ab omni parte conserta est: à Romanis octoginta naves pugnabant, ex quibus duæ & viginti, Appiano viginti quinque; Antiochi classis nonaginta & una naves fuerunt, & maximæ formæ naves tres hexeres habebat, duas hepteres: maximo tamen terrori fuêre Rhodiæ, quæ ignes præ se ferebant; & quod unum iis ad Panormum circumventis saluti fuerat, id tum maximum momentum ad victoriam fuit: nam metu ignis adversi regiæ naves, ne prorâ concurrerent. Cùm declinassent, neque ipsæ ferire rostro hostem poterant, & obliquas se ipsæ ad ictus præbebant; & si qua concurrerat, obruebatur infuso igni, magisque ad incendium quàm ad prælium trepidabant: plurimùm tamen quæ solet, militum virtus in bello valuit; mediam namque aciem hostium Romani cùm rupissent, circumvecti à tergo, pugnantibus adversus Rhodios regiis se se objecêre, momentoque temporis & media acies Antiochi & lævo in cornu circumventæ urgebantur. Dextra pars integra, sociorum magis clade quàm suo periculo terrebatur: cæterùm posteaquam alias circumventas prætoriam navem Polyxenidæ relictis sociis vela dantem videre, sublatis statim dolonibus (& erat secundus petentibus Ephesum ventus) capessunt fugam, quadraginta duabus navibus in eâ pugnâ amissis, quarum tredecim captæ in potestatem hostium venerunt, ceteræ incensæ aut demersæ. Romanorum duæ naves fractæ sunt, vulneratæ aliquot; Rhodia una capta memorabili casu.

Syriac.

Liv. l. 37. Post adversam navalem pugnam territus Antiochus, quia possessione maris pulsus, longinqua tueri diffidebat se posse, præsidium à Lysimachiâ deduci pravo consilio jussit: Colophonis itaque obsidione Polyb. l. 23. abscessit, & Sardes se recepit, atque in Cappadociam ad Ariarathen, qui auxilia arcesserent, & quocumque alio poterat ad copias contrahendas; ipse verò Sardibus rei gerendæ tempora consumebat, & summâ lentitudine omnia administrabat. Æmilius Rhegillus naves Chio quassatas cùm refecisset, L. Æmil. Scaurum cum triginta navibus Hellespontum misit ad exercitum trajiciendum. Classis à Chio Phocæam trajecit, quæ post oppugnationem dedita est: & quia jam hyems appetebat, Prætor ejus portus ad hybernandum delegit.

Consuli transgresso Æniorum Maronitarumque fines, nuntiatur victam

victam regiam classem ad Myonnesum, relictamque à præsidio Lysimachiam esse: ea referta omnium rerum commeatibus velut in adventum Romani exercitus præparatis, eos excepit. Ibi paucos dies stativa habuere, ut impedimenta ægrique consequerentur: receptis omnibus ingressi rursus iter per Chersonnesum, Hellespontum perveniunt; ibi omnibus curâ Eumenis ad trajiciendum præparatis, velut in pacata littora, nullo prohibente, aliis aliò delatis navibus, sine tumultu trajecêre. Ea verò res Romana auxit animos, concessum sibi transire cernentibus in Asiam, quam rem magni certaminis futuram crediderant. SELEUC. AN. 123.

Antiochus Sardibus hærens, simul intellexit trajecisse hostes Hellespontum, fractus animo, legatos ad L. & P. Scipiones de pace statuit mittendos. Ad id munus Heraclidem Byzantinum deligit. Is legatus ut ad Hellespontum venit, Romanos eodem in loco reperit stativa agentes, ubi primùm tentoria fixerant, cognovitque quòd P. Scipio trans mare adhuc erat, quòd ille Salius erat, & tempore solennitatis, ex quo loco suit deprehensi Salii discedere non possint: ut autem P. trajecit mare, legatus Consulem adiit, petiitque ut mandata audiret. Advocato frequenti concilio, legatus obtulit Smyrnam, Lampsacum, Alexandriam Troadem, & Lysimachiam in Europâ, ne quid in eâ Regem habere dicerent; & si Ionicas quoque ac Æolicas urbes quòd suarum partium fuerint, vindicare ab imperio regio velint Romani, impensæ quoque in bellum factæ partem dimidiam Regem Populo Romano præstiturum. Respondit Consul æquum esse ut Antiochus impensæ in bellum factæ non dimidiam partem, sed totam ipse præstet: neque enim propter Romanos, sed propter Regem bellum initiò constitutum fuisse: æquum etiam esse, ut non eas duntaxat urbes, quæ sunt in Æolide atque Ioniâ, liberet, sed ut Græcia omnis liberata esset, ita quæ in Asiâ sint, omnes liberari urbes. Id aliter fieri non posse, quam ut cis Taurum montem possessione Asiæ Antiochus discedat. Legatus posteaquam nihil æqui in concilio impetrare se censebat; privatim (sic enim imperatùm erat) P. Scipionis tentare animum conatus, omnium primum filium ei sine pretio redditurum Regem dixit: deinde, ignarus & animi Scipionis & moris Romani, auri pondus ingens est pollicitus, & nomine tantùm regio excepto, societatem omnis regni, si per eum pacem impetrasset. Ad ea Scipio: Lysimachia tenenda erat, ne Chersonesum intraremus. Concesso vero in Asiam transitu, & non solùm frænis, sed etiam jugo accepto, imperium patiendum est. Ego ex munificentiâ regiâ maximum donum filium habebo, pro tanto in me munere gratum me esse in se sentiet, si privatam gratiam pro privato beneficio desiderabit; publicè nec habebo quicquam ab illo, nec dabo: quod in præsentiâ dare possim, fidele consilium est. Abi, nuntia meis verbis, bello absistat, pacis conditionem nullam recuset. His auditis revertitur Heraclides, qui Regem ut convenit, omnia sigillatim ei exposuit. Antiochus, nihil gravius sibi si bello esset victus imperatum ire ratus, cogitatione pacis abstinuit, & necessaria ad prælium omnia undique comparavit.

Polyb. l. 23. Liv. lib. 37. App. Syr.

Liv. lib. 37.

SELEUC. AN. 121. Liv. l. 37. Conful cùm ex ftativis moviffet, Dardanum primùm, deinde Rhœteum, poftea Ilium proceffit; inde fextis caftris ad caput Caïci amnis pervenit. Confilium erat ire ad hoftem priufquam appeteret. Regia caftra circa Thyatira erant: ibi cùm audiffet Antiochus P. Scipionem ægrum Elæam delatum, legatos qui filium ad fe reducerent mifit. Renunciate, inquit, gratias Regi me agere, referre gratiam nunc non poffe, quàm ut fuadeam, ne ante aciem defcendat, quàm in caftra me rediiffe audiverit. Quamquam feptuaginta peditum millia, plùs duodecim equitum, animos interdum ad fpem certaminis faciebant, motus tamen Antiochus tanti authoritate viri, in quo ad incertos belli eventus omnis fortunæ pofuerat fubfidia, recepit fe, tranfgreffus Phrygium amnem, circaque Magnefiam, quæ ad Sipylum eft, pofuit caftra; & ne, dum extrahere tempus vellet, munimenta Romani tentarent, foffam fex cubitis altam, duodecim latam cùm duxiffet, extra duplex vallum foffæ circumdedit, interiore labro murum cum turribus crebris objecit, unde facilè arceri tranfitu foffæ hoftis poffet. Conful, circa Thyatira Regem effe ratus, continuis itineribus quinto die ad Hyrcanum Campum defcendit: inde cùm profectum audiffet, fecutus veftigia, circa Phrygium amnem quatuor millia ab hofte pofuit caftra. Eò mille fermè equites tumultuosè amne trajecto, in ftationes impetum fecerunt: primò turbaverunt incompofitos; biduum deinde filentium fuit, neutris tranfgredientibus amnem: tertio poft die Romani fimul omnes tranfgreffi funt, & duo millia fermè & quingentos paffus ab hofte pofuerunt caftra. Metantibus, & muniendo occupatis, tria millia delecta equitum peditumque regiorum magno terrore ac tumultu advenêre, fed pulfi funt, centum ex his occifis, & centum fermè captis. Per quatriduum infequens inftructæ utrinque acies pro vallo ftetere, quinto die Romani proceffere in medium campi. Antiochus nihil promovit, ita ut extremi minùs mille pedes à vallo abeffent. Conful, pofteaquam detrectari certamen vidit, poftero die in concilium advocavit: nullum unquam Romani hoftem contempferunt, conclamatum eft undique, duceret extemplò per vallum, caftra invadere parati erant, fi in prælium hoftis non exiret: mittitur Cn. Domitius ad explorandum iter, & quà parte adiri vallum hoftium poffet. Is pofteaquam omnia certa retulit, poftero die propiùs caftra admoveri placuit: tertio die figna in medium campi prolata, & inftrui acies cœpta. Nec Antiochus ultrà tergiverfandum ratus, ne ut fuorum animos minueret detrectando certamen, & hoftium fpem augeret, cùm poffet ftare pro vallo, aut hoftem arcere à munitionibus, donec melius haberet Publius, & ipfe copias eduxit circa ultimam vigiliam, tantùm progreffus à caftris, ut dimicaturum appareret. Romana acies unius propè formæ fuit & hominum & armorum genere, in univerfum triginta millia: regia verò varia magis, multis gentibus diffimilitudine armorum auxiliorumque erat, in cujus
App. Syr. exercitu feptuaginta millia numerabantur. Rex ipfe in dextro cornu
Liv. l. 37. erat; Seleucum filium, & Antipatrum fratris filium, in lævo præpofuit: media acies tribus permiffa, Minioni, aliis Mendi, Zeuxidi, & Philippo magiftro elephantorum. Nebula matutina crefcente die

levata

levata in nubes caliginem dedit, humor ab Austro velut perfudit omnia, caligo regiis perincommoda erat, cùm ne ex medio quidem cornua sua circumspicerentur, & humor arcus, fundasque, & jaculorum armenta emollierat. Paleatæ quadrigæ, quas in primâ acie locaverat Rex, in suos terrorem verterunt; quod ubi Eumenes vidit, haud ignarus pugnæ cætera contemplit; Cretenses sagittarios, funditoresque, & jaculatores equitum, non consertos, sed quàm maximè possent dispersos excurrere jubet, simul omnibus tela ingerere. Hàc veluti procellâ equos, partim vulneribus, partim clamoribus dissonis, ita consternarunt, ut repentè velut effrænati passim incerto cursu ferrentur: ita medio inter duas acies campo exiguntur quadrigæ, tum ad justum prælium signo utrinque dato concurrunt: mox cladis causæ fuerunt auxilia subsidiaria, quæ proxima locata erant, pavore & consternatione quadrigarum territa, & ipsa in fugam versa, nudaverunt omnia usque ad cataphractos equites, ad quos cùm pervenisset equitatus Romanus, ne primum quidem impetum pars eorum sustinuerunt, alii fusi, alii propter gravitatem tegumentorum armorumque oppressi sunt. Totum deinde lævum cornu inclinavit, & usque ad mediam aciem terror pervenit; ubi incursu suorum cùm impeditus esset usus prælongarum hastarum, (sarissas Macedones vocant,) intulêre signa Romanæ legiones, & pila in perturbatos conjecere: ne interpositi quidem elephanti militem Romanum deterrebant, assuetum jam ab Africis & vitare impetum belluæ, & ex transverso pilis incessere, aut si propiùs subire posset, gladio nervos incidere. Jam media acies ferè omnis à fronte prostrata erat, cùm & subsidia circumventa à tergo cædebantur. Seleuc. AN. 123.

Antiochus à dextro cornu in quatuor turmas equitum, cùm ibi fiduciâ fluminis nulla alia subsidia cerneret, impetum facit: nec à fronte tantùm, sed à latere urgebat, donec fugati equites primùm, deinde proximi peditum effuso cursu ad castra compulsi sunt. Præerat castris M. Æmil. Lepidus Tribunus militum: is quà fugam cernebat suorum, cum præsidio omni occurrit; & stare primò, deinde redire in pugnam jubebat, pavorem & turpem fugam increpans: redierunt ergo in pugnam, & Æmilius cum suo præsidio (erant autem duo millia virorum) effusè sequenti Regi acriter resistit: & Attalus Eumenis frater à dextro cornu, ut tumultum circa castra vidit, in tempore cum ducentis equitibus advenit. Antiochus, posteaquam & eos quorum terga modo viderat, repetentes pugnam, & aliam & à castris & ex acie affluentem turbam conspexit, in fugam vertit equum: ita utroque cornu victores Romani pergunt ad castra diripienda. Equites primi omnium Eumenis hostem fugientem toto passim campo sequuntur: in castris quoque ingens & major propè quàm in acie cædes est edita: ad quinquaginta millia peditum annumeratis captivis desiderata dicuntur, equitum quatuor millia, capti mille & quingenti, & elephanti quindecim cum rectoribus. Romanorum aliquot vulnerati sunt, ceciderunt trecenti pedites, quatuor & viginti equites, & de exercitu Eumenis quinque & viginti, aliis tantùm quindecim: & illo die victores, direptis hostium castris, cum magnâ prædâ in sua revertuntur; App. Syr. Liv. l. 37.

Seleuc. postero die spoliabant cæsorum corpora, & captivos contrahebant.
AN. 123. Rex cum paucis fugiens, continuo cursu, mediâ fermè nocte Sardes concessit: inde cùm audisset Seleucum filium & quosdam amicorum Cælenas, quam Apamæam vocant, prægressos, & ipse quartâ vigiliâ cum conjuge & filiâ Apamæam petit, Sardium custodiâ Zenoni traditâ, Timone Lydiæ præposito, quibus spretis, consensu oppidanorum & militum qui in arce erant, legati ad Consulem missi sunt. Sub idem tempus legati à Tyathiris & à Magnesiâ ad Sipylum, à Trallibus, à Magnesiâ quæ super Meandrum est, & ab Epheso legati ad dedendas urbes venerunt. Reliquerat Ephesum Polyxenidas auditâ pugnâ, & classe usque Patara Lyciæ pervectis, metu stationis Rhodiarum navium, quæ ad Megisten erat, in terram egressus cum paucis, itinere pedestri Syriam petiit. Asiæ civitates in fidem Consulis ditionemque Populi Romani se se tradebant: Sardibus jam Consul erat, eò & P. Scipio ab Elæâ eùm primùm pati laborem viæ potuit, venit. Sub idem tempus Musæus caduceator ab Antiocho, qui Syriam jam profectus erat, per P. Scipionem à Consule petiit, impetravitque ut oratores mittere liceret Regi. Paucos post dies Zeuxis, qui præfectus Lydiæ fuerat, & Antipater fratris filius, venerunt. Hi priùs Eumene convento, quem propter vetera certamina aversum maximè à pace credebant esse, & placatiore invento, tum P. Scipionem & per eum Consulem adierunt: concilio ipsis præbito, alia quidem multa disseruerunt; cæterùm primus legationis scopus erat, quid facto opus esset ut pacem & amicitiam Populi Romani Rex impetraret. Qui concilio intererant, P. Scipionem jusserunt, ea quæ ipsi decreverant edere. Ille nunquam Romanos post victoriam hostibus suis implacabiliores fuisse dixit. Nunc igitur idem responsi laturos ipsos à Romanis, quod priùs tulissent, eùm ad Hellespontum, priusquam prælium committeretur, venerunt: Oportere nimirum ut Europâ ipsi excederent, & Asiâ minore cis Taurum: ad hæc pro impensis ad bellum factis, quindecim darent millia talentûm Euboïcorum, quingenta præsentia, duo millia & quingenta eùm Populus Romanus pacem confirmaverit, reliqua deinde per duodecim annos, ita ut mille talenta quotannis penderent: Eumeni quoque quadringenta talenta adhuc debita redderent, & reliquum frumenti, quod ex fœdere cum ejus patre icto deberetur. Hannibalem præterea Carthaginensem dederent, & Thoantem Ætolum, & cum eo Mnasimachum Acarnana, & Chalcidenses Philonem & Ebulidam: elephantos quotquot haberent, traderent, ut & naves; & in posterum, nec elephantos alios parare, nec naves ultra statutum numerum: obsides viginti ex arbitrio Consulis. Cum his mandatis à Rege missi erant legati, ut omnem pacis conditionem acciperent: itaque Romam mitti legatos placuit,
Justin. l. 32. Corn. Nep. in Acta Hannib. Consul in hyberna exercitum Magnesiam ad Meandrum, & Tralles, Ephesumque divisit. Ephesum ad Consulem paucos post dies obsides à Rege adducti sunt: Hannibal ab Antiocho admonitus, in
AN. 124. Cretam fugit; & legati, qui Romam irent, venerunt.
Polyb. l. 25. Vere ineunte M. Aur. Cotta L. Scipionis cum Antiochi legatis, &
Liv. l. 37. Eumenes Rhodiique Romam postea venerunt. Cotta in Senatu primùm,

mum, deinde in concione jussu Patrum, quæ acta in Asiâ essent, exposuit; tum omnium primùm Eumeni Senatus datus est. Post Rhodios Antiochi legati vocati sunt: ii vulgato petentium veniam more, errorem falsi sunt Regis: Senatus pacem servandam censuit, & paucos post dies Populus jussit. Fœdus in Capitolio cum Antipatro principe legationis, & eodem fratris filio Regis Antiochi est ictum, quod in æs incisum, dicatumque est in illo, ubi solent & alia dedicari fœdera. Exemplar ejus deinde M. Vulsoni Consuli transmissum est. Auditæ deinde & aliæ legationes ex Asiâ sunt, quibus omnibus raptim datum est responsum. Decem legatos more majorum Senatum missurum ad res Asiæ disceptandas componendasque, qui mox decreti sunt; summam tamen hanc fore, ut cis Taurum montem quæ intra regni Antiochi fines fuissent, Eumeni attribuerentur; præter Lyciam Cariamque usque ad Meandrum amnem, ea civitatis Rhodiorum essent: cæteræ civitates Asiæ, quæ Attali stipendiariæ fuissent, eædem Eumeni vectigal penderent; quæ vectigales Antiochi fuissent, eæ liberæ & immunes essent. Rhodii pro his cùm gratias egissent, Solis urbem quæ in Ciliciâ est, quasi germani & ab Argis etiam essent oriundi, pro extraordinario munere petierunt, ut eam civitatem ex servitute regiâ eximerent. Vocati sunt Antiochi legati, actumque cum iis est, nec quidquam impetratum, testante fœdera Antipatro. SELEUC. AN. 124. Liv. l. 37. App. Syr.

Cn. Manlius primo vere Ephesum venit, acceptisque copiis à L. Scipione, milites ad bellum contra Gallos susceptum, quòd juvissent Antiochum, duxit. Cùm ad Antiochiam super Meandrum castra posuisset, huc Seleucus Antiochi filius, ex fœdere icto cum Scipione ad frumentum dandum venit. Parva disceptatio de Attali auxiliaribus orta est, quòd Romano tantum militi pactum Antiochum, ut daretur frumentum, Seleucus dicebat. Discussa ea quoque est constantiâ Consulis, qui dimisso Tribuno edixit, ne Romani milites acciperent priusquam Attali auxilia accepissent. Polyb. l. 35. Liv. l. 38.

Domitis Gallis, Manlius hybernavit in Asiâ. Principio veris Apamæam venit, ut in Pamphyliam transiret, ubi Antiochi legati pecuniam & frumentum ex pacto fœdere jussi advehere, mille & quinquaginta talenta argenti accepta Apamæam deportantur: frumentum exercitui dividitur, inde ad Pergam ducit, quæ una in iis locis regio tenebatur præsidio. Appropinquanti præfectus præsidii obvius fuit, triginta dierum petens, ut Regem de urbe tradendâ consuleret, dato tempore, ad eum diem præsidio decessum est, à Pergâ decem legatos Apamæam venisse audierat, jussis sequi Antiochi legatis, ad eam profectus est: ibi ex decem legatorum sententiâ fœdus cum Antiocho conscriptum est in hæc ferè verba. „ Amicitia Regi Antiocho cum Populo Romano his legibus & conditionibus esto: Ne „ quem exercitum, qui cum Populo Romano sociisque bellum gesturus erit, Rex per fines regni sui eorum qui sub ditione ejus erunt, „ transire sinito, neu commeatu, ne quâ aliâ ope juvato. Idem AN. 125. Liv. l. 38.

V „ Rho-

SELEUC. AN. 125.

„ Romani sociique Antiocho & iis qui sub imperio ejus erunt, præstent. Belli gerendi jus Antiocho ne esto cum iis qui insulas colunt, neve in Europam transeundi. Excedito urbibus, agris, vicis, castellis cis Taurum montem usque ad juga quà in Lycaoniam vergit: neque arma efferto ex iis oppidis, agris, castellisque quibus excedat; si qua extulit quæ quoque oportebit, rectè restituito. Ne militem, neque alium ex regno Eumenis recipito: si qui earum urbium cives qui regno abscedunt cum Rege Antiocho, intraque fines ejus regni sunt, Apamæam omnes ante diem certum redeant. Qui ex regno Antiochi apud Romanos sociosque sunt, iis jus abeundi manendique esto. Servos, seu fugitivos, seu bello captos, seu qui liber captus aut transfuga erit, reddito Romanis sociisque. Elephantos tradito omnes quos Apamææ habet, neque alios parato. Tradito & naves longas, armamentaque earum, neve plures quàm decem naves actuarias, nullam quæ plusquam triginta remis agatur, habeto, neve monerem ex belli causâ quod ipse illaturus erit. Neve navigato citra Calycadnum neve Sarpedonem promontoria, extraquam si qua navis pecuniam, stipendium, aut legatos, aut obsides portabit. Milites mercede conducendi ex iis gentibus quæ sub ditione Populi Romani sunt, Antiocho Regi jus ne esto ne voluntarios quidem recipiendi. Rhodiorum sociorumve quæ ædes ædificiaque intra fines regni Antiochi sunt, quo jure ante bellum fuerunt, eo Rhodiorum sociorumve sunto. Si quæ pecuniæ debentur, earum exactio esto. Si quid ablatum est, id conquirendi, cognoscendique jus idem esto. Si quas urbes, quas tradi oportet, ii tenent, quibus Antiochus dedit, ex iis præsidio deducito: utique rectè tradantur curato. Argenti probi duodecim millia Attica talenta dato intra duodecim annos pensionibus æquis. Talentum ne minus pondo octoginta Romanis ponderibus pendat, & tritici quingenta quadraginta millia modiûm. Eumeni Regi talenta trecenta quinquaginta intra quinquiennium dato: & pro frumento, quod æstimatione fiat, talenta centum viginti septem. Obsides Romanis viginti dato: & triennio mutato, ne minores octodecim annorum, neu majores quinum quadragenum. Si qui sociorum Populi Romani ultrò bellum inferent Antiocho, vim vi arcendi jus esto, dum ne quam urbem aut belli jure teneat, aut in amicitiam accipiat. Controversias inter se jure ac judicio disceptanto; aut si utrisque placebit, bello. „ Consul juravit in fœdus: in Syriam à Rege qui exigerent jusjurandum, profecti Q. Minutius Thermus, & L. Manlius. Consul Q. Fabio Labeoni, qui classi præerat, scripsit ut Patara extemplò proficisceretur, quæque ibi naves regiæ essent, concideret & cremaret: Profectus ab Ephesо, quinquaginta naves tectas aut concidit, aut incendit. Cn. Manlius cùm inter cætera, quæ accipienda ab Antiocho erant, elephantos accepisset, dono Eumeni omnes dedit. Civitatum autem cognitis causis, decem legati aliam aliarum fecerunt conditionem: quæ stipendiariæ Regi Antiocho fuerant,

rant, & cum Populo Romano fenferant, iis immunitatem dederunt: quæ partium Antiochi fuerant, aut ftipendiariæ Attali Regis, eas omnes vectigal pendere Eumeni jufferunt. De Pamphyliâ difceptatum inter Eumenem & Antiochi legatos cum effet, quia pars ejus citra, pars ultra Taurum eft, integra res ad Senatum rejecta. SELEUC. AN. 125.

Antiochus cùm gravi tributo pacis premeretur & oneratus effet, feu inopiâ pecuniæ compulfus, feu avaritiâ follicitatus, quia fperabat fe fub fpecie tributariæ neceffitatis excufatus facrilegia commiffurum, Sufam & ultimas regni fui penetravit urbes, cùm Beli feu Jovis Elymæi templum fpoliare conaretur, nocte adhibito exercitu, concurfu incolarum, abfque aliorum ope, cum omni militiâ interficitur. Quidam id de Antiocho Epiphane memorant: alii occifum eum à fatellitibus vel à fodalibus, quos in convivio temulentiùs pulfaverat: quidam ejus mortem ut incompertam omiferunt. Regnavit annos feptem & triginta incœptos: mortuus autem ætatis quinquagefimo fecundo. Reliquit novem filios, Antiochum, quem forori matrimonio conjunxerat, Seleucum, qui ei fucceffit, Antiochum Deum Epiphanem, Ardyem, & Mithridatem: Laodicen Antiocho fratri nuptam, Cleopatram Ptolemæi Epiphanis uxorem, Antiochidem Ariarathis Cappadocum Regis, & ultimam Eumeni Pergami Regi oblatam. AN. 126. Juftin l. 32. Hieron. in Dan. c. 11. Strabo l. 16. Eufeb. Chr. Aur. Vict. Livius. Appian.

Princeps fuit humanus, clemens, & beneficus. Tanti decreta Legum feciffe proditur, ut datis diplomatis edixerit, ut fi quid juffu fuo contra leges & jura decretum foret, ne fibi parerent, & impunè fibi adverfarentur. Charax oppidum Perfici finus intimum inter confluentes Tigris & Eulæi fluviorum (quod Alexander Magnus Alexandriam appellari jufferat) Pellæumque, quòd flumina expugnavère, reftituit, & fuo nomine Antiochiam appellavit. Mnefiptolemus Hiftoriographus apud eum autoritate & gratiâ plurimùm potuit. Adverfus omnia venena theriacâ utebatur, cujus defcriptionem incifo lapide verfibus in limine ædis Æfculapii pofuit. Antiochus initiò quidem maximarum rerum capax effe vifus eft, & ad perficiendum id quod femel fufcepiffet, fingulari audaciâ præditus; fed in ipfo progreffu ætatis longè cùm feipfo, tum exterorum hominum expectatione inferior apparuit. Philo de Temp. Alex. ab Alex. l. 6. Plin. l. 6. Athen. l 15. Plin. l. 2. Valef. Exc. p. 66.



Seleuc. An. 126.

NUMMI ANTIOCHI MAGNI.



Ex Musæo nostro.

Caput diademate redimitum: in aversâ parte Apollo sedens ut in aliis, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ.

Antiochus III. Callinici filius, Cerauni frater, in regno Syriæ annos quindecim natus, successit: cognominatus est Magnus ob egregia belli facinora; quod in nummis cognomen hactenus non observavimus. Joan. Faber duo hujus Regis numismata protulit, unum solâ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ epigraphe; alterum aureum quidem, & octo drachmarum, aliquantulum novitatis cum ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΜΕΓΑΛΟΥ ΑΝΤΙΟΧΟΥ inscriptione nobis suspectum, id auget illa ΜΕΓΑΛΟΥ ante nomen Antiochi in hisce Syriæ nummis insolita interpositio.

Comm. in Imag. illust. Fulv. Urs. p. 11.

Caput Antiochi M. in hoc argenteo numismate tetradragmo cum nudâ ut solet reperire epigraphe exhibetur, & cum juvenili facie, nasoque oblongo & acuto, qualem vulgavit Fulv. Ursinus: talis autem videtur fuisse initio quo regnum Syriæ suscepit, in ipsoque juventutis flore.

Apollo sedet solito modo.

Nummi Antiochi M. rari sunt & non obvii.



Ex Musæo nostro.

Caput diadematum: in aversâ parte triremis cum epigraphe, ΒΑΣΙ-

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ, & literis numeralibus ΡΙΖ. id est anno 117. Seleuc. AN. 126.

Prior nummus argenteus juvenilem Antiochi M. faciem, hic æreus, eam in ætate provectam exhibet, cum nudâ, ut diximus, nominis epigraphe, sed literis numeralibus insignem, quæ Antiochum Magnum haud dubiè arguunt: hæ enim annum æræ Seleucidarum 117. denotant, in quo imperabat ille Rex, & cujus vigesimus octavus imperii annus numerabatur. Quanta lux igitur ex istis literis in hâc Antiochorum natâ jam confusione eluceſſit, non modò in tantis Regibus Antiochorum nomine vacillantes eruunt, sed ad certa illorum regni tempora & ad indubitatam Seleucidarum epocham errabundos revocant.

Dimidia navis, seu triremis, solitus est Tyriorum typus, quem in sequentibus Syriæ Regum nummis prodit ΤΥΡΙΩΝ epigraphe. Antiochus Magnus Tyrum urbem Phœniciæ metropolim, & Ptolemaïda cum quadraginta navibus per Theodotum Ptolemæi Ægypti Regis Præfectum sibi traditas occupaverat anno regni sui quinto. Tyri, Antiocho gratulantes, nummum cum ærâ Seleucidarum in ejus honorem percusserunt.



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput idem cum eodem typo & eâdem epigraphe.

Hic nummus Antiochi Magni est, quem indicat similis quàm in superiori effigies: idem typus, licèt ex adverso, à Tyriis ut suprà signatus.

NUMMUS ACHÆI.



EX THESAURO REGIO.

Caput pelle leoninâ amictum: in aversâ parte aquila unguibus coronam, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΟΣ ΑΧΑΙΟΥ, id est REGIS ACHÆI.

Nummulus prodit mole exiguus, sed re elegantissimus: miserum illum exhi-

 bet

SELEUC. AN. 126. bet Achæum, qui cùm cognati Seleuci Philopatoris cædem egregiè ultus, diadema à populis certatim deferentibus oblatum, fortiter repulisset, inopinato rerum successu elatus, & ab honestis consiliis deflectens, illud postea ambitiosus assumpsit; & cùm factus esset omnium Regum ac Dynastarum cis Taurum potentissimus, tandem indignè proditus, supplicio affectus est.


Philostr. de Heroicis. Leonis exuviis caput amictum Reges pro diademate nonnunquam gestarunt, ut insigne cujusdam virtutis & præstantiæ, qualem nummulus Achæum oculis subjicit. Aquila in aversâ parte signata, frequens fortitudinis aut imperii symbolum est. An non potiùs Achæus, qni ut alter Alexander leonis exuvias ambivit, & aquilam in nummis coronam gerentem in victoriæ auspicium ipse sit imitatus.



SELEU-

SELEUCUS IV.





SELEUCUS IV., Antiochi M. filius natu major, patri in regno ſucceſſit, fratre Antiocho juniore Romæ obſide. PHILOPATOR cognominatus eſt, Joſepho SOTER. Bello Aſiatico cum patre adfuit: Lyſimachiæ inſtaurandæ ab eo eſt præfectus: P. Africani filium dum è Græcia navigaret cepit, & ad Antiochum patrem miſit: agrum Pergamenum invaſit, urbemque obſeſſit; Phocœnſium legatos Ariſtarchum, Caſſandrum, & Rhodonem excepit: in prælio ad Sipylum montem commiſſo, cornu lævo cum Antipatro à patre præpoſitus eſt: poſt Romanorum victoriam Cn. Manlio ad Antiochiam ſuper Meandrum, ex fœdere patris icto cum L. Scipione, frumentum exercitui Romano præbuit. Hieron. in Dan. l. 11. Joſeph. l. 12. in Excerpt. Diod.

Vix regni habenas ſuſceperat Seleucus, cùm eodem anno, ingenti populorum ſuorum gaudio, natus eſt illi filius Demetrius, quem moriente patruo Antiocho in eius locum regnante, viginti trium annorum fuiſſe ſignificat Polybius. Unicus hic regni hæres cùm Romæ obſes moriente patre detineretur, paternum regnum ſeriùs recuperavit. Polyb. l. 107.

Intra Taurum montem regnare Syrii Reges pace cum Romanis initâ juſſi, Seleucus regni ſui rebus occupatis, eas aſſerere ſtudens, le- AN. 127. Idem l. 41.

 gatos

SELEUC. gatos ad Achæos Megalopoli conventus tunc celebrantes mittit, tum
AN. 127. renovandæ amicitiæ causâ, tum ut decem naves longas eis pollicerentur: quâ de re cùm in concilio sub Aristæno eorum Prætore actum esset, placuit Achæis amicitiam Seleuco renovare, sed navium munus in præsentiâ non accipere.

AN. 128. Antiochus Magnus Seleuci pater, datâ, ut diximus, Ptolemæo
Joseph. l. 12. Epiphani in matrimonium Cleopatrâ filiâ, & concessâ dotis nomine Cæle-Syriâ unà cum Phœnice, Judæâ, & Samariâ, divisisque inter utrumque Regem vectigalibus, optimates suæ quisque patriæ exactionem eorum redimebant, & collectam pecuniam conferebant in regium
II. Mach. 3. ærarium; quâ occasione Judæi omni pace fruebantur, & Jerosolymam Reges honorabant, & templum muneribus optimis decorabant, adeò ut Seleucus suppeditaret de suis reditibus omnes sumptus ad ministeria sacrificiorum pertinentes.

AN. 129. Cùm inter Prusiam Bithyniæ, & Eumenem Pergami, Reges
Justin. l. 32. bellum ortum esset, Prusias Hannibalis consilio Pergamenum superabat: ideò missi à Senatu legati sunt, qui utrumque Regem in pacem cogerent. T. verò Flaminium ad Prusiam & Seleucum legatum tunc fuisse missum Polybius indicat. Pax tandem inter Reges inita est.

AN. 130. Olympiadis CLXIX. anno secundo venerunt Romam legati ab Eumene & Pharnace Rege Ponti tum inter se bellum gerenti-
AN. 131. bus: Ariarathes Cappadociæ Rex Eumeni se adjunxit; Seleu-
Valesii Excerpt. Diod. p. 302. cus, coactis haud contemnendis copiis, ad opem Pharnaci ferendam profectus, Taurum montem superare jam parabat; sed apud se reputans leges fœderis, quod Populus Romanus cum patre percusserat, quibus non licebat, exercitum dimisit: pax tandem
AN. 132. inter Reges per legatos Romanorum inita est; comprehensus est
Polyb. l. 59. hoc fœdere è Dynastis Asiæ majoris Artaxias partis Armeniæ Regulus, qui ab Antiocho Seleuci patre deficiens, proprium regnum ipso victo constituerat, Romanorum authoritate & confœderatione confirmatum.

AN. 133. Cùm Ptolemæus Epiphanes Seleuco moliretur insidias, & adversus
Hieron. in Dan. c. 11. eum exercitum præpararet, unus è ducibus ab illo quæsivit, tantas res moliens, ubi haberet pecuniam; respondit, sibi amicos esse divitias: quod cùm divulgatum esset in populis, timentes duces ne eorum opes ille aufferret, veneno eum sustulerunt.

AN. 134. Perseus, Philippo patre Macedonum Rege mortuo, regnum inva-
Liv. l. 40. sit, & legatos Romam misit ad amicitiam paternam renovandam, petendumque ut Rex à Senatu appellaretur: eodem simul tempore alios misit ad Seleucum, ut ab eo Laodicen filiam in uxorem acciperet, quæ desponsata, à Rhodiis magno apparatu totius classis ad ipsum de-
Polyb. l. 60. ducta est. Dum verò Regina in Macedoniam navigaret, Delum
AN. 135. insulam, in quâ celeberrimum erat Apollinis templum, pietatis causâ
Polyb. l. 60. appulit: cùm verò donis & templum & cives locupletasset, cives tanti beneficii memores statuam in ejus honorem erexerunt, in cujus basi hæc erat epigraphe.

Ο ΔΗΜΟΣ

Ο ΔΗΜΟΣ Ο ΔΗΛΙΩΝ ΒΑΣΙΛΙΣΣΑΝ ΛΑΟΔΙΚΗΝ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΕΛΕΥΚΟΥ ΓΥΝΑΙΚΑ ΔΕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΕΡΣΕΩΣ ΑΡΕΤΗΣ ΕΝΕΚΕΝ ΚΑΙ ΕΥΣΕΒΕΙΑΣ ΤΗΣ ΠΕΡΙ ΤΟ ΙΕΡΟΝ ΚΑΙ ΕΥΝΟΙΑΣ ΕΙΣ ΤΟΝ ΔΗΜΟΝ ΤΩΝ ΔΗΛΙΩΝ. Seleuc. AN. 135. Marmora Arund p. 42.

Populus Deliacus Reginam Laodicen, Regis Seleuci filiam, uxorem verò Regis Persei, virtutis causâ & pietatis circa templum, & benevolentiam erga populum Deliacum. Laodice Macedoniæ portum ingressa est, & Perseus singulis militibus qui Reginam comitati sunt, tæniam ex auro donavit, & Rhodiis navalis materiæ ad classem ædificandam, ingentem copiam largitus est.

Templi Jerosolymitani præpositus Simon Benjamin propter odium quo Oniam Pontificem persequebatur, relictâ patriâ, Apollonium Thraseæ filium, Cœle-Syriæ & Phœniciæ præfectum adit, cùm sciret Seleuco Regi centum talenta pro patre omni anno ex fœdere cum Romanis icto solvenda esse, illi indicat pecuniam apud Jerosolymitas in ærario esse, ad rationem sacrificiorum non pertinentem, quæ in Regis potestatem posset redigi. Quod cùm Seleuco Apollonius renuntiasset, Rex Heliodorum ærarii præfectum, qui eam pecuniam deportaret, misit: statimque ille specie quidem quasi per Cœle-Syriam ac Phœniciam esset peragraturus, Jerosolymam contendit. Ab Oniâ benignè acceptus est, & narravit Heliodorus de dato pecuniæ indicio: sed Pontifex argenti talenta quadringenta & ducenta auri monuit in templo asservata, ea esse partim viduarum & orphanorum, quædam verò esse Hyrcani Tobiæ nepotis deposita, quæ & templi, & depositi religionis veneratione minimè violanda. Heliodorus his rationibus haud motus, ingressus est templum cum militibus, ubi à Dei Angelis percussus, domum à suis est exportatus; mox tamen Oniæ precibus sanitati restitutus, ad Seleucum cum exercitu rediit, templi sanctimoniam, Dei potentiam, & quæ acciderant prædicans. Cum autem Seleucus ab eo petiisset, quis esset aptus iterum Jerosolymam mitti, respondit, si quem habes hostem, aut regni insidiatorem. AN. 136. II. Mach. 3.

Seleucus, conscius consiliorum patris Antiochi, cùm videret se neque Syriam possidere, quam quasi escam dederat Ægypti Regi pater, ut utrumque regnum obtineret; neque Ægyptum occupasse, etsi regnante puero id facile fore speraret; fratrem Antiochum obsidem evocare paravit, misso in ejus locum filio Demetrio, ut ejus operâ Syriam recuperare posset.

In pacis & fœderis formulâ Populi Romani cum Antiocho Magno erat expressum, ut omni anno, per duodecim scilicet, Attica talenta millia solverentur, & obsides viginti darentur, qui pro triennio mutarentur, excepto Antiocho fratre ejus minore. Seleucus à Romanis illum tandem postulavit, dato in ejus locum filio unico Demetrio. Consensere Romani. Romam venit Demetrius, & Antiochus ejus patruus Polyb. l. 35. AN. 137.

Seleuc. patruus Romam egressus, vix Athenas pervenerat, cùm Seleucus Heliodori,
AN. 137. Appianus ait cujusdam purpurati, sed ærarii illius præfecti,
Syriac. de quo antè, insidiis oppressus est.

Seleucus annos regnavit duodecim. Laodicen sororem, Antiochi fratris primogeniti viduam, duxit uxorem. Demetrium Soterem filium reliquit, qui tamen patri, cùm non esset in regno, post ejus mortem non successit, sed post aliquot annos paternum regnum recuperavit; & filiam Laodicen Perseo Macedonum Regi nuptam. Seleucus ab Appiano & aliis dicitur otiosus regnasse propter cladem quam pater acceperat: fœdere equidem cum Romanis à patre icto, trans Taurum pro Pharnacis auxilio exercitum ducere non est ausus; nullo tamen à vicinis bello lacessitus est. Tributum patris toto ejus regno solvendum fuit; quod tamen non absolvit, relictis aliquot annis morte præventus. Stirps ejus malè ob superbiam & sævitiam audiit.

NUMMUS SELEUCI PHILOPATORIS.

Ex Musæo nostro.

Caput diadematum, ponè quo acrosterium: in aversâ parte triremis cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΕΛΕΥΚΟΥ, id est Regis Seleuci, cum literis numeralibus CAP, id est anno 136.

Hier. in Dan. c. 11. SELEUCUS IV. Antiochi Magni filius, & ejus in regno successor, à D. Hieronymo & aliis PHILOPATOR vocatus est; quod sibi nomen pietate erga parentem, cùm ille Regem eum nominasset ante suam in superiores pro-
Joseph. l. 12. vincias profectionem adsumpsisse videtur. SOTER autem à Josepho, ob ejus erga Templum Jerosolymitanum liberalitatem dictus est. Neutro hoc cognomine insignitur nummus, solâ Seleuci Regis epigraphe donatus; quem tamen ad Seleucum hujus nominis quartum proculdubiò pertinere indicant literæ numerales CAP, annum Seleucidarum 136. qui ejus regni erat undecimus, designantes: inverso sunt ordine, à dextrâ versus sinistram ductu, Phœnicio more
Herodot. Hebræis, Syris, Arabibus, aliisque orientalibus populis usitato.

Acrosterium ponè caput Seleuci, Sidonis urbis symbolum est, ut & triremis, de quâ in nummo Antiochi M. diximus.

Nummi Seleuci IV. eximiæ raritatis sunt & præstantiæ.

ANTIO-

ANTIOCHUS IV.



ANTIOCHUS IV., Antiochi Magni filius natu minor, fratri Seleuco in regnum successit anno 137. pro Demetrio Seleuci filio, legitimo hærede, Romæ tunc obside. Ille inter viginti obsides, qui pro triennio mutarentur ex fœdere Romanorum cum patre Antiocho inito, à Cn. Manlio Consule postulatus est, Romæ ipsi domus publicè ædificata est, à multis honorificè exceptus, pecuniam inter cives sparsit: tandem à fratre Seleuco, qui in ejus locum Demetrium filium miserat, mutatus est. Is cùm Romà exiret, & officia publica venalia esse vidisset, inexplebilem Romanorum avaritiam notavit.

1. Mach. 1.

Annot. Beroald. in Philip.

Cùm Athenas pervenisset, auditâ fratris morte, ab Eumene & Attalo fratribus contra Heliodorum regni affectatorem deductus est in ejus possessionem, ut ipsi amicum illum sibi redderent hoc beneficio. Jam enim ob quasdam offensiunculas etiam hi Romanos suspectos habebant. Antiocho primùm ab his qui in regno Ptolemæo Philometori favebant, non datus est honor regius; sed postea simulatione clementiæ Syriam obtinuit: atque ita ab omnibus acceptus, eum cognominarunt ΕΠΙΦΑΝΗΝ, quòd alienis, Heliodoro scilicet & Ægyptiis, regnum affectantibus, ipse avitæ ditionis assertor exortus suis illuxerit. Sic Syriæ & finitimis gentibus potenter imperavit, Babylonis Satrapiæ Timarcho, ærarii verò curâ Heraclidæ, duobus fratribus quos habuerat in deliciis, commissâ.

App. Syr.

Hieron. in Dan. c. 11.

Y 2 Regnum

SELEUC. AN. 138. Athen. l. 5. & 10. Valef. in Exc. Diod. p. 305.

Regnum recens adeptus, novam quandam & cæteris insolitam Regibus vitæ rationem instituit. Primum enim clam è regiâ digressus, insciis ministris, per urbem temerè vagabatur, uno aut altero comite ascito: sæpius nexam è rosis coronam capite gestans, & auro textam trabeam indutus, solus spatiabatur; quod autem restabat pecuniæ, nonnunquam effudit, publicâ viâ proclamans, *Sumat cui fortuna dederit*: sparsis jactisque aureis nummis discedebat. Præterea honori ducebat cum plebeis atque infimæ sortis, peregrinis & advenis, versari ac compotare: bibax enim erat, vinosus; inebriari vehementer solitus, ita ut res publicas sobrius rarò admodum tractaret, temulentus frequenter; ideoque à fratribus duobus Aristone & Themisone, natione Cypriis, quos amabat, regnum administratum erat. Obdormiscere post ebrietatem solitus, deinde vesperi somno expergefactus, rursum bibebat: si fortè juvenes tempestivum celebrare convivium senserat, statim cum poculo & symphoniâ ad commessatiomem accedebat; adeò ut novitate perculsi plerique partim se in fugam darent, partim metu conticescerent.

Athen. l. 5. & 10. Valef. in Exc. Diod. p. 305.

Deprehensus sæpissimè cum argenti sculptoribus & auri fusoribus, in ipsorum officinis copiosè verba funditans, & de artis subtilitate cum cælatoribus & aliis opificibus ingeniosè ratiocinans. Publicis thermis lavabat, & unguentis coram frequentissimâ turbâ illic se oblinebat: quo in loco cùm quidam è plebe conspicatus, Fortunatus es, ô Rex, inquit, pretiosum unguentum oles. Tum oratione illâ delectatus, hâc voluptate ego te affatim satiabo, dixit; ac urnam quæ supra congios unguenti crassioris continebat, in caput ejus profundi jussit. Omnes lavaturi assurrexere, & in unguento se volutantes, ob lentorem labentes, Rexque etiam ipse, risum ingentem excitavit. Mimis & scortis publicè jungebatur, libidinemque suam populo præsente complebat, unde in tantum dedecus regiæ Majestatis per stupra & corruptelas venit. Postremò, relictâ veste regiâ sæpe togam ille indutus, perinde ac Romæ à Candidatis fieri viderat, salutabat ac prehensabat obvium quemque è plebe, rogansque suis ut suffragiis aliàs Tribunus plebis crearetur, aliàs Ædilis: magistratum verò quem petebat adeptus, Romanorum sellâ eburneâ positâ jus dicebat, cognoscebatque de forensibus causis, contractibus, ac controversiis civium, & commerciis eorum, & etiam de minimis quibuscunque rebus, eo studio eâque diligentiâ, ut prudentissimus quisque ambigeret quidnam sibi vellet, quidam imprudentiam, nonnulli insaniam interpretarentur; per omnia genera vitæ errans, uti nec sibi, nec aliis, quinam homo esset, satis constaret. Non alloqui amicos, vix notis familiariter arridere, ejusmodi quoque in dandis muneribus esse illius ingenium, ut qui num Dorcadum talos daret, nonnunquam phœnicobalanos, interdum aurum, munificentiâ sic inæquali sese aliosque ludificabatur, quibusdam honoratis magnoque æstimantibus puerilia sic escæ & lusus munera dabat, alios nihil expectantes ditabat.

Hieron. in Dan. — Athen. l. 5. & 10. — Liv. l. 41.

Joseph. Ant. l. 12.

Hyrcanus Josephi filius, videns præpotentem Antiochum, & veritus ne in potestatem ejus redactus, pœnas daret eorum quæ Seleuci tempore contra Arabas ausus fuerat, ipse sibi manus intulit; possessionem

fionem verò ejus univerfam occupavit Antiochus. Jafon interea diu- SELEUC.
turni Oniæ fratris fui pontificatûs pertæfus: fummum facerdotium am- AN. 138.
biens, adito Rege, promifit ei argenti talenta trecenta & fexaginta, II. Mach.
& ex redditibus aliis talenta octoginta, additis præterea centum & 4.
quinquaginta aliis, fi concederetur ipfi poteftas conftituendi fibi gymnafium & ludum epheborum, & fi Jerofolymitani in civium Antiochenorum numerum referrentur. Cùm autem annuente Rege principatum obtinuiffet, ftatim ad Græcum ritum populares fuos traduxit, adducentes Judæi fibi præputia, ut nudi quoque non effent Græcis Joseph. l.
diffimiles. Sic, contemptis omnibus patriis ritibus, imitati funt mores 12.
exterarum gentium.

Cùm quinquennalis agon Tyri celebraretur, & Antiochus adeffet, AN. 139.
mifit Jafon à Jerofolymis Judæos fpectatores jure civitatis Antioche- II. Mach.
næ donatos, qui argenti didrachmas tria millia & trecenta in facrifi- 3. Marmor.
cium Herculis afportarent, quas poftulaverant hi, qui attulerunt ne Arund.
in facrificiis erogarentur, quia non opus effet, fed in alios fumptus eos deputari; at hæ oblatæ funt quidem ab eo qui miferat in facrificium Herculis: propter præfentes autem datæ funt in fabricam triremium navium.

Antiochus Romam legatos mifit, quorum princeps Apollonius in AN. 140.
Senatum introductus, multis juftifque de caufis Regem excufavit, Liv. l. 42.
quòd ftipendium ferius quoad diem præftaret, id fe omne advexiffe, ne cujus nifi temporis gratia Regi fieret: donum præterea afferre, vafa aurea quingentûm pondo: petere Regem; ut quæ cum patre fuo focietas atque amicitia fuiffet, ea fecum renovaretur; imperaretque fibi Populus Romanus quæ bono & fideli focio: eâ mente Senatus fuiffe cùm Romæ effet eam comitatem juventutis ut pro Rege, non pro obfide ordinibus omnibus fuerit. Legatis benignè refponfum eft, & focietatem renovare cum Antiocho, quæ cum patre ejus fuerat A. Attilius Prætor urbanus juffus. Quæftores urbani ftipendium, vafa aurea Cenfores acceperunt, eifque negotium datum eft, ut ponerent ea in quibus templis videretur: legatoque centum millium æris munus miffum, & ædes liberæ hofpitio datæ, fumptufque decretus donec in Italiâ effent. Legati, qui in Syriâ fuerunt, renuntiaverunt, in maximo Populum Romanum honore apud Regem effe, amiciffimumque Populo Romano.

Mortuâ Ptolemæi Philopatoris uxore, Antiochi forore, cui pater
Cæle-Syriam dotis nomine dederat, Eulæus eunuchus & Lenæus res Hieron. in Dan.
adminiftrabant pro Ptolemæo Philometore tunc in ætate infirmâ. Hi l. 11.
Cæle-Syriam ab Antiocho ut fraude per patrem occupatam repetere audebant: quod bellum inter avunculum & puerum originem præbuit; nam Ægypti procurationem tutorio fibi jure, propinquitatis nomine, vendicabat. Miffo autem in Ægyptum Apollonio Mnefthei filio propter II. Mach.
primates illos, cùm cognoviffet Antiochus alienum fe à negotiis regni 40.
effectum, propriis utilitatibus confulens, profectus Tyro, venit Joppen, & inde Jerofolymam, ubi fummo cum honore à Jafone & civitate fufceptus, cum facibus & acclamationibus ingreffus eft, indeque in Phœnicen convertit.

SELEUC. AN. 141. App. Leg. 25. Liv. l. 42. Romani legatos ad Reges socios miserant, Eumenem, Antiochum, & alios, ut in bellum contra Perseum ipsos se se conjungerent: interea Perseus paratus ad bellum, ubi ferret occasio, Romanis inferendum, Diophanem legatum ad Antiochum misit. Ex Asiâ qui circa socios Reges missi erant legati, redeuntes renuntiarunt Eumenem in Asiâ, Antiochum in Syriâ, Ptolemæum in Alexandriâ, se convenisse, omnes sollicitatos legationibus Persei, sed egregiè in fide permanere, pollicitos quæ omnia Populus Romanus imperasset præstaturos.

I. Mach. 3. Jason post triennii tempus Menelaum supradicti Simonis fratrem, portantem pecunias Regi, & de negotiis necessariis responsa perlaturum misit. At ille commendatus Regi, cùm magnificasset faciem potestatis ejus, in semetipsum retorsit summum sacerdotium, superponens Jasoni talenta argenti trecenta, acceptisque à Rege mandatis venit; & Jason, qui proprium fratrem circumvenerat, ipse deceptus, profugus in Ammanitem expulsus est regionem.

AN. 142. Liv. l. 42. Antiochus imminebat quidem Ægypti regno, & pueritiam Regis & inertiam tutorum spernens, & ambigebat de Cæle-Syriâ, causam belli se habiturum existimabat, gesturumque sine ullo impedimento, occupatis Romanis Macedonico bello, id bellum: tamen omnia, & per suos legatos Senatui, & ipse legatis eorum, eximiè pollicitus erat: at cùm Polyb. l. 71. vidit Antiochus manifestò jam Ptolemæum Alexandriæ ad bellum pro Cæle-Syriâ se parare, Meleagrum misit Romam legatum, qui Senatui nuntiaret, præter omne jus à Ptolemæo se invadi. Inchoato autem bello, Romam iterum legati Antiochi Sosiphanes & Heraclides, (jam enim Meleager erat Romæ) Ptolemæi verò Timotheus & Damon. Erat autem illo tempore quo Antiochus Cæle-Syriæ dominus, ab illo tempore quo Antiochus M. devicerat ad Panium duces, Cæle-Syria paruit Syriæ Regibus. Timotheus venerat ad renovandam amicitiam, præcipuè autem ad observandos Meleagri cum Romanis congressus: amicitiam verò ubi renovasset, & congruentia postulatis suis responsa accepisset, Alexandriam est reversus. Meleagro respondit Senatus, Q. Marcio se permissurum ut de iis rebus ad Ptolemæum scribat.

Interim Antiochus, cùm duces Ptolemæi segniter agerent, & in Syriam Valesf. in Exc. Diod. p. 49. II. Mach. 10. irrumpere cunctarentur, ultrò iis obviam processit, commissoque prælio inter montem Cassium & Pelusium, eos profligavit. Hoc tempore Ptolemæus Macer, Dorymenis filius, cui Cypri præfecturam Philometor commiserat, ad partes Antiochi transiit, & insulam tradidit. Cypri curâ Crateri commissâ, Rex Ptolemæum Cæle-Syriæ & Phœniciæ præfectum constituit, & in præcipuorum amicorum numerum admisit.

II. Mach. 4. Cùm Antiocho promissam à Menelao pecuniam, Sostratus arcis Jerosolymitanæ præfectus vectigalia exigens, frustra posceret, uterque à Rege Antiochiam est advocatus: Menelaus quidem in summi sacerdotii administrationem Lysimachum reliquit vicarium, Sostratus autem prælatus est Cypriis. Et cùm hæc agerentur, contigit in Ciliciâ Tarsenses & Mallotæ, quòd civitatum suarum redditus Antiochus

tiochus pellici suæ Antiochidi donavisset, adversus illum tumultuati SELEUC. sunt; in quos Rex injuriam ulturus festinans, profectus est, relicto AN. 142. Antiochiæ qui vices suas gereret, uno ex comitibus Andronico. Absentiæ Regis Menelaus accepisse se tempus opportunum ratus, aurea quædam vasa è templo furatus, donavit Andronico, Tyri & in circumjacentibus civitatibus alia vendidit; quod certò cognoscens Onias, arguit eum sacrilegii, & in Daphnes asylum se subduxit. Andronicus Menelai precibus Oniam per dolum ex asylo eductum, contra datam ei fidem, perfidè interemit. Rege verò ex Ciliciâ Antiochiam reverso, Judæi & Græci, multique alii, de indignâ Oniæ nece apud Antiochum conquesti sunt; qui contristatus, & effusis lacrymis, dolorem suum testatus, Andronicum purpurâ exutum circumduci jussit per urbem, & in eodem loco occidi, in quo Oniam occiderat. Menelaus se Jerosolymam receperat, & cùm plurima sacrile- AN. 143. gia in templo, multo jam auro exportato, ipso à Lysimacho conscio fierent, congregatâ contra Lysimachum multitudine, ipse interfectus est, & contra Menelaum judicium agitatum est. Cùm autem Antiochus Tyrum advenisset, ad ipsum negotium detulerunt Judæi, & missi sunt tres viri à senioribus: at Menelaus, multis pecuniis Ptolemæo Dorymenis filio ad placandum Regem promissis, superior fuit, & occisi sunt, etiamsi innocentes, accusatores.

Antiochus regnum Ægypti suo cupiens adjicere, navalem exercitum è Tyro solvere jussit; & illud per terram ingressus est cum turbâ numerosâ, curribus, elephantis, equitibus. Ptolemæus, qui multa populorum millia congregaverat, ei occurrit: at fusis fugatisque Ægyptiis, cùm Antiochus ad internecionem delere omnes posset, equo circumvectus occidi eos vetuit, sed potiùs vivos comprehendi jussit: cujus consilii brevi maximum fructum retulit; ob hanc enim humanitatem & Pelusio, & paulò pòst universâ ferè Ægypto est potitus. Philometor ignaviam & mollitiem suam tunc patefecit: licèt enim adeò ab omni remotus esset periculo, tantisque spatiis ab hoste divisus, nihilominus regno maximo atque opulentissimo sine certamine cessit, indeliciis atque muliebribus educatus institutis. Polybius Philometorem refert ab Alexandrinis ob cladem & fugam in exilium missum: utut sit, in manus Antiochi venit, qui parcens puero, & amicitiam simulans, cum eo convivium fecit, ascenditque Memphim, & ibi ex more Ægypti regnum accipiens, puerique rebus se providere dicens, Ægyptum sibi subjugavit, abundantes atque uberrimas ingressus est urbes, omnes earum divitias collegit, totumque regnum dissipavit; & tam callidè egit, ut prudentes cogitationes eorum qui duces pueri erant, suâ fraude subverteret.

Hier. in Dan. c. 11. Excerpt. Diod. p. 310.

Alexandrini, postquam viderunt Antiochum Philometori diadema ademisse, sibique Ægypti regnum vindicasse, Ptolemæum juniorem, qui Evergetes, & vulgò Physcon, cognominatus est, fratrem Philometoris, Regem renuntiarunt; Comano & Cineæ summâ rerum cum ipso commissâ, summis Antiochi viribus strenuè resistere parati. Eâ occasione libenter arreptâ, Antiochus exulis tutelam suscepit; ejusque Liv. l. 44. reducendi specioso titulo, in Ægyptiaco suo bello defendendo, ad

Porph. Gr. Euseb. pag. 225.

SELEUC. AN. 143. omnes Asiæ & Græciæ civitates legationibus recipiendis literisque est usus: interim per honestam hanc speciem majoris Ptolemæi reducendi in regnum, bellum cum minore fratre gessit, & ad Pelusium navali prælio victor, tumultuario opere ponte per Nilum facto transgressus cum exercitu, obsidione ipsam Alexandriam terruit. Posteaquam Ægyptus ab Antiocho fuit occupata, Comano & Cineâ de summâ rerum cum Ptolemæo Evergete consultantibus, visum est faciendum, ut consilium ex illustrissimis quibusque ducibus conscriberetur, de cujus sententiâ omnia deinceps gererentur. Ei consilio ante omnia placuit, ut advenæ Græci, qui fortè ibi reperiebantur, legati ad Antiochum proficiscerentur, de pace cum eo acturi. Erant ex Achæis, Alcitho & Pasiades; ex Atheniensibus, Demaratus, Callias, & Cleostratus; è Mileto, Eudemus & Icesius; à Clazomenis, Apollonides & Apollonius: cum his legatos misit Evergetes Tlepolemum & Ptolemæum Rhetorem. Hi igitur adverso flumine navigantes obviam processerunt.

Polyb. Leg. 81.

Polyb. Leg. 82. Antiochus cùm legatos benignè suscepisset, primo die ad epulas magnificè structas invitavit, postridie verò sui conveniendi potestatem fecit, & mandata jussit expromere. Primi igitur omnium verba apud eum fecerunt legati Achæi, deinde ab Atheniensibus missus Demaratus, & post hunc Eudemus Milesius: omnes verò Eulæi eunuchi culpâ susceptum bellum dicebant; deinde cognationem atque ætatem Ptolemæi allegantes, Regis iram deprecabantur. Antiochus cùm orationibus illorum esset assensus, justa sua commemorare cœpit, magno studio probare contendens pertinere ad Syriæ Reges Cæle-Syriæ possessionem; & quæ legati Alexandrini de Cæle-Syriâ pro dote cum Cleopatrâ concessâ dicebant, verum esse negans. Cùm in hanc sententiam multa disseruisset, nec tantùm sibi, sed etiam omnibus qui præsentes erant, causam suam probavisset, Naucratim tunc quidem navibus petiit; atque eo etiam loco benignè appellatis tractatisque civibus, in Græcos qui ibi commorabantur, aureis singulis divisis, Alexandriam iter instituit. At legatis pollicitus est daturum se iis responsum, postquam Aristides & Theris essent reversi: velle enim se omnium consiliorum suorum conscios ac testes habere Græcos legatos.

Polyb. Leg. 84. Alexandriam tandem obsidione tentat, & ad eum Rhodiorum legatio, cujus princeps erat Prasio, ad componendam pacem missa, urbis portum tenuit, eademque mox in castra ad Regem venit. Hi in colloquium Regis admissi, dum patriæ conjunctionem cum utroque regno commemorant, & mutua inter amicos Reges necessitudinis jura, quæque ad utrumque ex pace confecta sint commoda, longam orationem sunt exorsi. At Rex dicentem legatum interpellans, longiore oratione nihil opus esse ait: regnum enim ad Ptolemæum majorem pertinere; cum isto verò pacem dudum se fecisse, & amicum esse: atque adeò, inquit Antiochus, si ab exilio eum revocare cives voluerint, per se licere.

1. Mach. 5. Joseph. lib. de Machab. Falso rumore de morte Antiochi sparso, Jason non pauciores mille viros secum assumens, Jerosolymam repentè impressionem fecerat;

urbe

urbe occupatâ Menelaus in arcem confugit: Jason autem faciebat cædes civium suorum. Audiens ex Ægypto Antiochus, ex vulgatâ de suo obitu famâ Jerosolymitanos maximum gaudium concepisse, & motam ob id Jasonis seditionem, rebellaturam mox Judæam, animo est efferatus, & tunc tentatis frustra Alexandriæ navibus, Jerosolymam proficisci decrevit. SELEUC. AN. 143.

Postquam Alexandriam oppugnare desiisset, paulò pòst abscessit, prius tamen legatis Meleagro, Sosiphane, & Heraclide Romam missis, qui centum & quinquaginta talentis concreditis, quinquaginta in coronam Romanis tradendam impenderent, reliquam summam quibusdam civitatibus Græcis dividerent. Polyb. Leg. 83.

Reliquit Rex Memphi majorem Ptolemæum, cui regnum quæri suis viribus simulabat, cæteràque Ægypto illi traditâ, excepto Pelusio: existimans bello intestino cum fratre eum exitum fore, ut victor fessus certamine, nequaquam par sibi futurus esset, Pelusio idcirco validum reliquit præsidium, ut claustra Ægypti tenens, cùm vellet rursus exercitum induceret, fratremque victorem aggrederetur. Liv. lib. 45.

Postquam percussit Ægyptum in 143. anno Seleucidarum, Antiochus ascendit in Israel, & Jerosolymam venit, quam obsedit, plurimis in pugnâ & obsidione interfectis, ut tandem est expugnata; & eorum quæ pertulerat memoria, efferatus, jussit milites quosque obvios trucidare: qui in omnem ætatem & sexum sævierunt, ita ut octoginta millia hominum tridui spatio desiderata fuerint, quadraginta quidem cæsa, totidempue venundata. II. Mach. 5. Joseph. Bell. Jud. lib. I.

His non contentus Rex, Templum, duce legum & patriæ proditore Menelao, est ingressus, sacra vasa abripuit, & quæcunque ab aliis Regibus fuerant reposita, altare aureum, lychnum lucentem cum omnibus instrumentis ejus, mensam propositionis, crateras, phialas, thuribula, velum, coronas, & ornatum aureum Templi foribus appensum, & thesauros quos invenit, talentis mille & octingentis è Templo exportatis, celeriter Antiochiam rediit: præfectis relictis ad affligendam gentem, Jerosolymis quidem Philippo genere Phryge, moribus barbaro; Garizimis verò in Samariâ Andronico, præter quos Menelaus pessimè omnium efferebatur in Judæos. I. Mach. I. II. Mach. 5.

Legati à Ptolemæo juniore & Cleopatrâ Regibus Romam missi, dum Alexandria obsidione ab Antiocho tenebatur, in Senatum vocati sunt, qui sordidati, barbâ & capillo promisso, cum ramis oleæ ingressi curiam, procubuerunt; quorum oratio quàm habitus fuit miserabilior, querentes orabant Senatum, ut opem regno Regibusque amicis ferret, & legatos mitteret, qui denuntiarent Antiocho non placere Senatui sociis Regibus bellum fieri, extemplò abscessurus à mœnibus Alexandriæ; quòd si cunctentur facere, brevi extorres Ptolemæum & Cleopatram Romam, quod nullam opem in ultimo discrimine fortunarum tulisset. Moti Patres precibus Alexandrinorum, sed præcipuè cùm ex iis Senatus intelligeret, cæterâ Ægypto occupatâ, inibi esse ut Alexandriæ fieret dominus: ràtus nonnihil ad se pertinere incrementum hujus Regis, legationem decrevit tum ad pacem faciendam, tum ad visendum quæ in universum rerum facies ad- AN. 144. Liv. l. 44.

 esset,

SELEUC. AN. 144. esset. C. Popilius Lænas missus est à Senatu, & ipse legationis princeps, C. Decimius, & C. Hostilius, ad finiendum bellum inter Reges missi sunt.

Liv. l. 45. Ptolemæus Philometor, Memphi ab Antiocho relictus, tandem in suspectum venit, quòd cæterâ Ægypto sibi traditâ, Pelusio verò validum reliquisset avunculus præsidium, nec illius voluntatis ignarus, dum conterritum obsidionis metu minorem fratrem haberet, posse se recipi Alexandriæ, & sorore adjuvante, & non repugnantibus fratris amicis ratus, primùm ad sororem, deinde ad fratrem amicosque ejus misit: soror adjuvit, non consilio modò, sed etiam precibus; cum assensu tandem amicorum Ptolemæi junioris, consentientibus cunctis, pace factâ Philometor Alexandriam recipitur, regnareque cœperunt ambo, ne multitudine quidem adversante: quæ in bello non per obsidionem modò, sed etiam postquam à mœnibus abscessum est, quia nihil ex Ægypto subvehebatur, omnium rerum attenuata inopiâ erat. His cùm lætari Antiochum conveniens esset, si reducendi ejus causâ exercitum in Ægyptum induxisset, quo specioso titulo usus erat, adeò est offensus, ut multò acriùs infestiùsque adversus duos, quàm ante adversus unum, pararet bellum, Cyprum extemplo classem misit.

Polyb. Leg. 85. Perseus Rex Macedonum, bello jam cum Romanis inchoato, Telemnastum Cretensem ad Antiochum legatum misit, ut moneret eum, ne occasionem missam faceret, neve arbitraretur ad unum se Romanorum superbiam & dura imperia spectare; quin potiùs pro certo haberet, ejusdem se quoque fortunæ periculum brevi facturum, nisi nunc ipsum adjuvaret, maximè quidem conciliandâ pace, sin minùs opem ferendo.

Liv. l. 45. Antiochus cum exercitu Ægyptum repetens, in Cœle-Syriam processit, circa Rhinocolura Ptolemæi Philometoris legatis agentibus gratias, quòd per eum regnum patrium recepisset, petentibusque ut suum munus tueretur, & diceret potiùs quid fieri vellet, quàm hostis ex socio factus, vi atque armis ageret; respondit, non aliter neque classem revocaturum, neque exercitum reducturum, nisi sibi & totâ Cypro, & Pelusio, agroque qui circa Pelusianum ostium Nili esset, cederet; diemque præstitit, intra quam de conditionibus peractis responsum acciperet.

Hieron. in Dan. l. 11. Postquam dies data induciis præteriit, festinans contra Ptolemæum, Idumæos, & Moabitas, & Ammonitas, qui ex latere Judææ erant, non tetigit, ne occupatus alio prælio Ptolemæum redderet fortiorem. Navigans ab ostio Nili, quod est Pelusium, per deserta Arabiæ, populi se dediderunt: deinde receptus ab iis qui Memphim incolebant, & à cæteris Ægyptiis, partim voluntate, partim metu, ad Alexandriam modicis itineribus ascendit: ad Eleusinem transgressus flumen, qui locus quatuor millia ab Alexandriâ abest, Canopicam fossam versùs in littore stanti legati Romani occurrerunt, quos cùm advenientes salutasset, dextramque Popilio porrigeret, (coluerat enim inter cæteros Popilium cùm Romæ obses esset,) tabellas ei legatus scriptum habentes tradit, atque omnium primum id legere jubet: quibus perlectis,

Liv. l. 45. — Justin. l. 34. Liv. lib. 45.

lectis, cùm se consideraturum, adhibitis amicis, quid faciendum esset dixisset, Popilius, pro cæterâ asperitate animi, virgâ quam in manu gerebat amplo circulo circumscripsit Regem ut & amicos caperet; ac, Priusquam hoc circulo excedas, inquit, redde responsum Senatui, quod referam. Obstupefactus tam violento imperio, parumper cùm hæsitasset, Faciam, inquit, quod censet Senatus. Tum demum Popilius dextram Regi, tanquam socio & amico, porrexit. SELEUC. AN. 144.

Paucorum deinde dierum numero, ac certo definitorum spatio concesso, Antiochus copias in Syriam suâs, gravatè ille quidem ac gemens, sed tamen abduxit, in præsentiâ tempori cedendum ratus, Perseo scilicet in Macedoniâ debellato & capto: hoc enim nisi accidisset, nunquam esset forsan adductus Rex ut Senatûs imperata faceret. Polyb. Leg. 92.

Cùm excessit die finitâ Antiochus Ægypto, Popilius mox Cyprum navigat, idque eo fine & consilio, ut quantocyùs Antiochi copias quæ ibi erant, ex insulâ dimitteret. Ibi cùm dívíctos Ptolemæi duces invenisset, atque omnino res Cypri modo positas loco adveniens, offendisset, castris confestim motis, in propinquo tantisper consedit, donec in Syriam is exercitus abisset.

Antiochus post paucos annos captâ Jerosolymâ misit Apollonium tributorum suorum collectioni præfectum, cum viginti duorum millium militum exercitu in civitates Judææ, præcipiens ei omnes perfectæ ætatis interficere, mulieres ac juniores vendere. Cùm Jerosolymam venisset Apollonius, pacem simulans, quievit usque ad diem Sabathi, & tunc feriatis Judæis, arma capessere suis jussit: omnes qui ad sacra processerant, confodit, & civitatem cum armatis discurrens, ingentem multitudinem peremit, urbem deinde succendit, domos & muros destruxit; captivi unà cum liberis abducti sunt usque ad decem millium numerum. Postea ædificaverunt in civitate murum magnum, turribus firmissimum, qui fuit pro arce, & præsidio imposito, spolia civitatis ibi posuerunt, & fugerunt habitatores Jerosolymæ. AN. 145. I. Mach. I. II. Mach. 5. Joseph. Ant. L. 12.

Popilius, & ea legatio quæ missa ad Antiochum erat, Romam rediit, retulit controversias inter Reges sublatas esse, exercitumque ex Ægypto in Syriam reductum. Post ipsorum Regum legatos venerunt Antiochi legati, referentes omni victoriâ potiorem pacem Regi, quæ Senatui placuisset, visam, eumque haud secus quàm Deorum imperio, legatorum Romanorum jussu paruisse: gratulati deinde victoriam sunt, ad quam summâ ope, si quid imperatum foret, adfuturum Regem fuisse. Ptolæmei legati communi nomine Regis & Cleopatræ gratias egerunt: plùs eos Senatui Populoque Romano quàm parentibus suis, plusquàm Diis immortalibus debere, per quos obsidione miserrimâ liberati essent, regnum patrium propè amissum recepissent. Responsum à Senatu est, Antiochum rectè atque ordine fecisse quòd legatis paruisset, gratumque id esse Senatui Populoque Romano: Regibus Ægypti Ptolemæo Cleopatræque si quid per se boni commodique evenisset, id magnopere Senatum lætari, daturumque operam, ut regni sui maximum semper præsidium positum esse in fide Liv. L. 45.

Aa 2 Populi

SELEUC. AN. 145. Populi Romani ducant. Munera legatis ut ex instituto mittenda curaret C. Papirio Prætori mandatum.

I. Mach. I. Antiochus scripsit omni regno suo, ut esset omnis populus unus, & relinqueret unusquisque legem suam, & eandem cum Græcis religionem profiterentur, mortis pœnâ non obedientibus propositâ; & præfecit inspectores unicuique populo, qui ad hoc faciendum cogerent. Ex his in Judæam senem quendam Antiochenum misit, qui Judæos compelleret, ut se transferrent à patriis legibus, & templum Jerosolymitanum contemnere, illique Διὸς Ὀλυμπίου, Jovis Olympii nomine imposito. Hic cùm Jerosolymam venisset, libellos Regis aperuit, quibus Rex imperabat, ut Judæi sequerentur leges Græcorum: præcepit ergo ædificari aras, & templa, & idola, sacrificia è templo tollere, sabbata & dies festos non observari, immolari carnes suillas & pecora communia, filios ipsorum relinquere incircumcisos, crimen denique esse Judaïcam religionem profiteri. Decretum quoque prodiit in vicinas civitates Græcas, suggerente Ptolemæo Dorymenis filio, ut pari modo adversus Judæos agerent, & sacrificiorum participes fieri compellerent; eos autem, qui ad ritus Græcos transire nolebant, jugularent.

II. Mach. 4.

I. Mach. I. Consenserunt omnes gentes secundùm verbum Regis, & ex Israelitis plurimi, & die decimaquintâ mensis Casleu, anno centesimo quadragesimo quinto regni Seleucidarum, exstructum est abominandum Jovis Olympii Idolum super altare: die autem vigesimaquintâ ejusdem mensis, sacrificia sunt oblata in arâ idololatricâ, quæ exstructa erat super altare: templum verò luxuriâ & comessationibus gentium erat plenum, & scortantium cum meretricibus, sacratisque ædibus mulieres se ultrò ingerebant, & altare rebus illegitimis, quas Lex vetaverat, plenum erat. In civitatibus autem Judææ circumquaque exstruxerunt aras, & in foribus domorum atque plateis fecerunt suffitum, libros Legis quos invenerunt, conscindentes, combusserunt igne; & ubicumque inveniebantur apud aliquem libri testamenti, aut si quis approbabat Legem, secundùm edictum Regis trucidabant eum.

Joseph. Ant. l. 12. Samaritæ, videntes in tali calamitate Judæos constitutos, non ampliùs profitebantur se cognatos eorum, neque Garizimum templum esse Dei maximi, sed dicebant se Medorum & Persarum colonos: miserunt legationem ad Antiochum cum hoc titulo,

ΒΑΣΙΛΕΙ ΑΝΤΙΟΧΩ ΘΕΩ ΕΠΙΦΑΝΕΙ.

ut à Judæorum molestiis liberarentur, & securiùs intendentes privatis negotiis, majora Regi possent tributa solvere.

II. Mach. 6. Judæi ducebantur Jerosolymæ cum amarâ necessitate in die natalis Regis ad sacrificia; & cùm Liberi sacra celebrarentur, cogebantur hederâ coronati Libero circuire. Decretum deinde exivit in proximas gentium civitates, ut & ipsi cogerent Judæos sacrificare: eos autem, qui nollent transire ad instituta gentium, interficerent. Duæ mulieres delatæ sunt natos suos circumcidisse; quas, infantibus ad ubera suspensis, cùm publicè per civitatem circumduxissent, per muros præcipita-

cipitarunt: alii verò ad proximas ſpeluncas coëuntes, & latenter ſabbati diem celebrantes, cùm indicati eſſent Philippo, flammis ſuccenſi ſunt.

Cùm Antiochus edicta ſua contemni accepit à populo, per tormenta unumquemque cogi juſſit guſtatis cibis immundis abjurare Judaïſmum. Præſidens igitur ipſe cum aſſeſſoribus in ſublimi loco, aſtante circumcircà exercitu, juſſit unumquemque Hebræorum abripi, & recuſantes, trochleis diſtentos è vitâ tolli. Eleazarus unus de primoribus Scribarum, vir nonagenarius Regis aſſeclis notus, qui carnes ſuillas nec manducaſſe ſimulare conſentiens, crudeliſſima ſubire tormenta, quàm Legem violare, maluit. Poſt Eleazarum, ſeptem fratres, & eorum fortiſſima mater Solomona, è caſtello ſuo Suſandro Antiochiam ad Regem advecti ſunt, qui carnem ſuillam guſtare récuſantes, exquiſitis tormentorum modis excarnificatos, neci tradidit. Joſeph. de Machab.

Mathathias Sacerdos, ex filiis Joarib, qui Jeroſolymis in civitatem Modin conſederat unà cum quinque filiis, cùm ad eum veniſſent Regis miniſtri, qui ad apoſtaſiam impellebant, ut Judæos ſacrificare cogerent, negavit Mathathias ſe hoc facturum, etiam ſi omnes gentes Regi Antiocho obedirent. Ut verò ſilente eo Judæus quidam in medium progreſſus cœpit immolare juxta mandatum regium, non ampliùs ferens indignitatem rei, irruit in eum cum filiis, nec ſolùm eum trucidavit, ſed etiam Appellem regium ducem cum ſuis militibus: deinde in deſertum ſe contulit, relictis in urbe omnibus facultatibus ſuis. Id imitata plebs reliqua, & ipſi cum familiis ſuis in idem deſertum profugerunt, ibique victitabant in ſpecubus. AN. 146. 1. Mach. 2. Joſeph. l. 12.

Hoc audito Philippus & duces regii, præſidio Jeroſolymitanæ arcis aſſumpto, Judæos in deſertum perſecuti ſunt, & aggreſſi ſunt eos die ſabbati, qui non repugnantes propter religionem diei, perierunt cum uxoribus & liberis, ſuffocati in ſpeluncis circiter mille. Id cùm cognoviſſent Mathathias & amici ejus, caſum eorum luxerunt. Multi autem elapſi adjunxerunt ſe Mathathiæ, & etiam Aſidæi ex Judæis, qui eum principem elegerunt: & ille docuit eos pugnandum etiam ſabbatis, ſi ita neceſſitas poſtulet. Collectâ igitur circa ſe non contemnendâ manu diruerunt aras, circumciderunt pueros, quoſcumque incircumciſos invenerunt, expulſis qui ad hoc vetare conſtituti erant ab Antiocho.

Samaritani ſupplicationis ad Antiochum miſſæ reſponſum non anno 46. ut eſt apud Joſephum, ſed 146. menſis Hecatombæi, id eſt Julii 11. pergratum acceperunt. Joſeph. lib. 13. c. 7.

Mathathias, commendato filiis ſuis Legis zelo, Simonem ut conſiliarium, Judam vero Machabæum belli ducem, utpote fortitudine ac robore valentem, eſſe voluit: gravis jam annis, vegetus animo, benedicens eis mortuus eſt. 1. Mach. 2.

Judas Machabæus poſt obitum Mathathiæ, ex patris commendatione rerum adminiſtrationem accepit, adjutus à fratribus & ab aliis qui adhæſerant patri ipſius, qui latenter introeuntes in vicos, adhortabantur cognatos; & eos qui permanſerant in Judaïſmo aſſumentes, congregaverunt ſex millia hominum. 1. Mach. 3. II Mach. 8.

Interim Antiochus cùm ludos ab Æmilio Paulo Amphipoli in Macedo-

SELEUC. AN. 146. cedoniâ editos fuisse audivisset, ac vellet largitionibus operumque magnitudine illum antecellere, in civitates Græciæ legatos, oraculorum consultores, nundinarum & conventuum publicorum inspectores dimisit, qui nuntiarent ipsum ad Daphnem ludos exhibiturum, ita ut multus ex universâ Græciâ & ex omnibus aliis partibus ad spectaculum certatim concursus factus sit: & ita pompæ fuit ordo.

Præibant hominum ætate florentium millia quinque, Romanorum instar armatorum, cum hamatis loricis: sequebantur continenter Mysi totidem: ab his Cilicum tria millia levis armaturæ expeditorum, cum aureis coronis: post hos Thraces totidem, Galatarum quinque millia, & præterea quidam cum argenteis scutis: post hoc deinceps gladiatorum paria ducenta & quadraginta: horum à tergo fuerunt equites Nisæi mille, plebeiorum verò tria millia, & horum complures cum aureis phaleris, cum argenteis alii. His succedebant socii & amici, equites circiter mille, omnes cum aureis phaleris. Conjuncta cum iis fuit amicorum ala, numero illis par & ornatu. Præter hos delecti mille progressi sunt, quos secutum est appellatum Agema, præstantissimus equitum ordo, circiter mille. Postremum agmen claudebant equites cataphracti mille & quingenti, quòd & viri & equi armis operti essent, ita dicti. Omnibus prædictis paludamenta purpurea; quidam etiam auro texta, & animantium imaginibus purpurata. Post hæc currus sex equis junctis centum processerunt, quadrigæ verò quadraginta, currus unus, bigaque una elephantis copulatis: elephanti sigillatim dispersi triginta sex.

Adolescentes puberes circiter octingenti cum argenteis coronis progressi sunt, boves optimi circiter mille, elephantorum dentes octingenti; statuarum numerum referre nemo queat: omnium enim quotquot apud homines vel creduntur vel dicuntur esse dii aut dæmones, atque adeò heroum simulachra gestabantur, alia inaurata, alia stolis aureis induta, adjectis his omnibus cum ornatu sumptuoso elogiis ac sententiis, quæ traditæ de illis historiæ congruentibus. Additæ sunt his & Imagines Noctis, Diei, Terræ, Cæli, Auroræ, & Meridiei, Dionysii unius Regis amicorum, qui fuit ab epistolis: pueri mille in eo pompæ ductu incedebant, argenteis vasis onusti, quorum nullum minùs pendebat mille drachmis. Regis autem sexcenti pueri illos consequebantur, aurea vasa sustinentes; & hos mulieres circiter ducentæ, ex aureis urnis spectatores unguentis respergentes; post quas mulieres octoginta in lecticis aureos pedes habentibus vehebantur, atque in argenteos pedes habentibus quingentæ sedentes, magnâ impensâ cultæ ac exornatæ. In pompâ splendidissimâ hæc fuerunt.

Post eam ludi, gladiatores, certamina, & venationes per dies triginta sunt celebrata, quo toto tempore diversi generis unguentorum facta est omnibus qui in gymnasium certaturi venirent, à Rege copia. Eum in usum quindecim labra aurea erant posita crocino unguento plena, totidemque cinnamomo & nardino. Ea unguenta primis quinque diebus sunt data, parique munificentiâ reliquis deinceps diebus telinum, amaracinum, & tiliacum. Ad epula sternebantur convivis aliquando mille triclinia, aliquando mille quingenta, apparatu & cum ornamentis

Seleuc. AN. 146.

mentis maximi pretii. Quæ omnia sic absoluta & exculta sunt partim iis quibus in Ægypto Philometorem Regem Antiochus defraudaverat, partim iis quæ ab amicis collata sunt, partim ex spoliis plurimorum templorum quæ expilaverat.

Valesii Excerpt. Diod. p. 311.

Ipsa totius ludicri ordinatio, quam Rex ipse obibat, admodum vilis atque indecora visa est: namque ipse modico vectus cantherio, ultrò citròque pompæ adequitans, illos progredi, hos subsistere jubebat, alios prout erat libitum ordinabat; adeò ut si quis ei diadema detraxisset, nemo Regem esse illum crediturus fuerit, qui ne mediocris quidem atque honestioris ministri speciem præ se ferret. Jam verò in publico epulo, ad cenaculorum aditus subsistens, alios introducebat, alios accumbere jubebat; ad hæc ministros fercula gestantes ordinabat: interdum etiam ad aliquem ex epulantibus accedens, modò adsidebat, modò humi accubabat; nec rarò aut bucceam interim in mensâ ponens, aut poculum lavans, exiliebat discurrebatque: triclinium etiam circumlustrans, propinatos sibi, nunc ab his, nunc ab illis, calices stans hauriebat; & cum his qui festivis narrationihus convivas exhilarabant, ludibundus jocabatur: quin & producto in longum tempus convivio, cùm multi jam excessissent, ipse totus coopertus à mimis allatus est, humique depositus, tandem verò velut symphoniâ excitatus, surrexit nudus & ludibundus cum mimis saltationes maximè jucundas ac ridiculas desaltari cœpit, adeò ut præ pudore ex convivio diffugerent. Ac singuli qui ad spectaculum convenerant, quoties in magnitudine apparatus ac ludicri totius dispositionem oculos conjiciebant, Regem ipsum ac regni opes maximâ admiratione prosequebantur; si quando Regem ipsum ac prava ejus studia intuerentur, vix credebant in uno atque eodem ingenio tot virtutes simul ac vitia posse reperiri.

Idem p. 319.

Erant Antiochi consilia quædam & facta prorsus regia atque admiratione digna, quædam contrà & abjecta ac vilia. Contrarium ac cæteri Reges consilium sequutus est, qui cùm & copiis & pecuniâ pro virili parte regnum suum confirmarent, id ut maximè occultum esset, metu Populi Romani laborabant. Hic verò dum viros celeberrimos ad spectaculum invitasset ex omnibus orbis partibus, universam regiam magnificentissimè exornavit; cùmque cunctas imperii opes unum in locum coëgisset, & quasi spectandas in scenâ proposuisset, id assecutus est, ut ex rebus suis nihil esset quod Romanos lateret.

Polyb. Leg. 101. Val. Exc. Diod. p. 313.

Peracto demùm ludicro, legatus advenit ad Antiochum Tib. Gracchus, ad inspiciendas res Syriæ à Senatu missus, quem eâ humanitate Rex excepit, ut nullatenus Tiberius suspecta Antiochi consilia habuerit, nullum in eo subalienati & offensi ob ea quæ in Ægypto acciderunt, animi signum deprehenderit, sed etiam omnibus se opponeret, qui ejusmodi aliquid dicerent: nam & aulâ cessit legatis Romanis Antiochus, & ipso propè diademate; cùm tamen ad eos voluntas ejus non inclinaret, sed animo esset à Romanis alienissimo.

AN. 147. 1 Mach. 3. II. Mach. 8. Joseph. l. 12. c. p.

Dum ludicris suis vacabat Antiochus, seriò in Judæâ rem gessit Judas Machabæus; civitates & vicos ex improviso veniens succendebat, & commoda loca occupans, non paucos hostium in fugam vertebat,

Seleuc. AN. 147. maximè noctium adjumento ad huiusmodi insidias usus, ita ut de fortitudine ejus fama ubique personaret: impiis tribulibus necatis, terram eam à præteritis piaculis lustravit.

Polyb. Leg. 104. Liv. L. 46. Tunc Romam venerant & Prusiæ legati, & nonulli alii ex civitatibus Asiæ, qui etiam Eumenem accusabant, & initam ab eo societatem cum Antiocho contra Populum Romanum significabant: quibus auditis, Senatus neque criminationes respuit, neque mentem aperuit suam, sed clam apud se habuit, Eumeni atque Antiocho diffidens.

Polyb. Leg. 105. Tib. Gracchus ex Asiaticâ legatione reversus, de Antiochi & Eumenis consiliis nihil certius Senatui illis quæ jam antè quàm adeò cognoverat, renuntiare potuit, adeò comitate suâ Reges in mutuis congressibus eum sibi adjunxerant.

1. Mach. 3. Joseph. Ant. l. 12. Apollonius Samariæ præfectus, auditis quæ de Judâ Machabæo narrabantur, raptim contra ipsum duxit exercitum; nec in Judâ mora fuit, sed obviam ei factus, prælio victum cum aliis multis interfecit, gladio etiam ejus potitus, quo deinceps in bello semper est usus: pluribus hostium vulneratis, & castris eorum direptis, ditatus prædâ rediit.

Idem Ibid. Audiens verò Seron Cæle-Syriæ præfectus Judam, multis undique confluentibus, magnas circa se copias habere, & ad confligendum cum hoste idoneas, decrevit in rebelles & contumaces erga mandata regia ducere. Contractis igitur quibus præerat militibus, adjunctis etiam Judæorum perfugis & impiis, progressus usque ad ascensum Beth-horonis in Judæâ, castrametatus est. Judas autem occurrens pugnadi animo, hortando suos propter hostium multitudinem & jejunium, collatis cum Serone signis, fudit & fugavit Syrorum exercitum. Prostrato autem duce, omnes in fugâ spem posuerunt; quos prosecutus usque ad campum, occidit ex eis octingentos: reliqui in regionem maritimam ad Philistæos se receperunt.

1. Mach. 3. Joseph. Ant. l. 12. c. 11. Id ubi compertum est Antiocho, vehementer iratus, omnes regni sui copias contraxit, conducto etiam mercenario ex Græciâ milite, parans primo vere in Judæam irrumpere, aperuit ærarium suum, & numerato datoque in annum exercitui stipendio, vidit thesauros suos exhaustos deficere: nam deficientibus Judæis ab eo qui ei ultra trecenta argenti talenta annua pensitaverant, & crebris gentium persecutionibus, quæ inveteratas superstitiones deserere coactæ erant, vectigalia plurima imminuta sunt, veritus ut non haberet quod sufficeret ad ejusmodi sumptus & donaria. Ipse autem Rex erat magnanimus ac munificus: de profectione in Persidem cogitare cœpit, ut acciperet tributa regionum illarum, & congregaret pecuniam multam.

1. Mach. 3. Persidem profecturus, commisit rerum administrationem Lysiæ, amico probatæ fidei, & provincias Asiæ Ægyptum inter & Euphratem sitas curæ ejus credidit, relictâ ei copiarum quoque & elephantorum parte, jussit ut Antiochum filium diligenter educaret usque in suum reditum, & subactâ Judæâ, & habitatoribus ejus sub hastâ ducendis, deleret Jerosolymam, totam ejus gentem extinguendo, eorum regionem alienigenis daret incolendam. Cum reliquo exercitu ipse Antiochiâ anno regni Seleucidarum 147. trajecto Euphrate, Armeniam

meniam ingressus, bellum Artaxiæ illius Regi intulit, quem ab eo captum tradit Appianus, & eo capto esse mortuum. SELEUC. AN. 147.

Philippus Jerosolymæ præfectus, videns Judam Machabæum brevi ad incrementum pervenisse, Ptolemæo Cæle-Syriæ & Phœniciæ duci scripsit, ut succurreret Regis negotiis: ipse verò citò electum Nicanorem Patrocli filium è summis amicis misit, datis ei de permistis gentibus armatis non minùs vicies millibus, ut universum Judæorum genus deleret, adjuncto ei Gorgiâ viro militari, & in bellicis rebus experientissimo; ipsum quoque Ptolemæum, ut his suppetias ferret, misit Lysias, ita ut sub tribus ducibus Ptolemæo, Nicanore, & Gorgiâ numerarentur quadraginta millia peditum, & septem millia equitum; qui, profecti cum universo exercitu suo, castra posuerunt prope Emmauntem in regione campestri. Syriac. I. Mach. 3. II. Mach. 8. Joseph. Ant. l. 12.

Constituit Nicanor, ut Regis tributum, quod erat Romanis dandum, duo millia de captivitate Judæorum suppleret, statimque ad maritimas civitates misit, convocans ad coëmptionem Judaïcorum mancipiorum, promittens se nonaginta mancipia talento distracturum. II. Mach. 8.

Exercitum suum Judas Maspham sive Mitzam è regione Jerosolymæ duxit: ibi indicto jejunio, ardentibus votis defensionem tam exiguæ manus (sex aut septem millia hominum tantùm habebat) adversus tantas hostium vires, à Deo peti jussit: deinde dimissis debilibus, fortioribusque in quatuor ordines divisis, duces eis fratres suos præfecit. Et movens se exercitus, ad Austrum Emmauntis castra posuit è regione hostium, ubi Judas cohortatus est illos ad fortiter pugnandum, & mortem pro patriâ legibusque appetendam, ad prælium in proximum diem paratos esse jussit. I. Mach. 3.

Judas dum cogitat de futuro prælio, certo indice comperit Gorgiam missum cum mille equitibus, peditum quinque millibus, ut ductu persugarum noctu se inopinantem invaderet. Itaque decrevit & ipse eàdem nocte in hostium castra impetum facere, maximè quòd absutura esset bona pars illorum: sumptâ confestim cœnâ, relictisque in castris multis ignibus, totâ nocte iter fecit ad Emmauntis propinqua castra hostium. Interim Gorgias, nemine Judæorum invento, ratus eos metu cessisse, & occultari alicubi in montibus, statuit ubinam essent qnærere. Joseph. Ant. l. 2. c. 11.

Sub diluculum pervenit Judas ad castra hostium cum tribus virorum millibus, qui tegumenta & gladios non habebant; viditque hostem egregiè armatum, & castra ex arte disposita: hortatus suos, & tesserâ eis datâ DEI AUXILIO, jubet signa canere; ex improviso deinde adortus nihil minus exspectantes, ita terruit, ut cæsis quotquot ausi sunt resistere, cæterosque persequeretur usque Gadara, & usque campos Idumææ & Azoti & Jamniæ. Ceciderunt ex iis novem millia.

Victor Judas suos à prædâ cohibuit, Gorgiam adhuc superesse dictitans, quo profligato, per otium deinde posse eos ditari ex spoliis. Adhuc eo loquente, ostenderunt se Gorgiani è quodam loco edito, ex irritâ expeditione reversi, unde prospicientes suorum cladem, & castra capta & fumantia, animadvertentesque Judam se ex- Joseph. ibid. I. Mach. 3.

SELEUC. AN. 147. pectantem instructâ acie, non ausi manus conserere, trepidè se retrò in tutum receperunt. Judas verò victor, tum demùm permisit suos ad prædam discurrere, ditatusque cum suis, incolumem reduxit exercitum.

1. Mach. 8. Cum Timotheo & Bacchide Judæi postea congressi, supra viginti millia hostium interfecerunt, munitiones altissimas & spolia plurima diviserunt, arma eorum collecta in opportuna loca comportarunt, reliqua verò spolia Jerosolymam tulerunt. Scelestissimus autem Nicanor, veste quominus cognosceretur depositâ, per mediterranea fugiens, venit Antiochiam.

1. Mach. 4. Lysias, ex iis qui effugerant, suorum cladem rescifcens, confusus est & consternatus animo, quòd ea non evenisset Israelitis quæ voluerat, & quæ Rex ipsi mandaverat.

AN. 148. Joseph. Ant. l. 2. c. 11. Anno sequenti ad abolendam ignominiam novum exercitum paravit, contractisque lectissimorum sexaginta millibus, & adjunctis quinque millibus equitum, Judæam ingressus, montana ejus ascendit, & ad Bethsura vicum castrametatus est. Huic Judas cum decem millibus occurrit; cùmque videret hostem longè præstare numero, votis pro victoriâ factis, Deo fretus, primam aciem aggressus est tanto impetu, ut eis quinque millia sterneret: quo facto reliquis tantum terrorem incussit, ut Lysias animadvertens eis certò statutum aut mori, aut in libertatem se asserere, veritus magis desperationem eorum quam vires, copias Antiochiam reduxit, ubi mercenarios conducens, majoribus collectis viribus novam expeditionem moliturus.

1. Mach. 4. 2. Mach. 9. Judas & fratres ejus cùm primùm se viderunt ab hostibus quiescere, cum castris universis ascendentes Jerosolymam, templum & civitatem, exceptâ arce Sionis receperunt: at imperavit Judas, ut quidam oppugnarent eos qui in arce erant, donec templum emundaret. Tum vigesimaquintâ die mensis Casleu dicti, sacrificio ex Lege oblato, altare novum à Judâ dedicatum est, celebrataque hujus altaris dedicatio per dies octo cum lætitiâ & gaudio, & quotannis agenda; istique dies Scenopegiæ appellantur.

1. Mach. 11. Eodem quo templum instaurarunt tempore, etiam in monte Sion circumquaque muros altos & turres munitas ædificarunt, ut hostes, præcipuè in arce positos, cohiberent, ne templum suâ excursione in-
1. Mach. 4. festarent. Bethsuram quoque quinque tantùm stadiis inde distantem muniverunt, ut ex adverso Idumææ populus haberet præsidium.

Hieron. in Dan. 2. Mach. 9. Joseph. Ant. l. 12. c. 13. Antiochus, superiores regiones ditionis suæ peragrans, audivit in Elymaïde provinciâ, quæ est ultima Persarum ad Orientem regio, urbem Persepolim nominatam, prædivitem, & in eâ templum Dianæ dicatum, omne genus refertum donariis, ibique esse tegumenta aurea, & arma quondam ab Alexandro Magno relicta. Cùmque ille præavidus urbem & fanum exspoliare vellet, cives armis correptis eum fugaverunt, abeuntemque persecuti sunt.

Joseph. ibid. Cùm autem venisset circa Ecbatana, jam mœstus de clade quam acceperat, de re à Nicanore & Timotheo in Judæâ malè gestâ ad eum pervenit nuntius; indeque Babylonem versùs iter faciens, in finibus Persidis etiam de Lysiæ ingenti exercitu ibidem fugato, deque Judæorum

rum in dies crescente potentiâ, similiter audiit, unde furore percitus, ait se Jerosolymam brevi venturum, & congeriem sepulchri Judæorum eam facturum: sed impar sollicitudine incidit in languorem præ tristitiâ, accessit viscerum dolor, & acerba intestinorum tormenta. Jusserat indesinenter currum suum agitari, furorem in Judæos spirans; sed dum magno ageretur impetu, ex eo ille decidit, gravique casu corporis membra distorta & collisa sunt: è terrâ elevatus portabatur in gestatorio, & de corpore ejus vermes scaturiebant, unde propter intolerabilem odoris gravitatem cùm nemo exportare illum posset, iter Babylonicum intermittere coactus, in Persidis oppido Tabis substitit, ubi lecto affixus, complures dies hæsit, tabe diffluens.

SELEUC. AN. 148. — Hieron in Dan. l. 11. Exc. Diod. p. 144. App. Syr.

Cùm brevi se moriturum crederet, convocatis omnibus amicis, conquestus est de magnâ tristitiâ, ipse qui jucundus erat; & agnovit propter Judæis illatas injurias se perire in terrâ alienâ: promisit æquales illos Athenienfibus facturum; templum quod exspoliaverat, optimis donis ornaturum; sancta vasa multiplicaturum, & pertinentes ad sacrificia sumptus de reditibus suis præstaturum: super hæc & Judæum se facturum, & per totum terrarum orbem Dei potestatem prædicaturum. Sed non cessantibus doloribus, scripsit ad Judæos, deprecatus eos est, ut sibi & filio suo Antiocho, quem patris exemplo vivens Regem jam designaverat, fidem servarent.

AN. 149. — 1. Mach. 4. 2. Mach. 9.

Tum vocavit Philippum collactaneum, & è purpuratis suis amicissimum, quem gubernatorem regni constituit; traditoque ei diademate, regiâque stolâ & anulo, jussit hæc Antiocho filio perlata reddere, multùm obtestans, ut educationis curam haberet, & regnum ei servaret, usque dum per ætatem ipse fieret idoneus. Ita mortuus est Rex Antiochus anno regni Græcorum centesimo quadragesimo nono, & sui duodecimo inchoato, relicto legitimo filiò Antiocho, novenni, successore, & Alexandro notho cum Laodice filiâ ex Antiochide pellice.

Joseph. Ant. l. 12. c. 14.

Nemo est qui in Antiochi Dei Epiphanis ingenio tot vitia & virtutes non miretur: si vitia, vino & luxuriæ deditus, insolens, sævus, iracundus, & furiosus, unde Επιμανὴς dictus: si virtutes, strenuus, magno & liberali animo, regio nomine dignissimus. In urbium donis, & Deorum cultu omnes quotquot regnarunt exsuperavit; laneum velum textili Assyriorum opere, Phœniciâque purpurâ luculentissimum, in æde Jovis Olympii consecravit: Athenienfibus ægidem auream donavit, in theatri fastigio cum cæteris donis locatam: statuas quamplurimas in delubro Apollinis Delii circum aram ponendas curavit: Daphnæi Apollinis ad Antiochiam templo, simulachrum Olympiaci Jovis imitamenti æquiparans magnitudinem, posuit. Antiochiæ, Jovis Capitolini magnificum templum, non laqueatum auro tantùm, sed parietibus totis laminâ inauratum, & alia multa, in aliis locis, per breve tempus regni sui non perfecit. In urbium donis ejus fuit magna munificentia: Megalopolitanis in Arcadiâ murum se circumdaturum est pollicitus, majoremque partem pecuniæ dedit: Tegeæ theatrum magnificum è marmore instituit: Cyzici in Prytaneum, id est penetrale urbis, ubi publicè, quibus is

Athen. l. 10. c. 10. Polyb. Leg. 26. Valef. Ex. Polyb. p. 132. Pausan. l. 5. — Am. Marc. l. 22. Liv. l. 41.

 honos

Seleuc. An. 149. honos datus eſt, veſcuntur, vaſa aurea menſæ unius poſuit. Rhodiis, ut nihil unum inſigne, ita omnis generis, ut quæque uſus eorum poſtulaverunt, dona dedit. Antiochiæ in Syriâ metropolim quartâ parte auxit. Antiochia, inquit Strabo, quadri urbis eſt ex quatuor partibus conſtituta, quæ & ſingulæ ſuo & omnes communi muro ſunt circumdatæ; quarta verò Antiochi Epiphanis opus eſt. Urbem Amath vel Emath in tribu Neptalim juxta montem Libanum in confiniis regionis Damaſci commutato nomine Epiphaniam appellari voluit.

NUMMI ANTIOCHI DEI EPIPHANIS.

Ex Musæo nostro.

Caput diademate redimitum: in averſâ parte Apollo ſedens ut in aliis, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΘΕΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ, id eſt, Regis Antiochi Dei apparentis.

Syriac. Antiochus IV. à Syris cognominatus eſt Epiphanes, teſte Appiano, quòd expulſis è patrio regno tyrannis, quaſi patrius & domeſticus Rex illis apparuerit: ſed illa cum Epiphanis ſolâ epigraphe, nunquam in ejus nummis etſi obviis obſervatur, conjuncta ſemper cum Dei appellatione occurrit, unde vox iſta ad illam epiphaniam & apparitionem, quam gentiles ſuis heroibus in Deorum numerum relatis tribuebant, à quibus beneficia quædam accipiebant: Joseph. l. 12. eâ proculdubio ratione ducti Samaritani, anno 145. Seleucidarum ad Antiochum legationem cum hàc ſuperbâ Dei manifesti et apparentis nomenclatione miſerunt, ΒΑΣΙΛΕΙ ΑΝΤΙΟΧΩ ΘΕΩ ΕΠΙΦΑΝΕΙ, ut ſe ab immani illâ Judæorum perſecutione, quorum cognati dicebantur, liberarent: quam appellationem ſæpe in nummis Antiochus deinceps uſurpavit.

De Apolline ſæpius dictum eſt.



Ex Musæo nostro.

Caput diadematum, & coronâ radiatâ ornatum: in aversâ parte stat Apollo dextrâ sagittam è pharetrâ dorso impositâ depromens, sinistrâ extensâ arcum, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΘΕΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ, ut suprà.

Antiochus tanquam Deus præsens & manifestus in terris apparere creditus, ut nihil superbæ hujus nominis appellationi quam usurpare ausus est, deesset, coronam Deorum more radiatam cum diademate conjunxit; imò tanquam Apollo in aversâ parte cum hoc typo ejus Dei insolito, quasi jaculis ipse obvium quemque perditurus signari voluit.



Ex Musæo nostro.

Caput idem, cum eâdem epigraphe, & Jove seminudo stante, dextrâ fulmen, sinistrâ hastam gerente.

Jupiter ab antiquis sub diversis nominibus colebatur: hic ab illis ΖΕΥΣ ΚΕΡΑΥΝΟΦΟΣ, id est Jupiter fulmen gerens, appellatur; fulmen autem illi tanquam manifestum summi imperii symbolum tribuitur, quod à Cyclopibus accepit postquam eos subegit, dejectosque in Tartarum, Centimanis asservandos tradidit.

SELEUC. AN. 149.



Ex Musæo nostro.

Caput diademate cinctum: in aversâ parte solitus sedentis Apollinis cum attributis typus, & epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΟΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ.

Antiochus IV. Deus Epiphanes cognominatus, superbum hunc in nummis non gessit semper titulum, solo aliquando Antiochi Regis nomine contentus, cùm illud anno Seleucidarum 145. tantùm à Samaritanis, ut suprà dictum, acceperit: hic nummus forsan initio ejus imperii, aut saltem ante hunc annum percussus est. De Apolline dictum est.



Ex Musæo nostro.

Caput diadematum, ponè quod literæ numerales ΔΜΡ, id est anno 144: & in aversâ parte triremis, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ, ΤΥΡΙΩΝ, id est, Regis Antiochi. Tyriorum. cum literis Phœnicibus.

Ad Antiochum IV. pertinet hic nummus: literæ numerales ΔΜΡ ponè caput Regis, Seleucidarum annum 144. designant, octavus Antiochi regni numerabatur, quo ipse in Ægyptum, Ptolemæo Philometore quem Memphi reliquerat, cum juniore fratre factâ pace, terrâ exercitum, marique classem iterum duxit, unde tandem copias à Popilio Romanorum legato, Senatus authoritate in Syriam reducere coactus fuit.

Tyrii nummum, plurimis pro Antiochi in Ægyptum expeditione suppeditatis

tatis triremibus, signarunt: triremis illorum urbis symbolum est: ipsa rerum navalium studio & navigandi peritiâ adeò claruit, ut quibusdam prima navigare cœpisse credatur, quod affirmare videtur Tibullus: SELEUC. AN. 149.

Prima ratem ventis credere docta Tyrus.

Ab aliis triremium inventrix perhibetur anno Mundi 2747. quo condita est, Cretenses maris imperium tenebant, triremes apud Græcos in usu non erant, quibus utentes Tyrii, classem Minois minùs ob id formidantes, navigationem in Africam anno 2772 susceperunt, ubi Carthaginem duobus annis postea condidêre.



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput diademate & coronâ radiatâ cinctum: in aversâ parte stat Jupiter seminudus gradiens, dextrâ coronam gerit, cum epigraphe, ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΔΑΦΝΗΝ, ANTIOCHENSIUM QUI SUNT AD DAPHNEN.

Quis est qui non Antiochum Deum Epiphanem ex aliorum ejus nummorum inspectione, etiamsi nomen illius desit, in hoc nummo non agnoscat: ipse autem solo diademate ornatur, modò cum ipso coronâ radiatâ insignitur; hanc enim primus inter Seleucidas Reges usurpavit.

E sedecim urbibus, quæ Antiochiæ nomen à Seleuco Nicatore in memoriam patris ejus Antiochi habuerunt, Antiochia Syriæ inter maximas recensetur, habitatoribus ex Antigoniâ paulò antè conditâ traductis, partim in clivo, partim in plano sedens juxta Orontem, qui ibi ponte junctus est lapideo, ab aliis hujus nominis urbibus, distinctione ad Daphnem, separatur: Daphne autem mediocris est habitatio ad stadia quadraginta, & lucus ingens & opacus, fontanis & aquis irriguus, in cujus medio fanum & asylum Apollinis ac Dianæ delubrum, in quo Antiochenses finitimi festa celebrare consueverunt. Appian. Syriac.

Jovis Olympii figura stans, promissâ barbâ, in nummo percussa, brachio elato coronam gerit ob aliquam Antiochi contra Judæos victoriam. Antiochus autem Jovem venerans, ejus simulachrum in templo Daphnæi Apollinis stupendum, & Olympiaci Jovis imitamenti æquiparans magnitudinem, posuit.

SELEUC.
AN. 119.



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput idem: in aversâ parte Jupiter stans, dextrâ extensâ aquilam, sinistrâ hastam divinitatis, cum epigraphe, ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΚΑΛΛΙΡΟΗΝ, ANTIOCHENSIUM QUI SUNT AD CALLIRHOEN.

Ex urbibus nominis Antiochiæ, noster nummus hanc ad Callirhoen designat: illa à Stephano inter Antiochias octava, ἐπὶ τῆς Καλλιρόης λίμνης, supra lacum Callirhoen, sic ab illo vocata, quòd fons Callirhoe in lacum bituminis feracem effluat. Illius fontis aquæ calidæ sunt, &, præter vim medicam, jucundæ: ad hunc
Joseph. Ant. l. 17. verò fontem, ejusdem nominis urbem memorat Josephus. Urbs, & fons, &
c. 8. lacus, in Palæstinâ apud Jordanem fluvium sita sunt.

II. Mach. 17. Jovem signari in urbe Palæstinæ nihil hoc tempore mirum. Antiochus occupatis Jerosolymis idolum Jovis Olympii in templi sancto loco collocaverat, cogens omnes Judæos, abrogato veri Dei cultu, ipsius venerari numina: cives urbis hujus edictis Regis parentes, numisma ad effigiem ipsius Antiochi, in aversâ cujus parte Jovis Olympii figuram stantem cum hastâ & aquilâ percusserunt.



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput idem: in aversâ parte Jupiter stat, dextrâ extensâ coronam, cum epigraphe, ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΤΩΝ ΕΝ ΠΤΟΛΕΜΑΙΔΙ. ANTIOCHENSIUM QUI SUNT IN PTOLEMAIDE.

App. Syr. De Antiochiâ Ptolemaïdem versùs magnum est apud Geographos silentium. Stephanus ex sedecim urbibus, quæ hoc nomen teste Appiano tulerunt, decem tantùm enumerat. Hanc nummis debemus, quorum singularis ad veterem Geo-

Geographiam restituendam laudanda est præstantia. Hæc urbs in Phœniciâ versùs Palæstinæ fines sita videtur, quæ Antiochiæ nominis in memoriam Antiochi Seleuci Nicatoris patris, ab ipso sibi dati memor alteri Antiocho Regi, hujusque successori gratulans, nummos ad illius honorem cum Jove tutelari illius Deo signavit. SELEUC. AN. 149.



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput idem: ex adverso temo cum literis Phœniciis.

Selencus Nicator Syriâ occupatâ, in eâ dominationis sedem meditans, non solùm, ut tradit Appianus, plurima nomina Græca urbibus Syriæ imposuit, sed & linguam Græcam populis communicavit, & in publicis monumentis usurpare jussit: in Phœniciâ tamen illius regni provinciâ, lingua vernacula aliquando servata videtur. Testes sunt Sydonis & Tyri nummi, qui promiscuè cum Græcâ, modò cum solis characteribus, ut in hoc Antiochi numismate, exhibentur. Phœnicios autem characteres ad Hebraïcam aut Chaldaïcam magis, quam vocant formam, deflectere, quàm ad Samaritanam monet Spanhemius; sed cum Punicis multò similiores sunt, utpote Phœnices Carthaginis conditores, & Pœni quasi Phœni: at Punicæ interpolatæ, & ab antiquis illis Phœniciis litteris diversæ putantur. Syriac. Dissert. 2.

Temo in aliquâ urbe maritimâ nummum fuisse percussum arguit: sed qui litteras nobis exponat, an Regis nomen, an urbis epigraphen spectant, Oedipus est expectandus.



Seleuc. AN. 149.

ANTIOCHUS V.



App. Syr. 1. Mach. 6.

ANTIOCHUS V., Antiochi Dei Epiphanis filius novennis, patri in regno successit. Circa autem Epiphanis mortem, vel antequam mors ejus innotuisset, Judæi multa strenuè gesserunt, hoc loco inserenda.

1. Mach. 5. Joseph. Ant. l. 12. c. 11.

Judas Machabæus, templum & civitatem postquam purgavisset, id acceperunt vicinæ gentes: molestè autem ferentes Judæorum vires resuscitari, per insidias adoriendo, multos oppresserunt; cum quibus Judas assiduè bellum gerens, conabatur eorum incursiones compescere: quo tempore etiam Acrabatenam invadens, multos Idumæos interfecit & deprædatus est. Recordatus malitiam filiorum Bean, in eos conversus, incendit turres ipsorum cum omnibus qui in eis erant: quibus perdomitis, ad Ammonitas arma transtulit, quorum numerosam manum Timotheus Antiochi præfectus ductabat; &, iis devictis, abductisque in captivitatem uxoribus eorum ac liberis, cepit Gazer civitatem, direptam prius incendit, atque ita domum reversus est.

Post discessum Judæ, vicinæ gentes contractis copiis in Galaatica regione finitimos Judæos adorti sunt: at illi, refugientes in castrum Dathema, significabant Judæ per nuntios & litteras, quòd oppugnandi essent à Timotheo, rogantes ut se huic periculo eriperet: & dum legit has litteras, supervenerunt Galilæorum nuncii, querentes se infestari à Ptolemaide, Tyro, Sidone, & aliis finitimis populis. Ut

audivit

audivit autem Judas, cum populo deliberatione habitâ, in tres partes copias suas divisit; Simoni fratri ter mille viros ad Galilæos liberandos, sibi & Jonathani fratri octies mille ad Galaatidas è periculo solvendos deputavit, residuum exercitum cum Josepho Zachariæ filio & Azariâ ducibus populi ad Judææ custodiam reliquit, quibus mandavit ne cum gentibus committerent prælium, donec ipse ad eos reverteretur. SELEUC. AN. 149.

Profectus in Galilæam Simon, cum hostibus multa commisit prælia, persecutusque est eos usque ad portas Ptolemaïdis, & ceciderunt ex illis circiter tria millia virorum, quorum accepit spolia; & assumens eos qui erant in Galilæâ, adduxit in Judæam.

Judas & frater ejus trajecto Jordane abierunt viam trium dierum per desertum, & occurrerunt eis Nabathæi, & susceperunt eos pacificè, & narraverunt eis omnia quæ acciderunt fratribus eorum in Galaatide: & divertit Judas in desertum Bosor, & occupavit civitatem, quam succendit igni; deinde venit ad castellum, in quo Judæos oppugnari acceperat, ubi Judas adhortatus suos ad rem bene gerendam pro fratribus, divisis trifariam copiis, oppugnatores à tergo aggreditur. Timothei milites, cognito Machabæum esse, fugerunt: ex iis ad octo millia cecidere. Inde ad Mallon, quam expugnavit & incendit, eodem impetu Gasbon, Magath, & Bosor, & reliquas Galaatidis urbes cepit.

Aliquantò pòst Timotheus, contractis numerosis copiis, & inter cæteros auxiliares conductâ manu Arabum, trans torrentem castrametatus est contra Raphon. Judas audito quòd Timotheus paratus esset ad prælium, properè contra eum duxit exercitum, trajectoque torrente adortus hostes, partim resistentes prostravit, partim in fugam compulit: quidam verò in fanum, quod Carnaim dicunt, refugientes, Judas occupavit civitatem, & fanum succendit, alios ferro perdidit. His rebus feliciter gestis, & contractis è totâ regione Galaatidis Judæis cum liberis ac facultatibus, in Judæam eos traducebat: & cùm venisset ad Ephron, per quod necessariò transeundum erat, & transitum ab Ephronitis impetrare non posset, oppugnavit urbis mœnia, & vi cepit eam: trajecto deinde Jordane Scythopolim venit, inde in Judæam reversus est. Josephus & Azarias, auditis Simonis in Galilæâ, Judæ & Jonathanis in Gallaatide rebus strenuè gestis, ipsi contra mandatum, ut tale nomen sibi compararent, Jamniam exercitum duxerunt: egressus verò Gorgias ex urbe, ad fines Judææ eos fugavit. Ceciderunt ad duo millia ex militibus.

Judas & fratres ejus continuabant bellum contra Idumæos, urgentes eos undique; expugnatâque Chebrone, munitiones ejus diruerunt, & turres cremaverunt suppositis ignibus; pervastatisque agris hostium, everterunt etiam Marizzam oppidum: inde Azotum delati eodem impetu, expugnatâ eâ quoque ac direptâ, omnes ditati prædâ reversi sunt in Judæam victores & incolumes.

Cognovit Lysias quoniam mortuus est Rex, & constituit regnare Antiochum, & vocavit nomen ejus ΕΥΠΑΤΩΡ propter patris vir- 1. Mach. 6. App. Syr. 2. Mach. 10.

SELEUC. AN. 149. tutem, quasi felix esset, cui talis pater contigisset. Ille suscepto regno constituit super negotia regni Lysiam, Phœnicis & Syriæ militiæ principem: nam Ptolemæus, qui dicebatur Macer, justi tenax erga Judæos esse constituit, & præcipuè propter iniquitatem quæ facta erat in eos, & pacificè agere cum eis; sed ob hoc accusatus ab amicis apud Eupatorem, cùm frequenter proditor audiret, eò quòd Cyprum creditam sibi à Philometore deseruisset, & ad Antiochum Epiphanem translatus, etiam ab eo recessisset, veneno vitam finivit.

2. Mach. 10. Gorgias cùm esset dux locorum, assumptis advenis, frequenter Judæos debellabat: hi verò, qui erant cum Machabæo, impetum fecerunt in munitiones Idumæorum, multàque vi insistentes, loca obtinuerunt, occurentes interemerunt, & omnes simul non minùs viginti millibus trucidaverunt. Cùm quidam confugissent in duas turres valde munitas, Judas ad eorum expugnationem relicto Simone, Josepho, & Zachæo, ad alias pugnas conversus est; sed postquam ei nuntiatum est, pecuniâ à fratribus acceptâ quosdam aufugisse, turres occupavit, & in eis plusquam viginti millia peremit.

Philippus, cui filium educandum moriens commendaverat Epiphanes, corpus Regis transferebat; sed cùm accepisset Lysiam puerum in manu habere, & regimen imperii quasi à puero sibi commissum occupare, ad Ptolemæum in Ægyptum abiit; deinde ad exercitum Antiochi patris, quem reliquerat in Perside & Mediâ, arcessendum profectus est.

2. Mach. 10. At Timotheus, qui priùs à Judæis fuerat superatus, convocato exercitu peregrinæ multitudinis, & congregato equitatu Asiano, advenit; quasi armis Judæam capturus. Judas autem, & qui cum eo erant, sumptis armis, de civitate procedentes, & proximi hostibus effecti, resederunt. Primo autem Solis ortu utrique commiserunt; sed cùm vehemens pugna esset, apparuerunt adversariis de cœlo viri quinque in equis: & ex Syris interfecti viginti millia quingenti, & equites sexcenti. Timotheus verò confugit in Gazaram præsidium munitum, cui præerat Chæreas. Judas obsedit præsidium diebus quatuor; sed cùm dies quinta illucesceret, viginti juvenes ascenderunt mœnia, & alii similiter ascendentes, turres portasque succenderunt, atque vivos eos concremarunt. Per continuum autem biduum præsidio vastato, Timotheum occultantem se in quodam repertum loco peremerunt, & fratrem illius Chæream & Apollophanem occiderunt.

2. Mach. 11. Lysias Epatoris tutor & propinquus, negotiorumque regni præpositus, ægrè ferens ea quæ acciderant, congregatis octoginta millibus & equitatu universo, & octuaginta elephantis, contra Judæos profectus est; existimans se civitatem quidem captam, gentibus habitaculum facturum, templum vectigale, & summum sacerdotium quotannis vænale facturum. Ingressus ergo Judæam, Bethsuram quinque stadiis ab Jerosolymâ positam expugnabat, cui occurrens Judas cum exercitu, Angelo comite, hostium undecim millia prostravit, & mille sexcentos equitum; cæteri omnes & ipse Lysias turpiter in fugam acti sunt, quorum plurimi vulnerati & spoliati evaserunt.

Reputans secum Lysias damnum quod acceperat, & pro Judæis Deum pugnare intelligens, legatos ad eos de pace misit, promisitque se

ſe æquis illorum petitionibus conſenſurum, & ut Rex eis amicus eſſet, effecturum. Judas publicæ utilitati conſulens, Lyſiæ precibus annuit, & legatos Joannem & Abſalonem ad eum miſit, ut de pace inirent. Lyſias illos comiter excepit, iiſque promiſit, modò in negotiis fidem ſervarent Regi, Menelaum ut ipſe αυτονομια Judæis concederet miſſurum: quam illis per litteram ad Judæorum Senatum dedit, templum reſtituit, & pacem conceſſit: quæ omnia probaverunt Quintus Memmius & Titus Manilius à Populo Romano ad Antiochum in Judæorum gratiam miſſi, qui Antiochiam profecti, eos Lyſias pactionibus hiſce peractis ſecutus eſt. SELEUC. AN. 149.

Inter Eupatorem & Judæos inita pax ſtatim rupta eſt ex ducibus qui in vicinis locis erant. Timotheus, Apollonius Gennæi filius, Hieronymus, Demophon, & Nicanor, non ſinebant Judæos quieſcere. Joppitæ verò tale quoddam flagitium perpetrarunt: Judæos in navigia ſua cum uxoribus & filiis, qui pacis cauſâ nihil ſuſpectum habebant, pellexerunt, quos in altum perductos, non minùs ducentos ſubmerſerunt. Judas eâ Joppitatum intellectâ crudelitate, portum quidem noctu ſuccendit, & ſcaphas exuſſit, & qui ab igne confugerunt, eos trucidavit: & cùm audiviſſet Jamnienſes voluiſſe facinus idem in Judæos ſecum habitantes patrare, portum etiam eorum cum navibus nocte ſuccendit, ita ut lumen ignis appareret Jeroſolymis à ſtadiis ducentis quadraginta. II. Mach. 8.

Inde ſtadiis novem iter facientem ad Timotheum, exercitum Judæ aggreſſi ſunt Arabes cum quinque peditum millibus, & quingentis equitibus, commiſſoque prælio Arabes victi, pacem à Juda petierunt, promittentes ſe & pecora daturos, quam eis datâ dexterâ conceſſit. Deinde Caſpin urbem ceperunt Judæ milites; inde Caracen duxerunt unde Timotheus diſceſſerat, firmo quidem relicto præſidio, quod Judæ duces Doſitheus & Soſipater aggreſſi, ex iis plures quàm decem mille perierunt.

Judas, ordinatis circum ſe ſex millibus, & conſtitutis per cohortes, adverſus Timotheum proceſſit, cujus exercitus erat centum viginti millium peditum, & duorum millium & quingentorum equitum. Caſtrametatus eſt contra Raphon trans torrentem, quem prior trajiciens Judas cum ſuis copiis, gentes illas omnes fugavit, & ex iis triginta millia hominum proſtravit: ipſe Timotheus in Doſithei & Soſipatris agmen incidens, rogavit ut vivus dimitteretur, quod ei conceſſum eſt in ſalutem multorum Judæorum quos ipſe detinebat. Progreſſus inde Judas ad urbem Carnaim, & fanum Atergatis in eâ poſitum, quò plurimi confugerant; incenſo fano cum omnibus qui in eo erant, & everſâ urbe, jugulavit hominum viginti quinque millia: & Jeroſolyma, cùm jam Pentecoſte propinqua eſſet, pervenit.

Poſt Pentecoſten Judas & fratres ejus abierunt contra Gorgiam præfectum Idumææ cum trium millium peditum, & quadringentorum militum comitatu: quibus congreſſis, pauci ex Judæis ceciderunt. Doſitheus verò eques Gorgiam tenebat, & cùm vellet eum abducere, Thrax quidem in eum delatus, humerum amputavit, & ſic Gorgias

SELEUC. gias effugit in Maresa. Cùm autem illi qui Esdrim (unum è Judæ
AN. 149. ducibus) sequebantur, diuturnâ pugnâ fatigarentur invocans Judas Dominum, Gorgiæ milites ex improviso aggressus est, eosque in fugam vertit: tum ipse collecto exercitu venit in proximam civitatem Odollam.

Polyb. Leg. 107. Demetrius, Seleuci IV. filius, cùm multos jam annos obses Romæ esset detentus, & jam annum ætatis vigesimumtertium attigisset, acceptâ Antiochi Epiphanis morte, in curiam ingressus, à Patribus postulavit, ut in regnum restitueretur: ad se enim potiùs quàm ad Antiochi patrui filios pertinere. Patres tamen communi consensu decreverunt Demetrium esse detinendum, & puero, quem Antiochus reliquerat, regnum firmandum: cujus consilii causa videtur fuisse, quòd florem ætatis, in quâ tum erat Demetrius, suspectum Senatus haberet, conducibilioremque rebus suis ætatem infirmam illius qui relictus erat successor. Igitur extemplò legatos decreverunt Cn. Octavium, Sp. Lucretium, & L. Aurelium, quos ad regnum illud administrandum ex voluntate ipsius Senatûs, miserunt. Cùmque audiissent multos elephantos esse in Syriâ, & naves aliquot supra definitum Antiocho M. numerum, legatis mandaverunt, ut & naves tectas comburerent, utque elephantis nervos inciderent, & uno verbo regias opes, quammaximè possent, imminuerent.

AN. 150. 2. Mach. 13. Joseph. Ant. l. 12. c. 14. Jerosolymis Antiochus Epiphanes ante quinquennium arcem communierat, cujus præsidium adhuc Macedones & Judæorum perfugæ tenebant, qui, excursionibus factis, eos qui sacrorum causâ templum adibant, multis afficiebant incommodis, quòd arx ipsi templo esset supra verticem. Istud igitur præsidium Judas oppugnare decrevit anno Græcorum centesimo quinquagesimo, advocatis ad id totius populi viribus. Paratis igitur machinis, & exstructis aggeribus, totus incumbebat huic operi: multi tamen perfugarum noctu elapsi, adjunctis sibi similibus impiis, venerunt ad Antiochum, postulantes ne se in extremum periculum à suis tribulibus redactos despiceret, maximè cùm patris ipsius authoritatem secuti, in eam necessitatem adducti sunt, dum malunt patrios ritus, quàm regia mandata contemnere. Nunc verò periculum esse, ne Judas arcem cum præsidio vi capiat, nisi ipse maturè suis opem afferat.

1. Mach. 6. His auditis Antiochus Eupator iratus est, accersitisque amicis & ducibus, jussit eos mercenarium parare militem, & per totam suam ditionem delectum habere, ita ut brevi confectus sit exercitus peditum circiter centum millia, equitum verò viginti millia, atque insuper triginta duo elephanti: cum his copiis egressus est Antiochiam, commissâ Lysiæ totius exercitus administratione.

2. Mach. 13. His Menelaus se commiscuit, falsâ spe ductus, dignitatem, cujus titulum tantùm gerebat, ab Eupatore se obtenturam iri.

Progressus est Antiochus, pejora quàm sub patre ejus facta fuerant, peracturus. Quibus cognitis Judas, communicato cum suis consilio,
1. Mach. 6. statuit exire obviam Regi, & circa Modin castra posuit. Per Idumæam Rex cum exercitu profectus, Bethsuram oppugnavit, adhibitis machinis; quas egressi Bethsurani incenderunt, & fortiter pugnaverunt.

Judas

Judas autem castra movit ad Betzachariam, & invadens noctu castra hostium, usque ad ipsum Regis prætorium, ad quatuor virorum millia, & elephantem primarium cum his qui superimpositi fuerant, interfecit; castrisque metu ac peturbatione repletis, cùm jam dies illuxisset, prosperè discessit. SELEUC. AN. 150. 1. Mach. 13.

Rex summo mane ad eas fauces, ubi Judas castrametatus erat, Bethzachariam versùs, aciem ceu pugnaturus jussit ire compositam: cùmque non posset elephantos explicare per aciei latitudinem propter locorum angustias, jussit ut unus post alium incederet, attributis qui stiparent singulos mille peditibus & equitibus quingentis: belluis autem imposita erant celsa propugnacula instructa duobus & triginta sagittariis, reliquum autem exercitum ab utroque latere præcepit montes ascendere, præpositis ex amicorum cohorte ducibus: atque ita sublato militari clamore hostem aggreditur, micans aureis & æreis clypeis, ita ut fulgore eorum coruscarent omnia; clamore autem reboabat quidquid erat in circuitu montium. Joseph. Ant. l. 12.

Judas tali aspectu non est territus, sed excepto fortiter impetu hostium, circiter sexcentos ex iis qui primi concurrerant, occidit. Tum Eleazar Judæ frater, conspicatus elephantem phaleris regiis ornatum, ratus in eo Regem invehi, illuc cursu, cæsis hinc & inde hostibus, pervenit, succedens sub belluæ ventrem, illam occidit, sed ipse pondere elephantis illabentis oppressus est. Judas autem animadvertens hostem tanto superiorem numero, Jerosolyma se recepit, arcem iterum oppugnatione aggressurus. Joseph. ibid.

Rex ad Bethsuræ obsidionem reversus, & ipsi Bethsuritæ territi apparatu regio, sed maximè cùm commeatus illis deficeret, Rhodocusque Judæus rem hostibus denuntiasset, præcipuè Judam ad ipsos res necessarias mittere, deditionem fecerunt, paceque factâ, egressi sunt ex urbe: Rex verò suorum in urbe præsidium constituit. 1. Mach. 6. 2. Mach. 13. Joseph. Ant. l. 12.

Inde Jerosolyma Rex ascendens, permultum tempus eum tenuit templi obsidio, quod fortiter à Judæis defensum est: nullam enim eis Rex intentavit machinam, quam non illi contrariis eluderent; laborabatur tamen victûs penuriâ, quòd annus inciderat sabbaticus, ita ut multi, frugibus veteribus consumptis, se clam subducerent propter inopiam: sic penes paucos templi tutela remanserat.

Interim Philippus, qui ex Ægypto, quò metu Lysiæ confugerat, in Mediam & Persidem reversus ut copias ibi ab Epiphane relictas colligeret, ad regni negotia quibus eum moriendo ipse præfecerat, Eupatorisque tutelam testamento Regis sibi commissam, & ab ipso Lysiâ occupatam, vi recuperandam ex iis locis adventabat. Idem. ibid.

Cùm hoc audivisset Lysias, decrevit solutâ obsidione illi occurrere; & Regi ducibusque exercitûs persuasit oppugnationem non esse modici temporis, quòd locus esset munitissimus, illis in dies deficeret commeatus, & avocarent multa regni negotia, quæ opus esset Regem componere: itaque de pace cum Judæorum gente ineundâ egit, quæ facilè succederet, si patriis legibus, sicut antea, uti illis liceret; quæ sententia communi omnium suffragio comprobata est.

Rex misso caduceatore pacem Judæ ac cæteris obsessis denuntiat, liber-

SELEUC. libertatemque vivendi propriis legibus, pactis quibusdam & aliis con-
AN. 150. ventis juramento confirmatis, Judæi exiverunt è templi munitione, & Rex ingressus montem Sion, sacrificium obtulit, templum honoravit, & locum humaniter tractavit: verùm brevi pòst cùm loci munitionem attentiùs considerasset, violato sacramento jussit suum exercitum ut solo æquaret murum quo templum septum fuerat. Rex Machabæum, vel ut Græcus fert contextus, Hegemonidem ducem à Ptolemaide ad Gerrenos usque constituit, & discessit.

Ptolemaidem Rex cùm venisset, audivit Ptolemaidenses infesto jam in Judæos animo graviter ferre pacem cum ipsis initam, & indignantes volebant irritum facere fœdus; quapropter Lysias tribunal ascendens, eis rationes exposuit: sic & tumultum sedavit, civesque reddidit benevolos.

2. Mach. 13. Joseph. Ant. l. 12. c. 15. & l. 20. c. 8. Berytum pervenit Eupator, ducens secum Menelaum Pontificem: Regi Lysias consuluit ut eum interficeret, si vellet Judæos quiescere; hunc enim esse malorum omnium authorem, qui persuasisset ejus patri, ut Judæos ab institutis patriis deficere cogeret. Rex igitur apprehensum in eodem loco necari jussit: alii Beræam occidendum misisse referunt. Præceps Menelaus è turri altissimâ dignum vitâ suâ exitum sortitus est. Alterum non minùs improbum Alcimum substituit Eupator, suadente Lysiâ, ut pontificatûs honorem in aliam familiam transferret.

AN. 151. 1 Mach. 6 Joseph. ibid. Jam Antiochiam occupaverat Philippus, ibique vi dominabatur; sed cùm eam versùs tenderet Eupator, urbem oppugnavit, illam vi cepit, atque Philippum in potestatem suam redactum supplicio affecit.

Polyb. Leg. 114. & 121. Cicero Phil. 9. App. Syr. Romanorum legati Octavius, Lucretius, & Aurelius à Senatu missi ut ipsius voluntate Syriæ regnum administrarent, in mandatis habebant ut elephantos interficerent, & naves supra definitum Antiocho M. numerum cremarent: hoc spectaculum miserabile visum est; quod non ferens quidam Leptines, Cn. Octavium legationis principem, Laodicæ dum ungitur in gymnasio, suâ manu confodit; quem Lysias magnificè sepeliendum curavit, ut suspicionem à se amoliretur: statimque legatos Regis nomine Romam misit, qui id facinus purgarent, ejusque conscium Regem non fuisse ostenderent. Lysias tamen, teste Zonarâ, populum concitarat, ut Romanos ejiceret, & Cn. Octavium occideret.

Polyb. Leg. 122. Erat tum in Syriâ Isocrates quidam Grammaticus, qui, non continens se intra professionis suæ fines, etiam de publicis rebus verba facere, & sententiam suam pronuntiare cœpit. Non solùm enim jure Cneum Octavium occisum fuisse dicebat, sed cæteros quoque Populi Romani legatos esse jugulandos adjiciebat, ut ne unus quidem relinqueretur superstes, qui cladis nuntium Romam adferret; quò tandem illi desinerent superbè adeò imperare aliis, & hanc imprudentem dominandi licentiam usurpare.

Polyb. Leg. 123. Rex Cappadociæ Ariarathes legatos Antiochiam ad Lysiam misit, ut sororis & matris Antiochidis filiæ Antiochi Magni ossa reciperet. Quâ de re discedentibus legatis mandata dedit cum postulatis precibusque

busque conjuncta: expostulatione de cæde Octavii supersedendum SELEUC.
sibi existimans, ne si Lysiam irritaret, voti sui compos fieri non AN. 151.
posset. Cùm autem, permittente Lysiâ, reportatæ reliquiæ ad eum fuissent, magnifico apparatu illas suscepit, & summo studio juxta patris tumulum posuit.

Postquam esset Romam nuntius allatus de casu Cn. Octavii qui Polyb.
occisus fuerat: cùm etiam legati Antiochi, quos Lysias miserat, Ro- Leg. 14.
mam venissent, & multa disseruissent quò probarent cædis ejus conscium Regem non fuisse, Senatus legatos remisit, nullâ prolatâ sen-
tentiâ, quia mentem suam prodere nolebat. Interea Cn. Octavio Cic. Phil. 9.
statua à Populo Romano pro vitâ reddita est.

Demetrius Seleuci filius hoc nuntio perculsus, Polybium accersit, Polyb.
& cum eo deliberat, deberet-ne iterum de suis rebus cum Patribus ibid.
agere. Polybius Demetrium monuit, caveret ad eundem lapidem bis offendere; quin potiùs spes suas in seipso poneret, auderetque aliquid regno dignum: multas enim ipsi præsentem rerum statum occasiones præbere, ad fugam hoc mòdo obscurè hortatus. Ille tamen Apollonii familiaris sui, admodum juvenis, consilium secutus in curiam venit, & ut saltem necessitate liberaretur, manendi Romæ pro obside oravit, quandoquidem regnum Antiocho Eupatori firmassent. Cùm nihilominus Senatus in sententia permaneret, Demetrius pœnitentiâ facti sui ductus, cùm præsertim magni vir animi esset, & satis audaciæ haberet, de fugâ suâ cum Diodoro, qui è Syriâ recèns venerat, & ipsum olim educaverat, deinde cum Polybio deliberat.

Menithyllus Alabandensis, missus à Ptolemæo Philometore legatus, particeps consili factus, operâ Polybii reditum suum parare præ se ferens, Carthaginensium navem, quæ Tyrum navigatura erat, advecturam palam in ostio Tyberis conduxit. Paratis omnibus Demetrius suum illum educatorem Diodorum in Syriam præmisit, qui omnes ibi rumusculos colligeret: & quis populorum esset sensus exploraret: ipse itineris socios futuros assumens, apud quendam ex amicis cum eis cœnavit, reliquos Anagniam amandavit quò postridie venationis causâ se dicebat esse venturum.

Æger tum in lecto decumbens Polybius, de singulis tamen per Menithyllum monitus, & vehementer sollicitus, ne quia Demetrius naturâ suâ conviviis plurimùm gaudebat, exstructâ in tempus longius comportatione, exeundi consilium propter temulentiam aliquo modo impeditum hæreret; cùm jam tenebresceret, breve pittacium obsignatum ad eum misit: lectis in eo præceptis, extemplo nauseabundum se simulans, convivio simul cum amicis excessit, Ostiam properavit. Menithyllus verò illos præcedens, nautis significat novi se aliquid à Rege accepisse, cujus gratiâ oporteat ut ipse quidem adhuc in urbe hæreret, sed juvenes probatissimæ fidei ad illum mitteret, qui de fratre omnia ei sint renuntiaturi, & circa mediam noctem venturi. Interea exeunto tertiâ noctis vigiliâ Demetrius adest cum octo sociis, quinque famulis, & tribus pueris; ubi cum his locutus esset Menithyllus, & præparatum commeatum illis ostendisset, eos nauclero & vectoribus diligenter commendavit, & cum primâ luce vela faciunt.

SELEUC. AN. 151. De ejus diſceſſu nihil Romæ cogitatum ante diem quartum, quo quæſitus, quædam ſuſpicio ejus exitûs oborta eſt. Die quinto Senatus eâ de re eſt habitus, cùm quidem Demetrius ſextum jam agens ab exitu ab urbe diem, ad fretum Siculum pervenerat. Abeuntem Patres perſequendum non duxerunt, quòd perſuaſum haberent multum jam itineris eſſe ab eo confectum. Poſt paucos dies Tiberium Gracchum, Lucium Lentulum, & Servilium Glauciam legatos decreverunt, qui res in Græciâ inſpicerent; deinde in Aſiam tranſgreſſi, quid molíretur Demetrius obſervarent.

Zonar. ex Dione. Interea Demetrius defertur in Lyciam, unde ad Senatum ſcripſit, ſe non contra patruelem Antiochum, ſed contra Lyſiam proficiſci, & Octavii necem ulturum eſſe. Cùmque Tripolim Syriæ celeriter ſibi adjunxiſſet, tanquam à Senatu ad regnum occupandum miſſus, Apameâ potitus, comparatis copiis Antiochiam contendit, ibique puerum & Lyſiam amicè obviam egreſſos (Romanorum enim metu armis abſtinuerant) interfecit: comprehenſos autem à militibus Antiochum & Lyſiam ſcribit author libri 1. Machabæorum, Demetrii autem juſſu ab eis occiſos.



NUMMI ANTIOCHI EUPATORIS.



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput diademate ornatum: in averſâ cujus parte Jupiter ſedet, dextrâ victoriolam, ſiniſtrâ haſtam, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΥΠΑΤΩΡΟΣ, id eſt, REGIS ANTIOCHI EUPATORIS.

Juvenilis in rariſſimo nummo percuſſa effigies Antiochum V. exhibet: hic Antiochi Dei Epiphanis filius à patre Rex Syriæ deſignatus in locum Demetrii Seleuci IV. ſeu Philopatoris filius, Romæ tum obſidis, in regno ſucceſſit. Lyſias, ut ait Scriptura, cùm cognovit quòd mortuus eſſet Rex, conſtituit regnare Antiochum filium ejus, quem nutrivit adoleſcentem, & vocavit nomen ejus

ejus ΕΥΠΑΤΩΡ, quale nummi nostri epigraphe exhibet. Illum sic nominatum Appianus refert ob patris virtutem, quasi felix esset cui talis pater contigisset. Seleuc. An. 151.

De Jove sedente sæpius dictum est. Ipse autem victoriolam in cujusdam victoriæ memoriam gerit. Antiochus Eupator insignem de Philippo, cui à patre moriente commendatus fuerat, retulit: ille usurpato sibi in Perside regno, contra Antiochum in Judæâ præliantem, Antiochiam Syriæ metropolim occupavit; sed Rex, pace cum Judæis initâ, contra rebellem profectus, ipsum in prælio interfecit.

Hic nummus argenteus maximi moduli, eximiæ raritatis & elegantiæ habendus, qui hactenus ex omni metallo solus in cimeliis est observatus.



DEMETRIUS I.



DEMETRIUS, Seleuci IV. filius, patri non successit, sed filio patrui sui Antiochi, qui regnum, dum Romæ obses esset, occupaverat: ipse tandem ex urbe fugiens, exceptus secundo omnium favore in Syriâ, paternum regnum recuperavit anno Græcorum centesimo quinquagesimo primo, ipso Antiocho ejus cognato, ut diximus, occiso.

Justin. l. 34.

Rex in Syriâ proclamatus, duos fratres, quos ambos Antiochus Epiphanes in deliciis habuerat, perdidit; Heraclidâ ærario apud Babylonios ejecto, & Timarcho Babylonis Satrapâ ut rebelle interfecto, qui alioquin etiam ejus provinciæ præfecturam malè administraverat: à Babyloniis primùm SOTERIS cognomentum adeptus est.

App. Syr.

1. Mach. 7. Alcimus ab Eupatore ad summum sacerdotium evectus, à populo tamen non receptus, pontificatum à Demetrio sibi confirmari desiderans, cum iniquis & impiis Judæis Regem adiit, accusans populum, Judam & ejus fratres, quòd amicos Regis excidissent, & ipsos in exilium pepulissent, petiit ut mitteret aliquem qui eos puniret: elegit Rex ex amicis suis Bacchidem Mesopotamiæ præfectum, quem cum Alcimo in sacerdotio confirmato, & magno exercitu, in Judæam misit: quò cùm venissent Alcimus & Bacchides, nuntios ad Judam & fratres ejus mandarunt, illosque verbis pacificis circumvenire tentarunt. Tum ad Alcimum & Bacchidem convenit congregatio Scribarum, in

in quibus primi Hasidæi fuerunt, qui requirebant pacem. Dicebant enim: Sacerdos de semine Aron venit, qui non decipiet nos. Sed postquam credidissent se ei, contra juramentum comprehensos ex iis sexaginta occidit die uno: quâ perfidiâ territi multi ex urbe aufugerunt. SELEUC. AN. 151.

Bacchides abiit Jerosolymâ, & castra movit in Bethzetha: & comprehensi sunt multi ab eo transfugæ, & quidam è populo, quos mactatos in magnum puteum projecit. Deinde committens regionem Alcimo, reliquit cum eo copias auxiliares, & ad Regem rediit. Ad Alcimum verò, omni studio ut Pontificatum firmum sibi faceret contendentem, congregati sunt omnes qui turbabant populum suum; qui obtinentes terram Juda, fecerunt plagam magnam in Israele. Egressus igitur Judas in omnes fines Judææ per circuitum, ultionem de transfugis illis sumpsit, & cohibuit ne in regionem exirent.

Alcimus, videns invaluisse Judam, venit ad Regem, & ei obtulit coronam auream, & palmam, ac ramos, qui templi esse putabantur: à Demetrio postea in consilium de rebus Judæorum convocatus, se summo sacerdotio spoliatum graviter conquestus, Judam & Hasideos ut bellorum & seditionum authores accusavit, nec Regem, quandiu Judas ipse vivat, quieto regno potiturum unquam esse dictitans: quod cùm & cæteri amici in Judam infensissimi confirmassent, accensus Demetrius Nicanorem præpositum elephantorum ducem misit in Judæam, mandans ut Judam caperet, Hasidæos dispergeret, & constitueret Alcimum templi summum Sacerdotem. 2. Mach. 14.

Judæi, audito Nicanoris adventu, & accessione gentium, statim moverunt versùs castellum Dessai, ubi Simon frater Judæ cum Nicanore congressus est. Nicanor, auditâ Judæ & sociorum in patriâ propugnandâ fortitudine, belli aleam tentare metuit; quare misit Posidonium, & Theodotum, & Matthiam, qui darent fidem atque acciperent: cùmque diu de his consilium ageretur, cum populo Judas rem communicavit, qui unâ sententiâ amicitiis annuit. Et constituto die quo privatim Judas & Nicanor unà venirent, viros armatos opportunis locis disposuit Judas, ne fortè ab hostibus repentè mali aliquid oriretur; sed pacifico inter eos sermone habito, fœdus est initum. Jerosolymis morabatur Nicanor, & turbas quas antè coëgerat dimittens, ita charum habebat Judam, ut etiam uxorem ei ducere rogaverit.

Alcimus, ut eorum benevolentiam ad invicem & conventiones factas vidit, ad Demetrium venit, & Nicanorem ut consilia à Regis rebus aliena agitantem detulit. Exasperatus Rex, & accusationibus Alcimi accensus, de pactis ad Nicanorem se ea graviter ferre scripsit, & ut citò Machabæum vinctum mitteret Antiochiam jussit. Et licèt iniquè ferret Nicanor, quòd res compositas facturus esset irritas, cùm nullam injuriam Judas fecisset; quia tamen non erat unde resisteret Regi, opportunum tempus observabat, ut præceptum perficeret stratagemate.

Judas videns Nicanorem minùs familiariter secum agere, & solitam conversationem asperiorem exhibere, cogitans non ex bono esse au-

SELEUC. AN. 151. ſteritatem iſtam, paucis ſuorum congregatis, ſe ab illo occultavit: tunc Nicanor cognovit detectum eſſe conſilium ſuum, & exivit ob-
1. Mach. 7. viam Judæ ad pugnam juxta Capharſalama, ubi ceciderunt de Nicanoris exercitu ferè quinque millia virorum; reliqui fugerunt in civitatem Davidis.

His ita geſtis, aſcendit Nicanor in montem Sion, cui obviam proceſſerunt quidam è ſacerdotibus & è ſenioribus populi, ſalutaturi ipſum cum pace, & demonſtraturi ei holocauſtum quod offerebant pro
2. Mach. 14. Rege: ſed irridens ſprevit eos, & polluit. Illis autem dicentibus cum juramento ſe neſcire ubi Judas eſſet, Nicanor extendens manum ad templum, juravit, niſi traderetur Judas ejuſque copiæ in manus ejus, ſe cùm rediturus eſſet in pace, domum Dei everſurum, & altare ſuffoſurum, & templum Libero patri ibidem conſecraturum. Sacercerdotes orabant Deum ut templum conſervaret, ipſoſque protegeret.

Nicanor ut comperit Judam eſſe in partibus Samariæ, egreſſus Jeroſolymis, caſtra locavit ad Bethoron, ubi copiarum incrementum ex Syriâ illi occurrit: Judas verò caſtrametatus eſt in Hadaza cum tribus virorum millibus. Nicanor tunc cogitans die ſabbati pugnare, Judas hortatus ſuos ne timerent gentium exercitum, ſed ab Omnipotente victoriam expectarent, die tertiadecimâ menſis Adar in hoſtes irruerunt, proſtraveruntque non minùs triginta quinque millia, inter quos Nicanor ipſe cecidit, reliqui abjectis armis fugerunt, quos Judæi perſecuti unius diei itinere ab Hadaza uſque dum venitur Gazeram, ne unus quidem incolumis è novem millibus evaſit: & acceptis ſpoliis prædâque, caput Nicanoris dexteramque ejus amputarunt, & detulerunt Jeroſolyma. Caput in ſummâ arce, & dexteram contra templum ſuſpendi juſſit, linguam etiam ejus præciſam minutim avibus dari. Decreveruntque omnes communi conſilio, ut quotannis celebritas haberetur die illo decimotertio menſis Adar, pridie feſti Mardochæi.

AN. 152. Poſt hanc exercitûs ſtragem, Nicanoriſque cædem, Judas ad Ro-
1. Mach. 7. & 8. manos Eupolemum Joannis, & Jaſonem Eleazari filium legatos ſuo fratrumque & Reipublicæ Judæorum nomine miſit, ut ſocietate cum Populo Romano initâ, à Regis Demetrii jugo liberarentur.

1. Mach. 9. Cùm audiviſſet Demetrius cecidiſſe Nicanorem in prælio, & copias ejus deletas, decrevit Bacchidem & Alcimum iterum in Judæam, & cum eis dextrum cornu, ſive præſtantiorem ſui exercitûs partem mittere, qui profecti viâ quæ ducit in Galgala, caſtra poſuerunt in Maſaloth tribus Nephthali, eâque occupatâ, interfecerunt homines multos.

Menſe primo anni centeſimi & quinquageſimi ſecundi caſtra moverunt verſus Jeroſolyma, indeque Beerzath profecti ſunt cum viginti millibus peditum, & duobus millibus equitum. Judas verò caſtrametatus in Laïſa cum tribus millibus virorum electorum, qui, hoſtium multitudine territi, eum deſeruerunt, octingentis tantùm in caſtris relictis. Cum paucis hiſce ingentem Bacchidis exercitum ille adortus, à mane pugnavit uſque ad veſperam, fugatoque dextro cornu, in

in quo ipse erat Bacchides, fugientes persecuti sunt usque ad montem Azotum: sed qui erant in sinistro cornu, Judam & eos qui cum eo erant, consecuti, post ingravatum prælium, & ex utrâque parte quamplurimos interfectos, Judam fortiter dimicantem interemerunt, eoque cadente cæteri fugerunt. Tollentes Jonathas & Simon Judam fratrem suum, sepelierunt in sepulchro patrum in civitate Modin. SELEUC. AN. 152.

Post mortem Judæ emerserunt iniqui ex omnibus Israelis finibus, & magnâ fame eodem tempore ingruente, tota ferè regio cum ipsis Bacchidi se submisit, ut victu commodiùs frueretur. Bacchides verò impios istos præfectos constituit regionis, qui, comprehensis Judæ amicis & fautoribus, Bacchidi eos tradiderunt; & is tortos primùm, cruciatosque ad libitum, postremò omnes ad unum enecabat.

Interim legati à Judâ Machabæo Romam missi, cum Populo Romano pacem inierunt; fœdusque in tabulis æreis inscriptum est, ut Judæi Romanis, & Romani Judæis, mutua auxilia contra communes hostes exhiberent. Ad Demetrium à Senatu missæ sunt litteræ, ne gentem Judæorum ampliùs opprimeret, alioqui se à Populo amico & fœderato omnem injuriam, bellum terrâ marique gerendo, propulsaturos. 1. Mach. 8.

Congregati sunt omnes Judæ amici, & elegerunt pro duce Jonatham fratrem ejus: quo cognito Bacchides quærebat eum occidere; sed hoc cùm nec ipsum nec Simonem fratrem, nec omnes qui cum eo erant latuisset, in desertum Thecue fugerunt & ad aquam quæ dicitur lacus Asphar castrametati sunt. Bacchides insecutus est Jonatham cum omnibus suis copiis, & ultra Jordanem castra posuit, & sabbato illum aggressus est, ratus non repugnaturum propter religionem diei. At ille cohortatus socios, clausi à tergo amne, à fronte hostibus, votisque Deo factis pro victoriâ, impigrè hostem aggreditur; & prostratis non paucis, videns ipsum Bacchidem in se ruere, ferire eum conatus est: sed cùm ille cautè ictum declinasset, Jonathas cum sociis tantæ multitudini impares se esse videntes, desilientes commiserunt se flumini, & in oppositam ripam enatarunt, hostibus non ausi trajicere: sed Jerosolyma reversus est Bacchides, desideratis ex militibus illius eo die circiter mille, vel duobus millibus, ut habet Josephus. 1. Mach. 9. Joseph. Ant. l. 13. c. 1.

Post eum conflictum Bacchides communivit aliquot oppida, Hierichuntem, Emmauntem, Bethoron, Bethellam, Thannatam, Pharatenem, Tochoam, impositis in eis præsidiis, additis mœnibus & turribus, ut res Judæorum inde infestaret excursionibus; munivit quoque urbem Bethsuram & Gazaram, sed nihil æquè ut Jerosolymitanam arcem, in quâ acceptos à Judæorum primatibus filios obsides inclusit, ut ibi custodirentur.

Postquam Menochares ad Demetrium Antiochiam venisset, & sermones Regi exposuisset, quos in Cappadociâ cum Tiberio aliisque Romanorum legatis habuerat, existimans Rex supra omnia necessarium suis rebus esse in præsentiâ, ut prædictos viros omnibus modis sibi adjungeret & placaret: relictis rebus ad eos misit primùm in Pamphyliam, deinde iterum Rhodum, quidvis facturum se in gratiam Polyb. Leg. 120.

SELEUC. Romanorum promittens, donec perfecit ut Rex ab illis salutaretur
AN. 152. Tiberius enim, qui ex animo illi cupiebat, plurimùm illum adjuvit ad impetrandum quod cupiebat, & ad jus regni ei conciliandum.

Polyb. Leg. 122. Demetrius legatos extemplò Romam misit, qui coronam adferrent, & illum, cujus manu Cn. Octavius fuerat occisus, Romanis adducerent, ac simul criticum Isocratem. Leptines autem, qui Cn. Octavii cædem patraverat, postquam Demetrius regnum suscepit adierat Regem, & oravit ne cæde Cn. Octavii moveretur, neve propterea in Laodicenses gravius quicquam iret consultum: ipsum enim se Romam profecturum, & Senatui probaturum, Diis volentibus id admissum. Quia sponte suâ atque alacris ibat, sine vinculis & custodibus Romam ductus est. Isocrates contrà, simul ac nomen ejus fuit delatum, mente captus est, atque in totum alienatus: ubi verò etiam collum sibi loris circumdari vidit, & vincula admoveri, cibum raró sumere, corporis cultum penitus aspernari.

AN. 153. Idem ibid. Anno centesimo quinquagesimo tertio, mense secundo, præcepit Alcimus destrui murum atrii interioris, à prophetis exstructum: illi Deus os occlusit, paralysi eum percutiens, ita ut loqui quicquam ampliùs non potuerit, & cum magno cruciatu vitam finiverit. Videns Bacchides mortuum esse Alcimum, præsidiis per totam Judæam dispositis, cùm Jonathas cum Simone fratre in palustribus Jordanis commoraretur, ad Demetrium reversus est. Quo tempore per integrum biennium status rerum Judaicarum fuit pacatior.

Polyb. Leg. 121. Diod.Sic. Leg. 24. Ariarathis Cappadociæ Regis legati Romam venerunt, coronam aureorum decies mille adferentes; qui Senatui etiam significarent quomodo Tiberium Gracchum excepisset, & ipsorum causâ oblatas à Demetrio amicitias, & sororis nuptias respuisset; & paratum ipsum esse declararent, quidquid imperarent Romani, mandatis eorum obtemperare.

AN. 154. Polyb. Leg. 22. Cùm & Demetrii Regis legati Menochares aliique venissent, coronam aureorum decies mille Romæ adferentes; & illum simul adducentes, qui Cn. Octavio manus intulerat. Perdiu dubitatum est à Patribus quid esset opus facto: tandem & legatos suscepit Senatus, & coronam accepit; homines verò, qui fuerant adducti, rejecit quasi
App. Syr. crimen id commune esset Syris omnibus. Integra enim omnia servabat, ut quoties vellet, vindicandi criminis potestatem haberet. Idcirco etiam Demetrio hujusmodi responsum dedit: Senatum suam illi benevolentiam impertiturum, si idoneâ ratione caverit, se in ipsius potestate futurum, sicut esset olim.

Justin. l. l. 35. Orophernes Antiochidis Antiochi M. filiæ, Cappadocum Reginæ, filius suppositus vel adoptatus, ad Demetrium profectus, se per injuriam à fratre Ariarathe regno Cappadociæ pulsum conquestus est. Demetrius, qui novitati otium periculosum ratus, ampliare fines regni, & opes augere cogitabat, Orophernem supplicem recepit: infensus enim Ariarathi propter fastiditas sororis nuptias, datum sibi honestum belli titulum gratulatus, restituere in regnum statuit, & mille
Appian. talentorum mercedem cum Oropherne pactus, Arirrathi bellum intulit. Eumenes Pergami Rex adjuvit Ariarathem, cujus sororem Stratoni-

tonicen uxorem duxerat: sed tamen Orophernes Demetrii opibus & copiis Cappadociæ regno pepulit. SELEUC. AN. 155.

Cùm Jonathas & sui per biennium quieti fuissent, transfugæ Judæi per nuntios sollicitaverunt Demetrium, ut Bacchide misso Jonatham in potestatem redigeret: fore enim hoc perfacile, posse omnes ejus milites unâ nocte comprehendi. Qui cum copiis multis profectus, clanculum epistolas omnibus sociis suis in Judæâ misit, darent operam ut Jonathas & qui cum eo erant comprehenderentur: sed cùm innotuisset eis consilium ipsorum, iratus Bacchides, putansque & se & Regem ludibrio haberi, comprehensos ex hominibus hujus sceleris conscios, quinquaginta præcipuos interfecit. 1. Mach. 9. Joseph. Ant. l. 13.

Postea metu secedens Jonathas, & Simon, & qui cum eo erant, in Bethbasi vicum, vel Bethalagan apud Josephum, in deserto, eumque munivit mœnibus & turribus, ut tutum haberet receptaculum. Quo audito Bacchides, cum totis suis copiis contra eum profectus est, adjunctisque Judæorum suæ factionis auxiliis, & castris positis contra Bethbasin, oppugnavit eam diebus multis, & fecit machinas: at ille restitit acriter, relictoque ad oppidi tutelam Simone fratre, clam egressus, exiit in circumsitam regionem, & noctu in Bacchidis castra irruit, & multis trucidatis effecit ut frater adventum suum cognosceret: quamprimùm tumultum sensit in castris hostium, eruptione factâ incendit eorum machinas. Bacchides verò videns se à fronte & à tergo invasum ab hostibus, re inopinatâ consternatus, vix fuit compos animi; totam autem indignationem effudit in transfugas, occisis ex illis multis, quorum operâ missus à Rege fuerat; unum cogitans, quomodo ex dignitate suâ & Regis obsidioni fine imposito, exercitum sine ignominiâ posset reducere.

Jonathas cognitâ Bacchidis voluntate, misit ad eum nuntios de pace componendâ, petens societatem & amicitiam inter se, captivis utrimque redditis. Id Bacchides ratus sibi oblatam occasionem quâ posset non inglorius obsidionem solvere, fœdus cum Jonathane iniit, jurejurando interposito, neutrum arma moturum in alterum: redditisque & receptis captivis, Antiochiam reversus est, nec unquam posthac Judæam cum exercitu repetiit. Joseph. Ant. l. 13. c. 11.

Ariarathes, regno pulsus, Romam venit priusquam exiisset æstas; & cùm magistratum tunc iniisset Sextus Julius, illum adivit, convenientem calamitati in quâ versabatur speciem præ se ferens. Venerat & Demetrii legatio, cujus princeps Miltiades, in utrumque paratus: nam ad excusanda quæ objiceret Ariarathes, instructus erat, & ad criminandum illum odiose. Orophernes quoque legatos miserat Timotheum & Diogenem, ut coronam Romam adferrent, & amicitiam atque societatem renovarent; præcipuè autem, ut in judiciali contentione defenderent facta à suis, & Ariarathem accusarent. Enimverò Diogenes & Miltiades tum in privatis congressibus speciem majorem ostentabant, utpote plures cum uno, atque omnibus rebus florentes cum afflicto & misero compositi; tum etiam ubi ad res exponendas ventum, longè superiores fuerunt: cùm enim quidvis dicere, & ad omnia respondere spretâ veritate auderent; quia adesset nemo qui ve- AN. 156. Polyb. Leg. 126.

SELEUC. ritatem tueretur, & mendacium superaret, visi sunt quod volebant
AN. 156. efficere. Demùm verò à Senatu Orophernes, quia Populi Romani
App. Syr. amicus & socius appellatus erat, unà cum Ariarathe ut fratre regnare
Zonar. ex Dione. jussus est.
Polyb. Orophernes brevi tempore regno potitus est; nam cùm favorem
Leg. 31. multitudinis gratiis ac beneficiis conciliare debuisset, nihil horum præ-
Valesf. Exc. A- stitit, sed baccho indulgens, institutis patriæ neglectis, cogendæ
then. l. 10. pecuniæ solùm intentus, multis per summum scelus occisis, occasio-
c. 11. Valesf. nem dedit Ariarathi ut ipsi bellum inferret. Orophernes ad Deme-
Exc. Diod. trium fugit; Timotheum quidem quinquaginta, Regem septuaginta
p. 334. talentis coronavit, trecenta alia brevi se persoluturum, ac sexcenta
præterea pollicitus. Oropherni Demetrius iterum opem tulit; sed
Attalus, qui ab Eumene fratre moriente regnum & uxorem ipsius
Ariarathis sororem acceperat, cùm regnare inciperet, primùm inge-
nii atque industriæ suæ specimen dedit: nam Orophernem & Deme-
trium Soterem ex Cappadociâ prorsus expellens, Ariarathem in in-
tegrum restituit, & Orophernes cum Demetrio in Syriam se recepit.
AN. 157. Demetrius Archiæ quingenta talenta obtulit, ut Cyprum ipsi prode-
Polyb. p. 170. ret; aliis quoque emolumentis & honoribus illi promissis, si hanc ipsi
operam navaret: quod Archias cùm efficere esset paratus, à Ptole-
mæo Philometore deprehensus, & in judicium adductus, funiculo veli
quod aulæ prætendebatur, se suspendit.
AN. 158. Omissâ regni curâ Demetrius, castellum sibi quatuor turribus mu-
Joseph. l. 13. nitum, τετραπύργιον ἢ βασίλειον, non procul ab Antiochiâ ex-
struxerat, ibique delicias agebat, à conspectu subditorum remotus.
Hoc modo dum fastum luxumque Persicum æmulatur, tantum odium
sibi conciliavit, ut cives Antiochenses Orophernem profugum quàm
Justin. l. 35. Demetrium pluris facerent. Et ipse Orophernes, sed ingrato animo,
initâ cum illis pactione, pellere Demetrium regno, à quo restitutus
fuerat, consilium cepit: quo cognito Demetrius vitæ quidem ejus, ne
Ariarathes metu fraterni belli liberaretur, pepercit; ipsum autem
comprehensum, vinctum Seleuciæ custodiri jubet. Nec Antiochen-
ses judicio territi à defectione destiterunt: itaque subornant quendam
sortis extremæ juvenem, qui Syriæ regnum velut paternum armis re-
peteret; & ne quid contumeliæ deesset, nomen ei Alexandri inditur,
genitusque ab Antiocho Rege dicitur.
AN. 159. Heraclides Byzantius, quem ærario Babylonico Antiochus Epipha-
Polyb. nes quondam præfecerat, & quem Demetrius, cùm regnum suscepis-
Leg. 138. set, ejecerat, Romam fervente adhuc æstate Alexandrum hunc atque
Laodicen Antiochi Epiphanis filiam adduxit; qui dum in urbe com-
moratur, magnæ fortunæ speciem ostentavit, vafrè agens omnia,
& consultò tempus extrahens, ut Senatum ad ea quæ moliebatur
flecteret.
Polyb. Plures legationes eo tempore Romam venerunt. Adfuit & ibidem
L. 140. per id tempus Demetrius Demetrii filius, qui modico paratu ut puer
exceptus, in patriam denuò se contulit.
AN. 160. Heraclides diuturniore morâ in urbe factâ, in curiam unà cum Lao-
dice

dice & Alexandro venit: ibi primò adolefcens pauca eft locutus; poftulavitque ut meminiffent Romani amicitiæ & focietatis, quæ Antiocho parenti fuo cum illis fuerat: deinde ut maximè quidem in recuperando fuo regno fe adjuvarent; fin id minus vellent, redire faltem fibi in Syriam permitterent, neque eos impedirent, qui ad paternum regnum obtinendum opem fibi ferre effent parati. Mox Heraclidem fermonem excipere; & poftquam laudes ac merita Antiochi pluribus expofuiffet, adjectâ criminatione Demetrii, poftremò fubjicere æquum juftumque effe, ut adolefcentulo huic & Laodici, qui funt legitima ftirps Regis Antiochi, reditus in patriam concedatur. Eorum omnium quæ dixit Heraclides, nihil quicquam placebat fanæ mentis hominibus, qui & fictam eam effe commentitiamque fabulam intelligebant, & Heraclidem palam abominabantur: at vulgus Senatorum, quos præftigiis fuis Heraclides fibi conciliaverat, in eam fententiam omnes confenferunt, ut hujufmodi fenatufconfultum fcriberetur: QUÒD ALEXANDER ET LAODICE ANTIOCHI REGIS FF. QUI AMICUS SOCIUSQUE P. R. FUIT IN SENATU VERBA FECERUNT. SENATUS UT IN PATRIS REGNUM VELUT POSTLIMINIO REVERTERENTUR, IIS PERMISIT, ET FERRE IPSIS OPEM DECREVIT. Hâc arreptâ occafione Heraclides militem extemplò conducere: & multos viros illuftres fibi adjungere: dein Ephefum ut venit, bellum quod moliebatur fedulò apparare cœpit. SELEUC. AN. 160.

Alexander pro Antiochi Epiphanis filio habitus, anno centefimo fexagefimo veniens in Syriam, Ptolemaïdem occupavit proditione militum, qui eam tenebant præfidio, morefque Demetrii oderant, ut parùm comis & fuperbi admodùm, & illic regnavit Alexander. Joseph. l. 13.

Demetrius audiens Alexandrum Ptolemaïde receptum regnare cœpiffe, congregavit copias multas, ut procederet obviam ei in prælium: at confideratis incertis belli cafibus, duos filios Demetrium & Antiochum cum magno auri pondere Cnidum ad hofpitem fuum commendavit, ut belli periculis eximerentur, &, fi ita fors tuliffet, paternæ ultioni fervarentur. Mifit quoque ad Jonathanem Demetrius epiftolas ad focietatem & amicitiam conciliandam, Alexandrum prævenire cupiens, deditque ei poteftatem congregandi copias, & arma parandi, & Judæorum obfides, quos Bacchides in Jerofolymitanam arcem incluferat, juffit ei tradi. Jonathan Jerofolyma venit, & lectis coram populo & illis qui in arce erant epiftolis, traditi funt Jonathani obfides, quos fuis parentibus reftituit. Atque ita Jonathan Jerofolyma habitavit, cæpitque ædificare & inftaurare eam. 1. Mach. 10. Liv. Epit. l. 52. Juftin. l. 35. 1. Mach. 10. Joseph. Ant. l. 13.

Alexander, cognito quid Demetrius Jonathani promiferat, nec ignorans viri fortitudinem, & quomodo fe gefferit contra Macedones, & quantùm vexatus fit à Demetrio ejufque duce Bacchide, ex purpuratorum fuorum confilio, per litteras amicitiam & focietatem ejus quæfivit, conftituitque eum fummum Sacerdotem gentis fuæ, utque amicus Regis vocaretur conceffit, fimulque ei purpuram mifit & coronam auream. Jonathan induit fe ftolâ purpureâ feptimo menfe anni cen- 1. Mach. 10. Joseph. Ant. l. 13. c. 5.

Seleuc. centesimi sexagesimi, in festo Tabernaculorum, moxque contraxit AN. 160. copias, & fabricavit magnum armorum numerum.

Dolens Demetrius ad Alexandri partes inclinatos fuisse Judæos, scripsit tamen ad illos, hortatus ut constantes pro se manerent, pollicitusque illis maximam tributorum remissionem, insuper salis pretium, aurum coronarium, & tertiam seminis, dimidiamque partem fructûs arborei solitam, quod in singula capita pendebatur ab his qui Judæam incolunt remittens; tres attributas ei toparchias, Samariam, Galilæam, & Peræam illis concedens in perpetuum; Jerosolymam urbem sacram esse declarans, & jus asyli habere, immunemque esse cum suis finibus à tributis & decimis: arcem etiam ejus permittens Pontifici: Judæos quoque jure belli in captivitate degentes, in pristinam libertatem restituens: præterea in singulos annos ex suis rationibus in sumptus sacrificiorum quindecim millia siclorum argenti pollicitus, & decem millia drachmarum, quæ de templo accipiebant Reges, sacerdotibus atque ministris templi remittens, ad quos ea pertinere fatebatur: & multa alia Judæis obtulit. Sed ut audivit Jonathan & populus tam profusam promissorum copiam, non crediderunt, recordati ejus odium: itaque eo repudiato acquieverunt Alexandro, qui primus de pace cum illis egerat, & cui auxilium ferebant omnibus diebus.

Liv. lib. 48. & 49. Zonar. ex Dione. Andriscus quidam Adramyttenus, ultimæ sortis homo, qui se Persei Regis quondam Macedoniæ filium ingenti asseveratione mentiebatur, sperans aliquod à Demetrio auxilium, quòd ejus soror Perseo nupta fuerat, in Syriam se contulit, mutato nomine, Philippus vocatus est, atque ibi primùm quis esset, palam exprimere ausus. Ob hoc mendacium à Demetrio comprehensus, & Romam missus est.

AN. 161. Joseph. l. 13. c. 5. Justin. l. 35. Alexander, copioso exercitu contracto, adjuvantibus Ptolemæo Ægypti, Attalo Asiæ, & Ariarathe Cappadociæ Regibus, necnon Jonathane & Antiochensibus, aliisque qui in Syriâ à Rege defecerant, cum Demetrio congressus est: nec huic animus in propulsando bello defuit, nam & primo prælio hostem fugavit.

AN. 162. 1. Mach. 10. Joseph. ibid. Justin. ibid. Regibus bellum restituentibus, Alexander totius tandem fermè Orientis viribus succinctus, castra contra Demetrium admovit, collatisque signis sinistrum cornu Demetrii oppositam sibi aciem terga coegit vertere; hærentesque diu fugientium vestigiis etiam castra diripuerunt: at dextrum cornu in quo Rex ipse pugnabat, compulsum est loco cedere; & reliquis effusè fugientibus, Demetrius, fortiter decertans, alios hostium occidit, alios non sustinentes ipsius impetum persequens, abreptus in cœnum quoddam profundum & transitu difficile, ubi prolapso equo, omni effugio destitutus, ab occurrentibus oppressus est. Circumdatum enim coronâ confixerunt jaculis; at ille etiam pedes generosè repugnabat, donec crebris vulneribus confectus succubuit.

Demetrius ætatis anno trigesimoquinto, plurimis Regibus in ipsum conspirantibus, vitam simul cum imperio amisit, relictis duobus filiis Demetrio Nicatore, & Antiocho Evergete, qui & Syriæ regnum ambo postea obtinuerunt. Regnavit ex nummis, Polybio, Eusebio, & Sulpitio Severo, duodecim annos, qui de inchoatis intelli-

telligendi sunt: unde rectè sentit Josephus, qui post exactum regni annum undecimum, illius finem adscripsit. Non audiendi sunt Calvisius, Capellus, Torniellus, & Funccius, qui in anno Seleucidarum centesimo sexagesimo primo ejus mortem conficiunt: sed minimè Gordonus, Samerius, Genebrardus, Temporarius, & ut videtur Mercator, qui novem exactos illi tantùm assignant. SELEUC. AN. 162.

Vir erat magni animi & satis audaciæ, sed parùm comis, superbus admodum, bibax, & maximâ diei parte ebrius, crudelis, denique omnibus invisus. Polyb. Leg. 114. Athen. l. 10. c. 11.



NUMMI DEMETRII SOTERIS.



Ex Musæo nostro.

Caput diadematum : in aversâ cujus parte Jupiter sedens cum victoriâ, & epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΟΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΘΕΟΥ ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ ΣΩΤΗΡΟΣ, id est, Regis Demetrii Dei Philopatoris Servatoris

Hic est Demetrius Seleuci IV. filius, quem anno 151. ab urbe Româ exiisse, & Syriam ascendisse testatur Scriptura. Pubescentem Regem exhibet nummus, qualem tunc annos tres & viginti natum eum fuisse scribit Polybius. ΣΩΤΗΡΟΣ, id est Servatoris, cognomentum à Syris ob ejectum Heraclidem, occisumque ejus fratrem Timarchum Babyloniæ Præfectum, obtinuit; sed aliorum illius titulorum nulla apud authores præterquam in nummis mentio. Vesanam ΘΕΟΥ nomenclationem ad patrui Antiochi imitationem, Philopatoris verò in patris ejusdem cognomine insigniti memoriam, seu ob singularem erga eum pietatem, ambivit. 1. Mach. 7. Leg. 107. App. Syr.

De Jove sedente & victoriam gerente suprà dictum est.

SELEUC.
AN. 162.



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput radiatum & diadematum: in aversâ parte victoria, dextrâ palmam, sinistra verò extensa, cum eâdem epigraphe ut suprà.

Singularis nummus Demetrium radiatâ coronâ, cum iisdem quàm in superiori nummo titulis, ut Antiochum Deum Epiphanem exhiberet. Victoria palmam gerit, quasi insignem retulerit Demetrius recuperando regno paterno, nullâ strage nisi Antiochi Eupatoris & Lysiæ ejus rectoris factâ: Romanorum enim metu ipsi armis abstinuerant, Demetrium à Senatu ad regnum occupandum missum existimantes.



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput diadematum: in cujus avesâ parte stat Mercurius, dextrâ palmæ ramun, sinistrâ caduceum, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΘΕΟΥ ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ ΣΩΤΗΡΟΣ, ut suprà.

Mercurius in signum tranquillæ pacis per victoriam de Antiocho conciliatæ exhibetur, ideo palmam dextrâ, & caduceum sinistrâ, utriusque symbolum gerit. Ipse commercii Deus creditur, cujus reditum florenti regno auguratur hoc in nummo, à quâdam Phœnicis urbe ejus cultum venerante percussus est.

Ex



Ex Musæo nostro.

Caput diadematum : in averſâ parte triremis , cum epigraphe , ΒΑΣΙΛΕΟΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ L. ΔΝΡ. & infrà ΤΥΡΙΩΝ, id eſt, Regis Demetrii. an. 154. a Tyriis.

Ad Demetrium Soterem litteræ numerales ΔΡΝ, annum Seleucidarum 154. deſignantes, nummum haud dubiè percuſſum revocant, quo Judæa à bellis quieverit biennio, ut Scriptura, eique conſentiens Joſephus tradunt. 1. Mach. 6.

De triremi Tyriorum in illorum nummo ſignatâ, ſuprà diximus : notandum tamen Goltzium corruptè ΤΥΡΙΑΝΟΣ legiſſe, quaſi Demetrius ΤΥΡΙΩΝ dictus fuerit.



Ex Thesauro Regio.

Caput diadematum : in aversâ cujus parte Apollo veſtitu muliebri ſedens , dextrâ jaculum , ſiniſtrâ corcucopiæ, cum epigraphe , ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ, & litteris ΗΝΡ.

Anno 158. Seleucidarum nummnm Demetrii Soteris percuſſum deſignant litteræ ΗΝΡ. quo , & ſuperioribus, res Judaïcas Scriptura ſilentio involvit, quòd in iis nihil memorabile contigiſſe videtur.

Frequens eſt ſedentis cum muliebri ornatu Apollinis in Demetrii nummis typus , aut cum ſolâ Demetrii, aut cum adjunctâ ΣΩΤΗΡΟΣ epigraphe , modò nullâ æræ Seleucidarum factâ mentione, modò cum diverſâ illarum numeralium litterarum notâ.

Seleuc. De Apolline vestitu muliebri ornato, jaculumque ferente, suprà dictum est:
An. 162. in hoc verò nummo cum cornucopiæ signatur; Sol idem & unus cum Apolline terras fœcundans, illud rerum omnium abundantiæ symbolum meritò gerit.



Ex Musæo nostro.

Caput diadematum: in cujus aversâ parte triremis, cum literis ΘNP. ΣΙΔΩΝΙΩΝ. id est an. 159. Sidoniorum.

A Sidoniis in honorem Demetrii Soteris percussum hunc nummum litteræ ΘNP anno Seleucidarum 159. demonstrant: nonus erat imperii illius Regis annus, quo Demetrium filium Romam misit, ut ei maturè Populi Romani favorem conciliaret. Sidonii forsan triremi hunc principem illuc deduxerant; aut tantum triremem tanquam urbis suæ symbolum in nummo signarunt. Tanta fuit potentia Sidonis maritima, ut eam centum quondam triremibus instructam memoret Diodorus, imò Sidoniorum inventum triremis tradat Clemens Alexandrinus. Urbs antiquissima, & Phœniciæ primaria, à Phœnicibus Sidon dicta ob maximam piscium copiam: illorum certè linguâ sid vel said piscatorem significat.



Ex Musæo nostro.

Caput diadematum: in aversâ parte cornucopiæ, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ. & litteris ΑΞΡ. id est Regis Demetrii Soteris. an. 161.

Æmulum Demetrio Soteri suscitatum anno 160. Seleucidarum refert Scriptura his verbis: *Et anno centesimo sexagesimo ascendit Alexander Antiochi filius, qui cognominatus est Nobilis, & occupavit Ptolemaidem, & receperunt eum, & regnavit illic.* Litteræ ΑΞΡ. annum ibi exhibent, quo Demetrius copioso exercitu congregato Alexandrum à Regibus Ptolemæo, Attalo, & Ariarathe, Judæisque adjutum, primo prælio profligavit: idcirco Rex in nummo cornucopiæ in regno, etsi à Tyranno vexato, abundantiæ signum percussit; nisi forsan

cor-

cornucopiæ cujusdam urbis symbolum sit, quale frequens in Antiochiæ ἐν Πτολεμαΐδι nummis occurrit. Seleuc. AN. 162.

Cornucopiæ fingunt ab Hercule Acheloi fronte revulsum, & Nymphis datum, quæ illud variis fructibus replevêre: alii Amalthæ capræ Jovis nutricis fuisse putant, unde nectar profluebat. Abundantiæ seu fœcunditatis symbolum est.

Hunc nummum vulgavit Goltzius, quem Demetrio II. Antigoni Gonatæ filio incautè tribuit. In eo cornucopiæ impressum refert Jo. Faber, quòd vino & luxui deditus fuerit Demetrius, sed id minus ad rem excogitatum videtur. Afiæ min. Tab. 88. Comm. in Fulv. Urs. n. 50.



Ex Musæo nostro.

Caput Demetrii Soteris: in aversâ parte Apollo ornatu muliebri, sedens ut suprà, cum eàdem epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ, sed diversis litteris, ΒΞΡ, id est an. 162.

Annus 162. per litteras ΒΞΡ in nummo signatus, Demetrium Soterem regni sui anno duodecimo in secundo prælio, de quo Scriptura tantùm loquitur, interfectum denotat: siquidem ex ipsâ anno 151. ille regnare incœpit, & ex nummo nostro, anno 162. adhuc imperabat. Rectè igitur Polybius, qui Demetrii tempore vivebat, illi duodecim annos, id est incœptos, adsignat, quem sequitur Eusebius, & Sulpitius Severus: pariter confirmatur Josephus, qui ejus mortem post exactum regni annum undecimum refert; sed omnino rejiciendi sunt è recentioribus Torniellus, Bucholcerus, & Funccius, decem tantùm incœptos ei tribuentes: magisque errant Vignerius & Gordonus, qui solùm novem regnasse scriptis mandarunt. Lib. 3. in fin. Euseb. Chr. Lib. 2. Hist. sacr. Joseph. Ant. l. 13. c. 5.

De Apollinis hujus typo suprà dictum est.



SELEUC. AN. 162.

ALEXANDER I.



1. Mach. 10. Strabo l. 16. Joseph. l. 13. Athenæus l. 5. Euseb. Chr. Liv. l. 52. Flor. Justin. l. 35. App. Syr. Sev. Sulp. l. 2. Hist. in Numm.

ALEXANDER I., Demetrio Sotere occiso, Syriæ regnum occupavit, sive ut Antiochi Epiphanis filius, & talis à Senatu habitus; sive nothus & subdititius, sive ignotus aut incertæ stirpis, falsò se in Seleucidarum gentem ingerens; sive adolescens Rhodi educatus, Antiochi se esse filium falsò dictitans; Balas vulgò à Balâ matre, Epiphanis concubinâ, sive Balles cognominatus, certè quidem in nummis Theopator vocatus.

1. Mach. 10. Joseph. Ant. l. 13. c. 7.

Misit Alexander legatos ad Ptolemæum Philometorem, filiam ejus nuptum sibi dari deposcens; æquum esse dicens ut se affinitate dignetur post receptum favente Deo paternum imperium, & Demetrium bello devictum. Ptolemæus verò libenter ejus postulatis admissis, rescripsit & gratulari se ei de recepto regno paterno, & filiam collocaturum in matrimonium; jussitque ut sibi Ptolemaidem occurreret, adducturo illò filiam, & ibi celebraturo ejus nuptias. Subsecutus deinde litteras, ad constitutum locum pervenit cum Cleopatrâ filiâ anno centesimo sexagesimo secundo desinente; & reperto ibi Alexandro eam conjunxit, additâ in dotem auri & argenti summâ, quanta tam potentem Regem decuit.

Ad has nuptias vocatus per litteras ab Alexandro Jonathan Pontifex, & cùm venisset ad Reges, & amplis muneribus utrumque donnas-

donasset, ab utroque in magno honore habitus est. Nam Alexander mutare eum vestem coëgit, & purpuratum assidere pro tribunali; mandavitque suis ducibus, ut in medium urbis eo producto, præconis voce edicerent, nemini licere accusationem contra ipsum instituere, aut ullâ re exhibere ei negotium: quo facto, cùm manifestum esset quanti Rex eum faceret, adversarii, qui ad accusandum venerant, subduxerunt se, veriti ne ipsis potiùs mali aliquid accideret. Tantâ autem benevolentiâ Rex hic Jonathanem prosecutus est, ut ei primum in amicorum numero assignaverit, ducem copiarum in Judæâ cum constituerit, & in palâtio suo Μεϱιδάρχην. Et reversus est Jonathan Jerosolyma cum pace & lætitiâ. SELEUC. AN. 162.

Alexander, ob segnitiem minimè par tanto fastigio, Antiochiæ præfecturam Hieraci ac Diodoto tradidit, & in Phœniciam se contulit, in ganeo lustrisque jacens, inertiâ & socordiâ Prusiæ Regi tum regnanti similis. Ammonius ejus amicus totum regnum administrabat; per quem & amici omnes Regis, & Laodice Regina, & Antigonus Demetrii filius sunt occisi. AN. 163. & 164. Exc. Diod. p. 347. Liv. l. 50.

Demetrius Demetrii Soteris filius natu major, Gnidio hospiti commissus, annos pubertatis egressus, auditâ Alexandri luxuriâ, quem insperatæ opes, & alienæ felicitatis ornamenta, velut captum inter scortorum greges desidem in regiâ tenebant; acceptis anno centesimo sexagesimo quinto multis mercenariis militibus à Lasthene Cretensi, solvens ab eâ insulâ, trajecit in Ciliciam: cujus rei nuntio Alexander vehementer est territus, moxque è Phœnice properavit Antiochiam, ut res ejus ante Demetrii adventum in tuto constitueret: interim Apollonium Davum Cæle-Syriæ ducem præposuit. AN. 165. Justin. l. 35. Joseph. Ant. l. 13. c. 8.

Apollonius se Demetrio adjunxit, & congregato magno exercitu, plerosque ab Alexandro ad Demetrium traduxit; ut Judæos qui in fide datâ persistebant debellaret, ad Jamniam profectus, misit ad Jonathanem Judæorum Pontificem, dicens: Tu solus resistis nobis; mihi opprobrium est quòd te sub imperium non redigam, in campum descende, ut ferro decertemus, uter nostrûm sit virtute præstantior. Quo commotus Jonathan, cum decem millibus profectus est Jerosolymis, cui & frater Simon occurrit in auxilium ipsius, & pervenit Joppen. Extra urbem castrametatus est, exclusus à Joppensibus, qui intus habebant Apollonii præsidium. Jonathane autem oppugnationem instituente, veriti oppidani ne per vim caperetur, portas ei aperiunt. 1. Mach. 10. Joseph. ibid.

Ut audivit Apollonius Joppen à Jonathane occupatam, assumtis ter mille equitibus, & octo peditum millibus, Azotum se contulit, relictis in insidiis mille in quodam torrente equitibus, ut cùm Jonathan insidiarum locum esset prætergressus, illi à tergo exurgerent, & Apollonius conversis copiis instaret à fronte, sicque Judæi utrimque cæderentur. Jonathan, qui hoc maturè sensit, non est territus; sed instructâ in laterculi formam acie, hortatus est suos, ut utrimque à tergo & à fronte adorienti resistendo, in hostem pugnarent. Prætergressus locum, agnovit insidiatores emergere, & castra ejus circumire:

SELEUC. AN. 162. tum jussit suos consistere, & jacula scutis objectis exciperent ab equitibus immissa, dum & telis & viribus ad vesperam usque jaculando fatigati essent. Tum demùm Simon copias suas contra pedites eduxit, quos & contrivit fugavitque: equites quoque per campum sparsi fugerunt Azotum, ingressi Bethdagon fanum sui salutis causâ. Jonathan victos Azotum usque persequens; quâ captâ, eodem impetu & ipsam & circumvicinos vicos incendit, ac ne Dagonis quidem religione deterritus, & fanum ipsius, & quotquot eò confugerant, concremavit: fuitque numerus tam eorum qui exusti sunt, quàm qui ceciderunt in prælio, octo millia hominum.

Devicto Jonathan hoc exercitu, ab Azoto profectus Ascalonem, extra urbem castrametatus est. Prodierunt ad eum Ascalonitæ cum hospitalibus muneribus, quibus acceptis, & collaudatâ eorum voluntate, reversus est Jerosolymam, multam secum ducens prædam, quam abegit devictis hostibus: Quæ ubi Alexandro Regi innotuissent, perrexit honorare Jonathanem amicum & socium, misitque ei fibulam auream, ut cognatis regiis dari mos erat, & Accaronis toparchiam ei possidendam in perpetuum addixit.

AN. 166. Diod. Sic. Leg. 19. Aradii exitium Marathensibus molientes, ad Ammonium qui regno præerat, secretò miserunt, & oblatis ei trecentis talentis ut Marathum ipsis traderet, persuaserunt: Ammonius verò Isidorum ad Marathenses misit, verbo autem aliud præ se ferentem, sed reverà ut urbem ipsis ereptam Aradiis traderet, in mandatis habentem. Marathenses in Regis gratiâ superiores Aradios videntes, militibus regiis in urbem minimè receptis, ex civibus ætate maximè provectis decem clarissimos, cum vetustissimis quæ in urbe habebantur Deorum simulachris, supplices ad Aradum insulam ablegarunt ut Aradiorum in se iram placarent. Aradii, Deorum religione insuper habitâ, supplicationes eorum contempserunt, & legati per audacissimos juvenes in carcere interfecti sunt: interemptorum postea annulis litteras tanquam à legatis ad populum Marathensem miserunt, quibus significabant Aradios propediem auxilio missuros esse: eo consilio, ut Marathenses admissis Aradiorum militibus, rati eos reverà sibi auxilio adesse, ignari interciperentur: sed eorum consiliis per quendam nautam ad Marathenses exploratis, vi apertâ Marathum aggressi, urbem ceperunt, & agrum ejus forte inter se diviserunt.

1. Mach. 11. Ptolemæus Philometor, maximis copiis & terrestribus & navalibus coactis, ex Ægypto in Syriam venit, per speciem juvandi Alexandrum generum, reverà autem ut regnum Syriacum illi eriperet. Cùmque Alexandri jussu eum civitates omnes pacificè excepissent, præsidiarios milites specie auxilii in unaquâque collocavit.

Joseph. l. 13. Ut prope Azotum venit Ptolemæus, ubi obtendebatur querimoniis deplorantium Dagonis templi incendium, accusabantque populariter Jonathanem authorem ejus injuriæ, qui & agros eorum vastasset ferro & flammis, & plurimos civium dedisset exitio, Ptolemæo penè dissimulanter audiente eorum querimonias. Jonathan verò apud Joppen ei occurrit, exceptus & muneribus & omni honoris genere: qui Regem inde ad Eleutherum usque fluvium comitatus, rediit Jerosolymam.

Post-

Postquam Ptolemaïdem pervenit, minimùm absuit quin oppressus sit Ptolemæus, insidiis per Ammonium appetitus; quibus detectis, scripsit Alexandro, deposcens Ammonium ad supplicium, quod meritum aiebat propter structas sibi injurias: qui cùm non dederetur, intellexit ipsum Alexandrum earum fuisse authorem, & cœpit eum magno odio prosequi. SELEUC. AN. 166.

Ptolemæus potitus urbibus maritimis usque ad Seleuciam ad Orontis fluvii ostia positam, cogitans tunc de Alexandro pessimè, ejus affinitatis pœnituit, & abstractâ à marito Cleopatrâ, misit legatos ad Demetrium, de societate & amicitiâ his conditionibus ineundâ, ut datâ ipsi in matrimonium filiâ, in paternum regnum cum restitueret. Demetrius, & amicitiam ejus, & oblatam conjugem, perlibenter amplexus est.

Antiochiam venit Ptolemæus, & Antiocheni propter Ammonium, à quo plurimis affecti fuerant incommodis, Alexandrum Regem, qui ob quorumdam rebellionem in Ciliciam abierat, deseruerunt: Ammonius autem, quærens latebras, cæsus est. Ptolemæus urbem ingressus, à civibus Rex consalutatus est, & ab exercitu coactus duo sibi imponere diademata, alterum Asiæ, Ægypti verò alterum: sed cùm nollet Romanis invidiosus fieri, ad hæc prudens, & Demetrio regnum restituere paternum promiserat, contentum se Ægypti imperio esse dixit.

Unus Ptolemæo reliquus erat labor, ut Antiochensibus persuaderet Demetrium recipere, alienatis ab eo propter injurias à patre ejus acceptas. Advocatâ igitur ipsorum concione, persuasit eis, pollicitus eum majorem rationem habiturum recentis eorum beneficii, quàm odiorum quæ illis cum patre ejus intercesserant. Atque ita Justin l.
Antiocheni veterem patris offensam novis meritis correcturi, se cis 35.
tradiderunt. Milites quoque paterni favore juvenis accensi, prioris Diod. Sic l. 32.
sacramenti religionem novi Regis superbiæ præferentes, signa ad Demetrium detulerunt.

Alexandro, paulò antequam instarent hæc tempora, consulenti oraculum in Ciliciâ, ubi Sarpedonii Apollinis templum esse dicunt, Deum respondisse fertur, ut à loco sibi caveret qui geminæ formæ spectaculum protulisset, tunc demum pro ænigmate habitum, sed cujus paulò pòst veritas est cognita.

Delusus Ptolemæi fraudibus Alexander, postquam illum Antiochiæ Diod.
audiit Regem coronatum, ex Ciliciâ movit: validum secum ducens Leg. 32. Justin l.
exercitum, Syriam invasit, agrum Antiochenum rapinis atque incen- 35.
diis vastavit, cui occurrens Ptolemæus unà cum genero suo Demetrio, 1. Mach.
collatisque signis ad Oenoparam fluvium, non minori impetu fortunæ 10. Joseph.
destructus, quàm elatus Alexander, primo prælio victus est. Ant. l. 13. c. 8.

Alexander cum quingentis suorum in Arabiæ civitatem Abas è Strabo.
pugnâ fugit ad Arabiæ Dynastam, quem Scriptura Zabdielem, Jo- 1. Mach.
sephus Zabelum, Uranius in Stephano Rhabilum, Diodorus Siculus 11. Joseph.
Dioclem nominant: apud quem etiam filium Antiochum, teneræ ad- ibid. Stephan. de
huc ætatis priùs Alexander deposuerat. Verùm qui cum Heliade à Urb. Diod.
parte Alexandri steterant, clancularias de munere suo imperatorio le- Leg. 32.

SELEUC. AN. 166. gationes miserunt, dolosè Alexandrum occisuros promittentes. Quorum petitioni cùm locum dedisset Demetrius, non proditores tantùm, sed interfectores etiam Regis facti sunt. Hanc Arabiæ civitatem Alexandri oraculi responsum spectavisse fertur: in eâ enim Herais quædam, patre Diophanto è Macedoniâ, & matre Arabissâ genita, & Samiadi cuidam nupta, mutato sexu in virum transiit, & sic Stephan. de Urb. geminæ formæ spectaculum exhibuit. Vicus seu oppidulum in quo occisus dicitur Alexander, appellatus est deinde Motho, id est, mors ejus.

Joseph l. 13. Caput Alexandri ille Arabiæ Dynasta recisum misit ad Ptolemæum, qui die quintâ demùm respirans à vulneribus illi in caput inflictis, dum equus elephanti barritu consternatus, eum in superiore prælio excusserat; & ad se reversus, jucundissimo sibi rumore simul & specLiv. Epit. l. 52. taculo capitis & mortis pavit animum & oculos. Die verò postea tertio inter curationem, dum ossa Medici terebrare contendunt, exspiravit.

Alexander anno regni sexto occisus est. Juxta Josephum & Appianum quinque regnavit annos; quod de exactis audiendum: Eusebius dat ei decem annos & septem menses, sed falsò. Reliquit ex Cleopatrâ Philometoris Ægypti Regis filiâ Antiochum puerulum, apud Zabdielem Arabiæ Dynastam depositum, qui etiam Rex Syriæ coronatus est.



NUMMI ALEXANDRI THEOPATORIS.



Apud D. PAJOT Veredariorum Magistrum.

Caput diadematum: in aversâ cujus parte Jupiter sedens cum victoriâ, & epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΘΕΟΠΑΤΟΡΟΣ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. ΒΞΡ. id est, REGIS ALEXANDRI THEOPATORIS BENEFICI. an. 162.

Hic est Alexander, quem Scriptura Antiochi Nobilis filium appellat, & Jose-

Josephus Velem cognominat, seu potiùs Ballem; est enim in Græco Βάλας; Strabo verò Balan: sed id nomen in nummis minimè quærendum, ΘΕΟΠΑΤΩΡ ΕΥΕΡΓΕΤΗΣ inscribitur. Dictus est Theopator, qui patrem habuit Deum, ut suspectum originis amoveret: Evergetes, id est Beneficus, ut populos hoc cognomine sibi devinciret. SELEUC. AN. 166.

Litteræ ΒΞΡ., ut in ultimo Demetrii Soteris nummo signatæ, annum 162. Seleucidarum denotant, in quo Demetrius fuit interfectus, & Alexander regnare cœpit, nec verius mortis illius, nec certius initii regni alterius, argumentum proferri potest. Quantum igitur ad chronologiam, seu veram temporum notitiam, quis non videt conferre annos in nummis signatos, ex quibus Annales veteres supplere licet ac emendare? Viam illam jam ingressi sunt clari quidam scriprores, sed minùs accurato eorumdem usu, ut loquitur Spanhemius, non semel à recto tramite aberrarunt.

Jupiter sedens, in memoriam victoriæ quam de Demetrio retulit Alexander, signatus est cum victoriolâ.



Ex Musæo nostro.

Capita jugata, unum muliebre cum modio in capite, alterum virile cum diademate: in aversâ parte Jupiter ut suprà, cum eâdem epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΘΕΟΠΑΤΟΡΟΣ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ.

Perelegans & singularis hic nummus, qui Cleopatram & Alexandrum capite jugato exhibet, percussus videtur anno 162. exeunte, in quo Scriptura eorum nuptias commemorat his verbis: *Et exivit Ptolemæus de Egypto, & venit Ptolemaidem anno centesimo sexagesimo secundo; & occurrit ei Alexander Rex, & dedit ei Philometor Cleopatram filiam suam, & fecit nuptias ejus in Ptolemaïde.* Alexander regni Syriæ Ptolemæi Philometoris auxilio occupati, & Cleopatræ sibi in uxorem concessæ memor, illam non modo in nobiliori nummi loco collocat, sed velo & modio divinitatis symbolis ornatam, tanquam Deam depingendam curavit.

Seleuc. AN. 166.



Ex Musæo nostro.

Caput diadematum : in cujus aversâ parte ſedet Apollo nudus, dextrâ telum gerens, cum epigraphe eâdem quæ in ſuperiori nummo, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΘΕΟΠΑΤΟΡΟΣ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ, & litteris ΓΞΡ. id eſt an. 163.

Iterum prodit Alexander iiſdem Theopatoris (malè apud Goltzium Eupatoris) & Evergetis cognominibus ornatus, ſed litteris ΓΞΡ annum 163. Seleucidarum deſignantibus. Secundus Alexandri regni numerandus eſt, de cujus geſtis hoc anno ſilet Scriptura. Theſaur.
De Apollinis ſedentis cum attribuits typo ſæpius dictum eſt.



Ex Musæo nostro.

Caput diadematum : in aversâ parte aquila cum palmæ ramo, roſtro navis inſiſtens, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. & litteris ut in ſuperiori nummo ΓΞΡ. ſed monogrammate Tyri urbis ſuperiori clavæ parti inſerto.

Licet nummus Alexandri Regis nomen tantùm exhibeat, ad Alexandrum Theopatorem litteræ numerales annum 163 Seleucidarum notantes, procul dubio revocant. Aquila in gratiam Cleopatræ uxoris ſignata videtur, ipſa Ægypti Regum ſymbolum eſt, in memoriam forſan nutricis, ut aiunt, Ptolemæi Lagi. Alexander aquilam palmæ ramo ornavit, ut victoriam Ptolemæi auxilio retuliſſe confirmaret : palmæ enim ramus victoribus erat præmium.

Tres

Tres litteræ TYR in monogrammate fociatæ ac contractæ, compendium fcribendi apud veteres ufitatum fuiffe demonftrant, maximè in nummis, quales teftes nobis funt frequentes Tyriorum nummi, in quibus clava & prora navis, utraque ejus urbis fymbolum, fignatur: clava quidem in memoriam Herculis Tyrii, qui incolis Tyro urbi condendæ author fuit, & ob plurima alia quæ illos edocuit, templo in urbe fuperbiffimo ab iis donatus, & fummo cultu habitus eft. Roftrum navis Tyrios triremium primos inventores, aut quos ipfe Hercules ipfos navigare docuit, defignat. Sell. oc. AN. 166. Nonn. l. 4.



Ex Musæo nostro.

Caput Alexandri Theopatoris diadematum: in averfâ parte Pallas galeata ftat, dextrâ victoriam porrigens, finiftrâ innixa clypeo, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ.

Pallas ab antiquis ut bellorum præfes colebatur: & ut eam peculiariter veneratus eft Alexander M. qui plurima illi templa, unum præcipuè in Ilio urbe, quod nulli magnificentiâ concederet, exftruxit; fic Theopator res ejus geftas ut nomen imitari gloriabatur. Minervam hîc, cujus ope victoriam de Demetrio retulerat, ut tutelarem Deam in nummo percuffi curavit. Diod. l. 18.



Ex Musæo nostro.

Caput Alexandri radiatum, & diademate cinctum: in cujus averfâ parte Jupiter fedens cum victoriolâ, & epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ.

Jupiter in Alexandri Magni nummis frequens occurrit. Theopator autem illius nominis æmulus, eadem fymbola gerere ambivit: vel forfan Jupiter in illâ urbe, in quâ cufus fuit nummus, colebatur, & pro tutelari numine fignabatur.

Seleuc.
AN. 166.




Ex Musæo nostro.

Caput Alexandri exuviis leonis amictum: in aversâ cujus parte Apollo innixus arcu, dextrâ telum gerit, ut in superioribus nummis, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ.

Theopator in hoc nummo ad exemplum Alexandri Magni, quasi tanti herois successor, leoninâ pelle amictus est. Macedoniæ Reges genus ab Hercule derivantes, pro redimiculo & coronâ leonis exuviis caput angebant; atque hoc gestamen coronam & ornatum esse censentes, eo magis quàm pretiosis lapillis & unionibus decorari putabant. (Const. Porphyr. lib. de Them.)

Goltzius hunc nummum Alexandro Magno tribuit, ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ nomine & exuviis leoninis deceptus. Nonnius ejus Commentator, Apollinem interpretatur Venerem, cui pomum pro telo substituit, ut eam esse confirmaret. (Asiæ min. Tab. 33. p. 179.)



Ex Musæo nostro.

Caput Alexandri galeatum, & diademate redimitum: in aversâ parte Victoria cum coronâ & palmâ, & epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ.

Insignis est ille nummus ob cassidem quâ armatus exhibetur Alexander, in nullis Seleucidarum & aliorum Regum nummis observatus. Galeâ insignis tanquam Mars alter prodit, qualis in pugnâ contra Demetrium Soterem visus est, terrorem hostibus incutiens. Victoria tanquam æterni monumenti symbolum in aversâ parte signatur.

Litteram initialem A opinor Antiochiam, in quâ cusus est nummus, denotare.

Ex



Ex Musæo nostro.

Caput Alexandri diadematum: in aversâ parte Jupiter ut suprà dextrâ extensâ coronam, pro pedibus noctua prægrandis, & epigraphe, ΚΥΡΡΗΣΤΩΝ. & litteris Δ Ξ Ρ. id est 164.

Ad Alexandrum Theopatorem nummum pertinere, licèt in eo omnino desit ipsius nomen, & effigies & litteræ numerales haud dubiè arguunt: illæ enim annum Seleucidarum 164. denotant, qui tertius erat Alexandri imperii. Nummus à Cyhrrestibus signatus est: Cyhrrus Syriæ urbs est juxta Marsiam fluvium in Euphratem ad Samosata excurrentem sita. Plin. lib. 5. c. 23.

De Jove sæpe diximus: huic non aquila, sed noctua comes Minervæ illius filiæ sacra, sub cujus symbolo eandem apud Ægyptios depictam tradidit alicubi Philostratus. Apud Chyrrestes verò summus erat Minervæ cultus, cui templum in ipsorum urbe exstructum narrat Strabo, unde ipsa Minerva Chyrrestis appellabatur. lib. 11. de Vit. Apoll. c. 9.



Ex Musæo nostro.

Caput Alexandri Theopatoris diadematum: in aversâ parte Jupiter sedens, dextrâ victoriam, sinistrâ hastam puram, cum epigraphe, ΑΠΑΜΕΩΝΤΩΝ ΠΡΟΣ ΤΩ ΑΞΙΩ, id est Apamensium qui sunt ad Axium.

Effigies Alexandri nummum ab Apamensibus in illius honorem signatum, ad ipsum revocat. Apamea Syriæ ad Orontem sita est; nummus eam ad Axium collocat. Axius ingens est Macedoniæ fluvius, sed Orontes diversis temporibus diversa nomina sortitus est, Typhon olim Straboni, Ophites Pomponio Læto, Ladon Philostrato, Orontes ab eo qui in eo pontem fecerat: à Seleuco Nica-

Seleuc. An. 166. tore Axius videtur nuncupatus; ille enim Syriæ regni fundator plurima Græca & Macedonica nomina Syriæ urbibus, teste Appiano, imposuit; quidni & ipsis fluviis?



Ex Musæo nostro.

Caput Alexandri Theopatoris diademate ornatum: in aversâ parte Neptunus sedet, dextrâ delphinum, sinistrâ tridentem gerit, cum epigraphe, ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΘΑΛΑΣΣΑΝ. id est, Laodicensium qui sunt ad mare.

Duæ sunt in Syriâ Laodiceæ nominis urbes, una in orâ maris Phœnicis, ad radices montis Cassii; altera in Cæle-Syriâ, ad montem Libanum sita: utraque Seleuci Nicatoris opus. Ad priorem pertinet nummus, de quâ Dionysius Afer: *de situ Orb.*

Laodicen pariter positam prope littus amœnum.

Altera verò in nummis quos vidi, ΛΑΟΔΙΚ. ΠΡΟΣ ΛΙΒΑΝ. inscribitur.

Num. ant. Carac. Laodicenses Neptunum, cui in Orbis divisione maris regnum obtigit, in nummo ut præcipuum numen, quippe ad mare positi, venerantes, percusserunt. Neptuno delphinus tribuitur ad maris imperii signum; tridens verò illi à Cyclopibus, ut singulare illius regni sceptrum, datus est.



Ex Musæo nostro.

Nummus tetradragmus Alexandri cum diademate: in cujus aversâ parte aquila cum palmæ ramo insistens rostro navis, hinc clava cum monogrammate Tyri, illinc litteræ numerales ΓΞΡ. & epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ.

Contra Alexandrum Theopatorem anno Græcorum 165. Demetrium Demetrii Soteris filium è Cretâ ad recuperandum regnum paternum solvisse narrat primus

primus Machabæorum liber. Cùm autem Alexander, qui tum in Phœniciâ morabatur, Ciliciam Demetrium appulisse audiit, Antiochiam reversus est, ut res constitueret, & copias contra ipsum compararet. Longa inter ipsos pugnæ mora fuit, cujus testis est nummus in Alexandri honorem anno Seleucid. 166. percussus, Scripturamque illustrans, quæ Demetrium anno tantum 167. regnasse affirmat. SELEUC. AN. 166. 1. Mach. 11.

Similem nummum anno 163. à Tyriis cum eodem typo percussum suprà vulgavimus: ipsi iterum hoc Seleucidarum anno 166. in fidelitatis suæ monumentum Alexandro nummos suos percutiunt. Cilicia jam rebellaverat, & Cæle-Syria Demetrio favebat per Apollonium ejus Præfectum, qui se ipsi adjunxerat. Phænicia autem pro Alexandro stetit, usque dum Ptolemæus Alexandri socer, per speciem juvandi generum, eam occupavit pro Demetrio, cujus amicitiam & societatem meditabatur.



DEMETRIUS II.



DEMETRIUS II., Demetrii Soteris filius, paternum Syriæ regnum ab Alexandro usurpatum, anno centesimo sexagesimo septimo, illo occiso, recuperat: & quia vicit alienum à sua familiâ, NICATOREM Syri cognominarunt, secundum post Seleucum, à quo descenderunt Reges Syriæ.

1. Mach. 11. App. Syr.

Cùm autem pravo esset ingenio, malè mulctabat Ptolemæi defuncti milites, oblitus & auxilii & affinitatis quæ per Cleopatræ nuptias recèns intercesserat, quos Ptolemæus in arcibus & urbibus præsidio reliquerat, ab iis qui erant in iisdem munitionibus, illo procurante, occisi sunt: alii perosi hominis ingratitudinem, receperunt se Alexandriam, elephantis tamen in ejus potestate relictis.

Joseph. Ant. l. 13. c. 8. 1. Mach. 11.

Joseph. l. 13. Jonathan, coactis è totâ Judæâ copiis, aggressus est oppugnare arcem Jerosolymitanam & Macedonicum præsidium cum desertoribus religionis, qui eò confugerant. Hi primùm contemnebant conatus Jonathanis, quòd satis fiderent loci munitionibus: tandem nocte aliquot scelesti elapsi venerunt ad Demetrium, arcis expugnationem renuntiantes: qui iratus movit exercitum contra Jonathanem; & cùm Ptolemaïdem pervenisset, accivit eum per litteras. Ille non intermissâ oppugnatione, cum senioribus populi & sacerdotibus aurum, argentum, vestem, aliaque xenia deferens, venit ad Demetrium,

&

& hàc munificentiâ mitigavit Regis animum, tractatusque honorificè, SELEUC.
confirmatus est in pontificatu, quemadmodum à superioribus Regibus: AN. 167.
accusatoribus autem ejus fidem non habuit; sed etiam rogatus ut pro Judæâ universâ, tribusque ei toparchiis apud Josephum Samariâ, Joppe, & Galilæâ, trecenta tantùm talenta penderentur, concessit per diploma. Sed melius 1. Machab. scripsit Lastheni parenti suo, se tres civitates Apherimam, Lyddam, Ramatham cum suis finibus, Samaritis ademptas, Judæ attribuisse, & iis remisisse quidquid solebant Reges accipere à sacrificantibus in Jerosolymis, aliaque attributa pro fructu terræ atque arborum; præterea salinarum vectigal, & aurum coronarium.

Demetrius, videns ditionem suam pacatam, neque quicquam sibi obsistere, retentis peregrinis militibus, quos ex Cretâ & aliis insulis coëgerat, domesticos ac veteranos omnes dimisit; ob quod hostes illi facti sunt omnes milites patris ipsius, ut qui soliti essent ab aliis ante eum Regibus etiam pacis tempore stipendia accipere, ut alacriores fierent ad subeunda, quoties opus esset, pericula.

Ut suorum animos à se alienatos, & apud Antiochenses odium sibi concitari animadvertit quidam ex Alexandri ducibus Diodotus, qui postea Rex factus, Tryphonis nomen sibi assumpsit, res novas movere ausus est. Hic igitur ad Elmachuelem Arabem profectus, qu educabat Antiochum Alexandri filium, cui cùm indicasset quàm infensi essent Demetrio milites, suadebat ut is receptus potiretur paterno imperio: cùmque Arabs difficilem se illi hìc præberet, mansit ille dies multos. Joseph. Ant. l. 13. c. 9. 1. Mach. 11.

Cùm Demetrius ab omni se immunem periculo esse crederet, contempto superiorum Regum instituto, qui gratiam vulgi comitate suâ emereri studuerant, ipse in dies mandatorum gravitate intolerabilior, tandem ad tyrannicam crudelitatem ac multiplicia scelera prorupit. Cujus rei causa non solùm pravo illius ingenio, sed etiam illius amico, qui universo præpositus erat imperio, tribuenda est. Hic enim sceleratus ac temerarius cùm esset, juvenem assentationibus corruptum, ad nefaria crimina injiciebat: omnes enim qui in bello adversati ejus partibus fuerant, cunctos inusitatis suppliciis è medio sustulit. Exc. Diod. p. 346.

Jonathan, cupiens tollere Jerosolymitanæ arcis præsidium, & impios transfugas, reliquosque qui arces tenebant in eâ regione, legatione cum muneribus missâ ad Demetrium, rogabat eum, ut præsidia de Judææ castellis ejiceret: qui non hac tantùm in re, sed majora etiam gratificaturum se ei pollicitus est, quàm primùm levatus esset præsenti bello, per cujus negotia non liceret nunc id facere: postulabat etiam ut pro jure amicitiæ mitteret auxilia, quandoquidem sui milites ad hostem deficerent: moxque tria millia delectorum militum Jonathan ad Regem misit. Joseph. Ant. l. 13. c. 9.

Antiocheni illo tempore exosum habentes Demetrium, tam propter ipsius quàm paternas injurias, cùm ipsi solitis eum dicteriis incessérent, mercenarios milites adversus eos Demetrius comparaverat, armaque eis adimi jussit: quæ Antiocheni tradere recusarunt, ac vim vi repellere conati sunt. Videntes autem auxilium ei venisse à Jonathane, & Diod. in Valef. Exc. p. 346. 1. Mach. 11. Joseph. ibid.

 con-

SELEUC. AN. 168. considerantes brevi augendas ejus vires, nisi maturè prævenirent, correptis armis, & concursu in mediam civitatem facto, vias regiæ occuparunt, illam velut expugnaturi, & intercepto exitu conabantur Regem in potestatem suam redigere.

Joseph. Antiq. l. 13. c. 9. Demetrius cùm vidit populum armatum hostiliter se impetere, assumpto mercenario milite, & Judæis auxiliaribus, conflixit cum Antiochensibus, &, superatus numero, compulsus est cedere. Tum Judæi receperunt se in tectum regiæ, & è superiore loco missilibus feriebant populum: quod cùm tutò facerent propter loci eminentiam, facilè repulerunt eum à propinquis ædibus; & mox injecto in eos igne, incendium totam urbem pervagatum est propter densitatem ædificiorum, quæ tota ferè constabant è materiâ ligneâ: Antiocheni verò, non valentes ædibus flagrantibus succurrere, in fugam se verterunt. Judæi de uno tecto in aliud transilientes, miris modis eos insectabantur.

Rex animadvertens Antiochenos occupatos in eripiendis liberis & uxoribus, & ideo intermisisse prælium, per diversos angiportus eos aggressus, multis occisis, reliquos coëgit abjectis armis deditionem facere. Et ad centum millia eo die occisi sunt Antiocheni. Concessâ reliquis audaciæ veniâ, seditionem compescuit, donatosque Judæos prædâ, quam ex direptione paraverant, & collaudatos quasi authores ejus victoriæ, remisit ad Jonathanem, non sine præclaro virtutis eorum testimonio.

Diod. in Vales. Exc. p. 346. Maximâ parte urbis Antiochenæ incendio consumptâ, multisque qui hujus seditionis principes arcessebantur, capite damnatis, bonisque eorum in fiscum regium redactis, permulti ex civibus odio ac metu Demetrii è patriâ profugi, per omnem Syriam passim vagabantur, opportunum vindictæ locum & tempus observantes. Interim Demetrius, cunctis invisus, cædibus atque exiliis & bonorum publicationibus nihilominus sæviebat, patris sui crudelitatem longo intervallo superans.

1. Mach. 11. Joseph. l. 13. Demetrius etiam ingratus Judæis apparuit, & mentitus quæ omnia Jonathani dixit, abalienavit se ab eo, vexans eum valdè; bellum quoque minatus, nisi redderet tributa omnia, quæ Judæorum gens solita erat prioribus Syriæ Regibus pendere: fecissetque etiam, ni impeditus esset à Tryphone, coactus apparatum contra Jonathanem factum in illum potiùs vertere.

Strabo l. 12. 1. Mach. 11. Joseph. Ant. l. 13. c. 9. Diodotus, qui & Tryphon, tandem ex Arabiâ cum Antiocho puerulo reversus, in Apamenam Syriæ regionem, unde natus erat ipse Diodotus, Secoanis scilicet, castello Apamensium, Apamenis consentientibus, regnum Antiocho, diademate ejus capiti imposito, asserebat: ad quem confluentibus copiis omnibus quas Demetrius exauctoraverat, junctisque Antiochenis, tum aliis vicinis urbibus, aperto bello Demetrium adortus est. Collatis cum eo signis, Antiochus factus est superior: tum elephantos, tum Antiochiam urbem illi ademit, compulso Seleuciam fugere Demetrio.

NUMMI

NUMMI DEMETRII NICATORIS.



EX MUSÆO HARLÆO.

Caput diadematum: in averſâ parte aquila roſtro navis inſiſtens, cum Tyri monogrammate, & epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ, & litteris ΞΞΡ. id eſt REGIS DEMETRII. an. 167.

Quantùm Scripturæ veritas hiſce indubitatæ fidei monumentis eluceſcat, argenteus Demetrii Nicatoris nummus arguit: ſiquidem in primo Machabæorum libro ſcriptum eſt: *Et regnavit Demetrius anno centeſimo ſexageſimo ſeptimo.* Quod litteræ numerales ΞΞΡ. annum 167. Seleucidanum deſignantes, indicant.

Monogramma Tyriorum clavæ inſertum, ab ipſis nummum percuſſum demonſtrat. Tyrii aquilam cum palmæ ramo in honorem Alexandri Theopatoris & Cleopatræ ejus uxoris, utpote Ægypti inſigne, ſuprà dedicarunt: eandem in gratiam Demetrii & Cleopatræ ab Alexandro avulſæ, & in uxorem ipſi Philometori collocatæ, gratulantes obſignant.



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput diadematum: in averſâ parte anchora, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΩΥ ΘΕΟΥ ΦΙΛΑΔΕΛ-

 ΦΟΥ

SELEUC. AN. 168.

ΦΟΥ ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ, id est, REGIS DEMETRII DEI PHILADELPHI NICATORIS.

Singularis hic nummulus cuncta Demetrii II. cognomina continet: ut autem ille regno avito potitus est, parentis exemplo se DEUM appellavit. Vesana hæc Dei appellatio in Syriæ Regibus ita familiaris extitit, ut tandem cognominis locum obtineret. Demetrius PHILADELPHI cognomen assumpsit, ob singularem erga fratrem Antiochum pietatem, qui ad regnum recuperandum omni curâ forsan intenderat: nec amor ille Demetrio vanus fuit, post longum enim apud Parthos captivitatis tempus, pii fratris armis tandem liberatus est. Demetrium, NICATOREM, Syri cognominarunt, secundum post Seleucum à quo descenderunt Reges Syriæ, quia vicit alienum à familiâ, ait Appianus, qui Alexandrum se in Seleucidarum gentem falsò ingessisse putabat: reverà etsi filius Antiochi Dei Epiphanis, à regno alienus erat, nam ad stirpem Seleuci Philopatoris hæreditas spectabat. *Syriac.*

Anchora in nummo percussa, ad originis Seleucidarum argumentum pertinet, ex quâ Demetrius, recto per primogenitos ducto stemmate, genus trahere gloriabatur. Figura anchoræ, teste Justino, in femore Seleuci Nicatoris nata est, quæ etiam in posteris mansit. Ille autem ait: *Filii nepotesque Seleuci Anchoram in femore veluti notam generis naturalem habuêre.* *lib. 15. c. 4.*



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput diadematum: in aversâ parte triremis, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ L. ΗΞΡ. ΤΥΡΙΩΝ. id est, REGIS DEMETRII. an. 168. TYRIORUM.

Tyrii anno 165. Demetrium, ut opinor, è Ciliciâ venientem, paterni nominis memores receperant, qui ex eorum urbe Apollonium patris olim ducem, & milites sollicitavit, & tandem avitum regnum recuperavit. Cùm deinde Antiochenses rebellassent, Apameni & alii à Demetrio defecissent, Tyrii, signato hoc Seleucidarum 168. anno in ejus honorem nummo, se in fide perseverare ostenderunt.

De triremi eorum urbis symbolo dictum est.

Ex

Seleuc. AN. 168.



Ex Musæo nostro.

Caput diademate ornatum: in averſâ parte figura muliebris dextram extendit, ſiniſtrâ baculum in crucem gerit, cum epigraphe, ΒΑ. ΔΗ. id eſt, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ.

Ad Demetrium Regem pertinere hunc nummum demonſtrant litteræ ΒΑ. ΔΗ. id eſt, Regis Demetrii, & ad Nicatorem illius effigies revocat. Figura muliebris ſtolata in averſâ parte ſignata, Dea Sidoniorum eſt Aſtarte ſeu Venus, de quâ meminit Cicero. Quatuor ſunt, inquit, Veneres, ex iis quarta, Syria eſt Tyrio concepta, quam Adonidi nupſiſſe proditum eſt. Huic Salomon, uni concubinarum ſuarum obſequi volens, altaria condidit. A Sidoniis percuſſus videtur nummus, ut ex ſequenti demonſtrabitur. de Nat. Deor. 1. Reg. 15.



Ex Musæo nostro.

Caput Demetrii diadematum: in cujus averſâ parte figura ſtolata ut in anteriori nummo, ſupra triremem, cum characteribus Syriis aut Phœniciis.

Aſtarte iterum prodit in nummo, ſupra triremem, Sidoniorum urbis ſymbolum, ad ejuſdem Demetrii honorem ſignato. Ipſa Sidoniorum Dea, Haſtaroth eorum linguâ appellatur: an verò id nomen characteres incogniti exprimant, penitus ignoratur. Aſtartem ferunt paſtorum Deam ab ovibus dictam; alii volunt à verbo ἀστήρ. quòd ſtellam ſeu Venerem indicat: unde Ambroſius Relationi Symmachi reſpondens: Quam, ait, Cæleſtem Aphri, Mitram Perſæ, plerique Venerem colunt, pro diverſitate nominis, non numinis varietate. Epiſt. 31.

Seleuc. AN. 168.

ANTIOCHUS VI.



Joseph. Ant. l. 13. c. 12. pag. 235. 1. Mach. 11. Joseph. l. 13. c. 9.

ANTIOCHUS VI., Alexandri Theopatoris ex Cleopatrâ Philometoris filius, cognominatus DEUS, malè à Calvisio Enthæus vocatus pro Ant. Deus, fugato Demetrio Nicatore, Antiochiæ Syriæ metropolis receptus est, & Diodotus tutor à populo substitutus est. Tum missis litteris & legatis ad Jonathanem, pontificatum ei Rex novus confirmavit, concessis quatuor toparchiis socium & amicum vocavit; misit & aurea vasa, & pocula, & potestatem gestandi vestem purpuream, & auream fibulam habendi. Simonem etiam ejus fratrem militibus præposuit tractu Tyri usque ad fines Ægypti. Jonathan verò lætus tot collatis in se per Antiochum beneficiis atque honoribus, & ipse suos legatos ad eum simul & Diodotum misit, amicum se & socium professus, gesturumque unà bellum contra communem hostem Demetrium: multa de ejus ingratitudine questus, quòd pro beneficio injuriam sibi reposuisset.

Strabo. l. 14. Diodotus, à Regibus abalienatâ Syriâ, Coracesio castello Ciliciæ belli arce usus est, & Cilicibus ut societates piraticas inirent, author fuit.

Diod. Sic. in Excerpt. Valef. p. 353. Demetrius, Laodiceæ moratus, conviviis celebrandis atque hujusce-modi luxu segne otium terebat; ac nihilominus multos interim injuriâ afficiebat, calamitatibus suis nullatenus prudentior factus.

Cùm

SELEUC. AN. 168. — 1. Mach. 11. Joseph. l. 13.

Cùm Jonathani permissum esset ab Antiocho, collectis etiam è Syriâ & Phœnice militibus, bellum contra Demetrii duces gerere, confestim profectus est ad urbes trans Jordanem sitas, à quibus honorificè exceptus, congregatisque ad eum omnibus Syriæ copiis auxiliaribus, Ascalonem profectus est, ubi ab oppidanis cum muneribus ei occursum est; quos & ipsos hortatus est, quemadmodum alias Cæle-Syriæ urbes, ut à Demetrio deficerent ad Antiochum, & pro acceptis injuriis pœnas ab eo repeterent.

Ad Gazæos inde pervenit, ut hos quoque conciliaret Antiocho. Hos præter spem invenit portas sibi clausisse, nolentes deserto Demetrio parti adversæ se conjungere: quare Jonathan irritatus est, ut & agros vastaret, & urbem conaretur vi capere; relictâque ad ejus obsidionem parte exercitûs, cum reliquâ manu in vicos sæviebat incendiis. Tum Gazæi videntes præsentem calamitatem ab hoste, nec ullum interim auxilium à Demetrio, & spem quoque incertam propter locorum distantiam, satiùs existimaverunt illo omisso, suæ necessitati consulere: &, missis ad Jonathanem nuntiis, recepti sunt in societatem & amicitiam. Jonathan verò, obsidibus Jerosolymam missis, totam regionem peragravit, Damascum usque.

Demetrii exercitus accessit ad urbem Cades Tyriorum agro propinquam & Galilææ regioni: cùm vellent autem illius principes Jonathanem abstrahere à Syriâ, laturum opem Galilæis suæ ditionis hominibus, occurrit eò properè, Simone fratre ad Judææ præsidium relicto. Is, collectis quotquot poterat ejus regionis militibus, Bethsuram acriter multis diebus oppugnavit, & ad deditionem tandem compulit; ejectoque inde Demetrii præsidio, suum ibidem collocavit.

Interim Jonathan in Galilæâ, motis à stagno Gennesara castris quæ primùm posuerat, in campum Azor progressus est. Demetriani verò, qui ante unum diem adventum ejus præsenserant, collocatis priùs in monte insidiis, ipsi in campo ei se opposuerunt: quos conspicatus Jonathan paratos ad prælium, & ipse suos pro tempore ad certamen instruit: sed cùm insidiatores à tergo se Judæis ostendissent, veriti ne in medio intercepti trucidarentur, in fugam se dederunt, ita ut pene omnes Jonathanem in periculo desererent, præter Mathathiam filium Absalomi, & filium Calphi, præcipuos copiarum militarium duces, cum quinquaginta virorum fortium manu, qui à desperatione sumptâ audaciâ, tanto impetu adversam hostium frontem impulerunt, ut territi ceu furentibus cederent. Tum verò illi, qui Jonathanem deseruerant, videntes fluctuantem & inclinantem hostium aciem, reversi in prælium, jam in apertam fugam versos persequebantur, donec ad Cades ventum est, ubi intra castra compulsi sunt. Jonathan autem egregiâ victoriâ potitus, (ceciderunt enim ex alienigenis eo die ad ter mille) reversus est Jerosolymam.

AN. 169. — 1. Mach. 12. Joseph. l. 13.

Porrò Demetrii duces, volentes de acceptâ clade abolere ignominiam, cum exercitu multò majore quàm anteà reversi sunt ad bellum Jonathani inferendum; qui, cùm hæc accepisset, movit Jerosolymâ, obviamque illis processit in regionem Amathitin in extremis Chananææ finibus. Cùmque ad quinquaginta stadia prope hostem castra posuis-

SELEUC. AN. 169. set, misit qui res hostium & munitiones specularentur. Qui cùm quosdam captivos adduxissent, indicantes quòd ex improviso hostis vellet eos aggredi, præcepit Jonathan suis, ut essent in armis parati ad pugnam per totam noctem. Demetrii verò duces, ut senserunt Jonathanem præmonitum, decreverunt abire, & per castra sua crebris ignibus excitatis, qui Judæos fallerent, noctu clam profugerunt; quos manè frustra insecutus est Jonathan, cùm jam Eleutherum fluvium illi trajecissent.

Jonathan flexo in Arabiam itinere, & Nabathæis vastatis, abactâque prædâ, & captivis abductis, Damascum venit, & illic omnia vendidit: peragravit deinde totam regionem, Demetrianos insequens & persequens. Nec quievit interea frater ejus Simon, sed expeditione susceptâ per totam Judæam & Palæstinam usque Ascalonem, opportuna loca firmavit præsidiis; atque ita communitâ regione, Joppen contendit, eique occupatæ validum imposuit præsidium, quod intellexerat Joppenses velle Demetrio dedere oppidum. His igitur dispositis, Jonathan & Simon reversi sunt Jerosolymam.

AN. 170. Joseph. l. 13. Cùm cogitaret Diodotus occupare pupilli sui Antiochi regnum, & timeret ne Jonathan pro defensione ejus pugnaret, decrevit illum comprehendere & occidere: quamobrem venit ad Bethsan, quæ à Græcis nominatur Scythopolis. Eò cum quadraginta millibus virorum electorum obviam illi processit Jonathan: timuit Diodotus, & nihil ausus, excepit illum honorificè, & commendavit eum omnibus amicis suis, deditque ei munera, jussis suis ducibus ut imperata Jonathanis facerent, quò magis fidem benevolentiæ fictæ astrueret. Suasit deinde Jonathani, ut dimisso exercitu, cum paucis delectis viris comitaretur eum Ptolemaïdem, & acciperet in tutelam suam civitatem arcesque finitimas, dicens se in hoc venisse, ut has ei traderet.

Jonathan, nimis credulus, mille tantùm milites secum retinuit, duobus millibus in Galilæam, cæteris verò omnibus in Judæam dimissis. Ut autem intravit Ptolemaïdem, Diodoti jussu clausis portis comprehensus est Jonathan, militibus ad unum contrucidatis: moxque misit Diodotus exercitum & equites in Galilæam, qui illa duo millia paulò antè missa perderent. Sed quia rumor de Jonathane capto adventum eorum prævenerat, arreptis armis paraverunt se ad prælium: at Diodoti milites, rati sibi cum desperatis rem fore, reversi sunt ad suos.

1. Mach. 16. Joseph. l. 13. Comparato igitur exercitu Diodotus in animo habebat Judæam invadere: Simon autem uno ore dux electus loco Judæ & Jonathanis fratrum suorum, collectis mox omnibus quotquot ex suis ad militiam essent idonei, aggressus est urbis mœnia perficere, & munivit eam circumcirca: deinde misso Jonathâ Absolomi filio cum exercitu Joppen, qui ejecit eos qui erant in urbe, veritus ne eam Diodoto ipsi traderent, & mansit ipse in eâ, eandemque muniens, ex eo portu

Strabo l. 16. aditum fecit ad insulas maris, quo Judæi navali postea usi sunt.

1. Mach. 13. Joseph. l. 13. Diodotus movit Ptolemaïde cum exercitu magno, Judæam invasurus, ducens secum vinctum Jonathanem. Ei Simon occurrit cum suis copiis juxta oppidum Adida, è regione campi. Diodotus autem videns

dens Judæos ad prælium paratos, & Simonem exercitûs ducem electum, misit ad eum legatos, mandavitque pro argento quod debebat Jonathan in ratione Regis detineri, & si vellet dimitti fratrem, centum viginti talenta persolveret, & duos Jonathanis filios ad se obsides futuros, quòd ille dimissus, non alienaturus sit Judæam à Regis imperio. Sed licèt dolum nosceret Simon, jussit tamen dari & pecuniam & obsides, ne inimicitiam populi incurreret, dum videretur fuisse fratri causa interitûs. Diodotus autem non servavit fidem, nec dimisit Jonathanem. SELEUC. AN. 170.

Postea cùm venisset Diodotus ad invadendam regionem, cupiens per Idumæam ascendre Jerosolymam, pervenit usque Dora Idumææ oppidum. At Simon eum perpetuò consectabatur, castra castris illius opponens. Interim, qui in arce Jerosolymitanâ erant miserunt ad Diodotum, qui urgerent eum ut celeriter ad ipsos veniret per desertum, mitteretque ipsis commeatus: sed cùm jussisset Diodotus paratum esse equitatum, propter nivem quæ multa eâ nocte ceciderat, eò venire non potuit: irrito facto ejus proposito, movit inde castra, & in Cæle-Syriam rediit properè. Itaque mutato itinere pervenit in Galaatidem; cùmque appropinquasset Bascamæ, occidit Jonathanem & filios ejus, & Antiochiam venit. Simon missis nuntiis accepit ossa Jonathanis fratris sui, & sepelivit in Modin urbe majorum, exstructo ei insigni sepulchro.

Diodotus non ampliùs fidus erat Antiocho, sed cogitabat quonam pacto eo sublato regnum posset invadere & occupare. Decrevit itaque pupillum pacatis rebus omnibus interficere; idque per fraudem effecit, corruptis Medicis, qui ipsum calculi dolore consumi ad populum mentiti, dum secant occidunt, septem annos habentem, anno tertio postquam illius tutelam Diodotus acceperat. Funccius & Vignerius tres annos ei completos assignant: Gordonus verò, Mercator, & Temporarius dant ei quatuor. Joseph. l. 13. c. 10, 12. Liv. Epit. l. 55.



Seleuc. AN. 170.

NUMMUS ANTIOCHI NICEPHORI.



Ex Cimeliarchio Medicæo.

Caput juvenile diadematum: in aversâ parte Jupiter sedens, cum victoriolâ, & epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΘΕΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ, id est, Regis Antiochi Dei Epiphanis Nicephori.

Antiochus Alexandri Theopatoris & Cleopatræ filius, educatus apud Zabdielem Arabem, & per Diodotum unum è ducibus patris contra Demetrium ad recuperandum paternum regnum cum copiis ab ipso Demetrio alienatis eductus, diadema assumpsit, & in memoriam Antiochi IV. quem pro avo nominabat, Deus Epiphanes vocatus est, & ut ab ipso, ut mos erat Syriæ Regum, cognomine destingueretur, post Antiochiam victo fugatoque Demetrio occupatam, anno 168. Nicephori, id est Victoris, appellationem sibi vindicavit. A quibusdam in Regum numero collocatur, ab aliis prætermittitur, quòd Demetrius majorem illo vivente Syriæ partem conservarit: nos verò, qui per numismata Syriæ Historiam illustrare contendimus, cùm ipse Rex in nummis vocatus sit, & alteram Syriæ partem per tres annos, id est inceptos, obtinuerit, inter Reges collocamus.

Antiochus, quem ΝΕΩΤΕΡΟΝ vocat Scriptura, anno 168. Rex appellatus est, à Diodoto anno 170. oppressus, annum regni tertium tantùm attigisse videtur, nec possibile est quod apud Josephum narratur, Antiochum à Diodoto necatum fuisse post Demetrii captivitatem, quam nummi ad annum 174. extendunt, ut infrà ostendemus.



TRY-

TRYPHON.

SELEUC. AN. 170.



DIODOTUS, post Antiochi pupilli Alexandri Theopatoris filii mortem, per intimos amicos sollicitavit milites magnis pollicitationibus, ut sibi imperium deferrent: illi, adducti in spem maximam quasi ditescendi hoc principe, regnum ei continuò deferunt. Diodotus ex privato Rex factus est, & ascito sibi novo TRYPHONIS nomine, quòd galeatus semper incederet, à patriâ sua exorsus, Apameâ cum Larissâ, Casianis, Megarâ, Apolloniâ, & cæteris urbibus circumvicinis primùm potitus est, fecitque plagam magnam in terrâ. Joseph. Ant. L. 13. c. 12. App. Syr. Strabo l. 16.

Tryphon per Senatûs Romani sententiam principatum suum confirmare maturavit. Auream igitur victoriam decem millium aureorum pondus habentem, Romanis per legatos misit; credens, tum ob doni pretium, tum quòd felix esset victoriæ augurium, Regem se ab illis apellandum. Verùm Senatûs versutiâ spes ejus hîc elusa est: accepto enim donario, pro Tryphonis nomine, regii pueri per dolum ab eo occisi titulum inscribi jussit. Diod. Sic. Leg. 31.

Simon, Judæorum Dux & Pontifex, ædificavit præsidia Judææ, circummuniens ea turribus altis, & muris magnis, & portis, & vectibus; posuitque annonas in munitionibus. Præ aliis verò urbibus Bethsuram muniendam curavit, quæ in finibus Judææ, ubi fuerant arma hostium; posuitque illic præsidium. Ad hæc videns actus Tryphonis 1. Mach. 13.

Rr

SELEUC. AN. 170. phonis meras rapinas fuisse, per delectos viros coronam & palmam auream, quam Codex Alexandrinus 70. Interpr. τὴν Βαΐν appellat, ad Demetrium Nicatorem misit, rogans ut tributorum remissionem Judææ concederet.

Demetrius Simonis legatos honorificè excepit, & pontificatum confirmavit; in amicorum numerum retulit, uti purpurâ & fibulâ aureâ concessit, fecitque unum ex amicis suis. Epistolam quoque ad illum misit ita inscriptam: REX DEMETRIUS SIMONI PONTIFICI ET AMICO REGUM, ET SENIORIBUS, ET GENTI JUDÆORUM, SALUTEM. In quâ, pace cum Judæis factâ, & omnium præteritorum errorum amnistiâ promissâ, priora omnia pacta confirmavit; munitiones quas exstruxerant, illis concessit; tributa omnibus, & rerum venalium vectigalia, Jerosolymitanis remisit: atque ita anno regni Seleucidarum 170. sublatum est jugum gentium ab Israele, cœpitque Populus in syngraphis & contractibus scribere, ANNO PRIMO, SIMONE SUMMO PONTIFICE, MAGNO DUCE ET PRINCIPE JUDÆORUM.

NUMMUS DEMETRII NICATORIS.



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput diadematum: in aversâ parte aquila cum palmæ ramo, acrostyrio, & epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΟΡ. ΣΙΔΩ. id est, REGIS DEMETRII. an. 170. SIDONIORUM.

Hic Demetrii Nicatoris nummus, anno Seleucidarum 170. ut arguunt litteræ numerales ΟΡ. signatus, Scripturam planè illustrat, quæ hoc anno Simonem Judæorum Pontificem legatos ad Demetrium misisse, & à Rege tributorum remissionem accepisse narrat, cùm eo tempore Demetrius majorem imperii sui partem contra Tryphonem adhuc occuparet. Nummus verò noster à Sidoniis in Phœniciâ percussus, plerasque ejus provinciæ urbes à Demetrii partibus esse, quas etiam Tryphon, licet Demetrius in superiores provincias abiisset, in suam potestatem, ut infrà ostendemus, nunquam potuit redigere.

Aquila

Aquila in honorem Cleopatræ Demetrii uxoris percussa est. Acrosterium infra ΣΙΔΩ. epigraphen, Sidoniorum urbis symbolum, eorum in mari potentiam denotat. SELEUC. AN. 170.

Sarpedon, copiarum Demetrii dux, qui Tryphonem bello lacessiverat, cùm ab ejus exercitu cui Ptolemaïdis incolæ se adjunxerant, superatus fuisset, cum suis militibus in mediterraneam regionem secessit: sed dum victores Tryphoniani per oram maritimam inter Ptolemaidem & Tyrum iter facerent, repentè ad ingentem altitudinem elatus maris fluctus in terram irruens, alios in mare abreptos, alios in locis concavis relictos, suffocavit; ac deinde recedens, cum mortuorum cadaveribus ejectos acervatim pisces multos reliquit. Quam calamitatem Sarpedon cùm intellexisset, eò celeriter reversus, hostium quidem corporibus pepercit, pisces verò abundè multos collegit, & ante portas Ptolemaidis, AVERSORI NEPTUNO sacrificavit. AN. 171. Athen. l. 8.

In illis diebus, Simon Gazam, quæ mortuo Jonathane rebellaverat, obsedit, machinisque adhibitis turrim unam percussit, & eruperunt qui erant intra machinam, in urbem. Gazæi cum uxoribus & filiis supra murum misericordiam ejus suppliciter implorantes, flexus Simon eorum lacrymis, non delevit illos, sed ejecit ex urbe; &, domibus ab idolis & omni immunditiâ purgatis, hymnis Deum celebrans, urbem ingressus est, munivit eam, & ædificavit sibi in eâ domum, in quam subinde se conferret. 1. Mach. 13.

Cùm altero jam anno præsidiarii arcis Jerosolymitanæ prohiberentur egredi & ingredi regionem, & emere ac vendere, fame multi ex iis peribant, dedere se coacti sunt: quibus inde ejectis, mundavit Simon arcem ab idolorum inquinamentis. Ingressus est in eam die vigesimatertiâ mensis Ijar, anno regni Græcorum, id est Seleucidarum, centesimo septuagesimo primo: illam munivit ad securitatem regionis & urbis, habitavitque ipse ibi cum suis.

Cùm à Demetrii imperio civitates passim deficerent ad Tryphonem, ipse vocabatur per crebras legationes à superiorum satrapiarum Græcis atque Macedonibus pollicentibus deditionem si veniret, atque etiam contra Parthorum Regem Arsacem auxilia; quâ spe accensus, cogitans si res adversus Parthos cessissent prosperè, facilè se inde exturbaturum Tryphonem è regno Syriæ. Congregato igitur anno centesimo septuagesimo secundo exercitu suo, in provincias superiores profectus est: trajecto Euphrate pervenit in Mesopotamiam, volens hanc & Babylonem simul occupare, ut his potitus, sedem belli ibi constitueret. AN. 172. Justin. l. 36. Joseph. l. 13.

Tryphon regiam integram adeptus potestatem, non amplius dissimulare pravum ingenium valuit, quod privatus tegere conatus erat, quò magis animos hominum conciliaret: absente enim Demetrio absque personâ Tryphonem, id est mollem ac delicatum, agere cœpit, id quod adversariorum partibus non mediocriter profuit; milites enim pertæsi ejus mores, sensim postea ad Cleopatram, cùm captus est Demetrius in Parthiâ, defecerunt.

Simon, silente Tryphone, Joppen in portum dilatavit ut & fines


SELEUC. AN. 172. gentis suæ, obtinuitque regionem; congregavit captivitatem multam; dominatus est Gazaræ, & Bethsuræ, & arci; & non erat qui
1. Mach. 14. resisteret ei. Post hæc Numenium Romam cum donis misit ad statuendam cum Romanis societatem.

AN. 173. Demetrius magnâ alacritate exceptus est ab Orientis populis, qui
Justin. l. 36. Arsacidæ Regis Parthorum crudelitatem, & quòd veteri Macedonum
1. Mach. 14. imperio assueti, novi populi superbiam indigne ferebant. Collecto igitur valido exercitu, bellum Arsaci intulit. Ut audivit ipse Demetrium confines suos ingressum, misit unum de principibus suis cum ingenti etiam exercitu, ut comprehenderet eum vivum, & adduceret
Justin. l. 36. eum ad se. Demetrius, cùm & Persarum & Elymæorum Bactrianorumque auxiliis juvaretur, multis præliis Parthos fudit.

AN. 174. Altum est apud scriptores de Tryphone silentium post Demetrii in superiorem Asiam discessum: & siluit omnis terra Juda his temporibus. Pauca etiam narrantur de Demetrio bellum cum Arsace gerente: numismata tamen in honorem Demetrii anno 174. Seleucidarum percussa, ut & legati Judæorum hoc anno cum litteris ad Reges quin-
1. Mach. 15. que, & inter alios Demetrio Regi scriptis, ex urbe Româ redeuntes, Demetrium ipso ineunte captum fuisse demonstrant. Orosius Deme-
lib. 5. c. 4. lib. 36. c. 1. trium secundo tantùm prælio cum Parthis commisso, superatum tradit; Justinus illum pacis simulatione post multa prælia ad postremum deceptum, captum fuisse, traductumque refert per ora civitatum, populis qui desciverant in ludibrium ostensum.

Captus est igitur Demetrius, ex nummis, anno regni sui octavo; quod rectè annuit Bucholcerus, dum illi octo inchoatos, seu septem completos attribuit, cùm regnum fratris ejus Antiochi incipiendum putabat anno 174. Eusebius illi malè tantùm tres assignat, quem sequitur Genebrardus. Funccius, Mercator, Calvisius, & Gordonus censent solummodo incœptos esse hosce Eusebii tres annos. Torniellus dat ei tantùm duos incœptos.

NUMMUS DEMETRII.



Ex Musæo nostro.

Caput Demetrii diadematum: cum aquilâ in posteriori parte, & epigra-

epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΔΟΡ. ΣΙΔΩΝΙΩΝ. id est, REGIS DEMETRII. an. 174. SIDONIORUM. SELEUC. AN. 174.

Omnes veteris historiæ annaliumque conditores, Demetrii Nicatoris captivitatem anno Seleucidarum 172. assignant, ex his Scripturæ verbis: *Anno centesimo septuagesimo secundo congregavit Rex Demetrius exercitum suum, & abiit in Mediam, ut expugnaret Tryphonem; & audivit Arsaces Rex Persidis & Mediæ, quia intravit Demetrius confines suos, & misit unum de principibus suis, ut comprehenderet vivum, & adduceret eum ad se. Et abiit, & percussit castra Demetrii, & comprehendit eum, & duxit eum ad Arsacem, & posuit eum in custodiam.* Illa compendiosè, & narrationis modo, Demetrii discessum, bella, & captivitatem refert. Babyloniam ex Josepho occupavit Demetrius, bellum Arsaci intulit; Persarumque & Elymæorum copiis adjutus, multis præliis ex Justino Parthos fudit: secundo tantùm prælio ex Orosio captus est. Hæc omnia intra paucos dies gesta non potuere; Romanis, cùm ipsi ad Judæos scripserunt anno 173. exeunte, ejus captivitas si anno 172. contigisset, haud dubiè innotuisset. Nummus noster à Sidoniis, qui ut & quædam aliæ urbes in Demetrii partibus contra Tryphonem fuerunt, anno Seleucidarum 174. percussus, illum hoc tantùm anno, ineunte quidem, captum penitus arguit.

Cùm Antiochus Demetrii frater, post ejus in superiores provincias discessum, urbes ad Tryphonem deficere cognosceret, oberrabat, nec ab urbe ullâ metu Tryphonis recipiebatur: Rhodum tandem secessit, unde rescivit fratris captivitatem; & accepit litteras à Cleopatrâ uxore Demetrii, quæ tum in Seleuciâ cum liberis se incluserat, & ad quam milites pertæsi deficiebant, conjugium suum & Syriæ regnum offerente. Fecit autem hoc, partim amicorum suasu, partim quod timeret ne quidam Seleucienses urbem Tryphoni traderent. Joseph. Ant. l. 13. c. 12. App. Syr.

Antiochus litteras Simoni summo Pontifici & Principi, totique genti Judæorum misit: in his questus de invasione regni patrum suorum, ad ultionem & regni recuperationem se paratum dicit, collectis sibi copiis, & bellicis navibus comparatis. Inde, conciliandi Simonis causâ, confirmat ei immunitates & privilegia ab aliis Regibus concessa, & jus monetæ propriâ notâ cudendæ adjicit. Jerosolymam sanctam & liberam decernit, munitiones exstructas ei attribuit, omne debitum Regibus remittit, majoraque, si regnum obtineret, promittens. Simon postulata Antiochi libenter admisit: interea Antiochus anno centesimo septuagesimo quarto exiit in terram patrum suorum. 1. Mach. 15.



ANTIOCHUS VII.



A NTIOCHUS VII., Demetrii Soteris filius, Demetrii Nicatoris frater, à Cleopatrâ cognatâ, Seleuciæ ad ostia Orontis, acceptus, vivo licèt fratre, illius conjugium iniit, diademaque accepit, & Rex Syriæ salutatus, se ΕΥΕΡΓΕΤΗΝ, id est Beneficum, teste Porphyrio, & consentientibus ejus nummis, appellavit. SOTER & PIUS à Josepho vocatus est; sed iis cognominibus in nummis minimè usus est. SIDETES ab Eusebio & aliis cognominatus: at nomen est ludibrii, ut qui venatorem sonet.

in Eufeb. Scalig. — Eufeb. Chr.

Joseph. l. 13. Affluente ad Antiochum quotidie multitudine, & crescentibus viribus, bellum Tryphoni intulit; quem prælio ejecit à superiore Syriâ, & Phœnicen usque persequens. Tryphon, transeuntibus exolescente favore recentis imperii ad Antiochum omnibus copiis, paucisque cum ipso remansis, ita se derelictum videns, Doram castrum Phœniciæ munitissimum fugâ se recepit.

AN. 175. Applicuit Antiochus castra in Doram cum centum viginti peditum, & octo equitum millibus, ac navalibus copiis, & oppugnatâ urbis mediâ parte, ut arce quâdam, admovens ei semper manus, ita conclusit Tryphonem, ut neminem ex eâ egredi vel ingredi sineret.

1. Mach. 15. Simon verò Regi Doram expugnanti misit delectorum virorum duo millia in auxilium, cum auro, argento, & vasis copiosis, quæ noluit recipere;

recipere; sed, omnia quæ priùs cum eo pactus fuerat rescindens, alienatur ab eo: unde ad Simonem misit Athenobium unum de amicis suis, ut Gazaram, Joppen, & arcem Jerosolymitanam repeteret, & tributa locorum extra fines Judææ quæ possiderent exigeret, aut pro illis quingenta talenta argenti, & pro damnis illatis tributisque urbium alia talenta quingenta postularet; bellum minitans, nisi imperata fierent. SELEUC. AN. 175.

Venit Athenobius Jerosolymam, & vidit Simonis magnificentiam, in auro & argento & appartu copioso illius splendorem; obstupuit, & verba Regis ei retulit. At Simon alienam negavit terram possidere, sed hæreditatem patrum suorum hostibus aliquo tempore possessam recuperavisse: pro Joppe & Gazaris centum talenta obtulit. Nihil respondit Athenobius, sed cum irà ad Antiochum reversus, renuntiavit ei quæ audierat & viderat; neque minore irà Rex excanduit.

Trpyhon interea, conscendens navem, fugit in aliam Phœniciæ urbem Orthosiada, quem Rex persecutus est, & constituit Antiochus Cendebæum præfectum regionis maritimæ, deditque illi pedites & equites, ut moveret contra Judæos, & Gedorem exstrueret. Cendebæus Jamniam adveniens, cœpit Judæam invadere, & captivum ducere populum, & occidere: exstructaque Gedore, collocavit illic equites & copias peditum, qui excursionibus vias Judææ infestarent, sicut præceperat ei Rex.

Johannes Simonis filius, ascendens de Gazaris, patri nuntiavit quæ à Cendebæo gerebantur; qui, senio jam fractus, duobus senioribus filiis Judæ & Johanni belli curam commisit. Illi, delectis è regione viginti millibus bellatorum & equitum, profecti sunt contra Cendebæum, signisque cum eo collatis, in fugam conversus est Cendebæus, & ceciderunt ex illis saucii multi, qui effugerunt: eos Johannes persecutus est, fratre ejus Judâ vulnerato, usque ad turres quæ erant in agris Azoti. Circiter duo millia hominum occidit; succensisque turribus illis, incolumem in Judæam reduxit exercitum. 1. Mach. 16.

Orthosiadem expugnaturus Antiochus, in quam confugerat Tryphon, ipse Apameam urbem patriam suam se recepit, cujus fugæ stratagema scribit Frontinus: *Per totum iter pecuniam sparsit, eàque sectantes Antiochi milites moratos effugit.* Apameà verò vi tandem captà, Tryphon interfectus est, anno quinto postquam regno potitus est: quod intelligendum de inceptis. In quodam castello inclusum, ad mortem sibi consciscendam adactum fuisse, scribit Strabo: Secoannis forsan castello Apamensium, in quo natus est, teste ipso Strabone. Ab Antiocho tandem magno labore interfectum tradit Appianus. Joseph. l. 13. c. 12. Stratag. l. 2. c. 13.

SELEUC. AN. 175.

NUMMUS TRYPHONIS.



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput diadematum: in averſâ parte galea cum appendicibus, in anteriori ejus parte ingens cornu, & ſtella, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΤΡΥΦΩΝΟΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ. id eſt, REGIS TRYPHONIS IMPERATORIS.

Joſeph. l. 13. c. 12. App. Syr. Diodotus ſeu Diodorus, occiſo pupillo Autiocho, ſollicitavit milites per intimos amicos, ut regnum ſibi deferrent; quod cùm feciſſent, aſcito ſibi novo TRYPHONIS nomine, REX appellatus eſt: id confirmant plurimi ejus nummi ſuperſtites. Privatus regnum occupare auſus, vetus Diodoti, quaſi à Jove dati, nomen conſervare debuiſſet, maluit tamen Tryphonis cognomen eligere. Quidam illud à verbo τρυφᾶν derivant, qnòd deliciis ſeu luxui indulgere ſonat. Quis credat belli ducem ad regiam majeſtatem evectum, mollis aut delicati cognomen aſſnmpſiſſe? Alii ex Iſocrate (in Orat. ad Nicocl.) τρυφᾶν pro nitere ſeu ſplendidum eſſe accipiunt. Galea in cunctis ejus Regis numiſmatibus in variis urbibus per multos annos percuſſis ſemper ſignata, ab ipſâ, qnam Heſiodus & Homerus τρυφάλειαν & τρυφαλείαν appellant, & alii exoletum verbum τρυφεῖν putant, nomen ΤΡΥΦΩΝΟΣ deductum docet, quòd ipſe forſan galeatus ad terrorem ſemper incederet, aut armis ſibi regnum quæſiviſſet.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ dignitas Tryphonis nomini ſubjicitnr, cùm Diodotus Antiochi Nicephori tutor electus eſt Αὐτοκράτωρ, id eſt ſummus belli Dux, contra Demetrium Nicatorem declaratus videtur; qnem, pupillo etiam mortuo, titulum conſervare ambivit, ut Regis & Imperatoris ntrâque appellatione ſummum eſſe imperium ſuum in bello & in pace denotaret.

Galeæ cornn ingens affixnm videtur ad terrorem; mos enim erat Regum & Heroum (lib. 5.) κερατοφόρους prodire: unde docet alicubi Diodorus, ideo Ammoni tribui cornu arietinum, quòd hoc ſigno ornatam in bello galeam geſtaſſet.

Aſtrum ſeu ſtella in areâ nummi Tryphonis percuſſa, Aradi urbis Phœniciæ ſymbolum & inſigne eſt, ex plurimis ejus nummis obſervatum. Urbes in quibus nummi ſignabantur, aliàs nomen, aliàs initiales tantùm nominis litteras, aliàs peculiare quoddam ſignum apponebant, ut etiam hodie moneta noſtra Gallica, præſertim aurea, unam ex litteris elementariis ab unâ parte, & propriam ſupra Regis caput notam, putà aqnilam, palmæ ramum, & alias. Galea in omnibus Tryphonis nummis obſervatur, ſed cum diverſis urbium inſignibus, pilei Dioſcurorum apud Tripolitanos, cornucopiæ apud Antiochenſes ἐν Πτολεμαΐδι, acroſtyrium apud Sidonios, palmæ ramus apud Laodicenſes, ut & alia apud alios percutiuntur.

Nummi Tryphonis ex ære obvii ſunt, & minimæ tantùm formæ reperiuntur; argentei rariſſimi habentur: unum obſervavimus cum ſolito galeæ typo & litterâ A initiali percuſſo.

Arſa-

Arsaces, Parthorum Rex, magno & regio animo, misso in Hyrcaniam Demetrio, non cultum tantùm regium ei præstitit, sed & filiam Rhodogunam in matrimonium dedit; regnumque Syriæ, quod per absentiam ejus Tryphon occupaverat, restituturum promisit. Post mortem Arsacis desperato reditu, non ferens captivitatem Demetrius, etsi opulentam vitam pertæsus, tacitus in regnum fugam meditatur. Hortator illi & comes Gallimander amicus erat, qui, post captivitatem ejus, à Syriâ per deserta, ducibus pecuniâ comparatis, Parthico habitu Babylonem pervenerat: sed fugientem Phraates qui Arsaci successerat, equitum celeritate, per compendiosos tramites occupatum retrahit. Ut est deductus ad Regem, Gallimandro quidem non tantùm venia, verùm etiam præmium fidei datum: Demetrium autem, & graviter castigatum, ad conjugem remisit, arctioribusque custodiis observari jussit. SELEUC. AN. 176. Justin. l. 38.

Memor Antiochus, quòd & pater propter superbiam invisus, & frater propter segnitiem contemptus fuisset; ne in eadem vitia incideret, civitates quæ initio fraterni imperii defecerant, summâ industriâ persequitur, domitasque rursus regni terminis adjecit. AN. 177.

Simon perambulans civitates Judææ cum Mathathiâ & Judâ filiis, descendit Jericunthem anno centesimo septuagesimo septimo, mense undecimo, qui Sabat vocatur. Suscepit eos in Doch castello Ptolemæus Simonis gener, quos lauto convivio excipiens, per sicarios armatos, dum largiùs illi bibissent, perfidè occidit, simul & quosdam ex familiis ipsius. Tum Ptolemæus hæc scripsit, & misit Regi Antiocho, petens ab eo exercitum in auxilium, ut ei regionem & civitates Judæorum in manus traderet. 1. Mach. 16.

Antiochus memor incommodorum quæ à Simone acceperat, anno regni quarto desinente, Joannem, patris in principatu successorem, aggressus est, vastatisque Judææ agris eum in urbem Jerosolymam compulit, illamque septenis castris cinxit. Obsidio urbis, propter mœnium & propugnantium fortitudinem, diutiùs protracta est, accedente etiam aquarum penuriâ, cui sub occasum Pleiadis delati imbres fuerunt remedio. Postremò Antiochus ad septentrionalem muri partem, quà planior erat aditus, excitatis centum turribus, quæ surgebant usque ad tertiam contignationem, impositisque in eas cohortibus, quotidie tentabat mœnia, duplicique fossâ longâ simul & latâ cinctis Judæis præclusit omnem aditum. Illi contrà crebrò excursantes, si fortè negligentiùs custodiri castra offenderent, afficiebant hostem clade: quòd si paratos ad resistendum invenirent, recipiebant se in tutiora facilè. AN. 178. Joseph. Ant. l. 13. c. 16.

Joannes, postquam cognovit sibi obesse suorum multitudinem, quòd inutiliter absumerentur ad victum necessaria, infirmiorem turbam ejecit extrà mœnia, solis retentis qui ob vigorem ætatis ad pugnam erant idonei. Antiochus autem exclusos vetabat progredi, ita ut miserabiliter circum mœnia oberrantes inediâ conficerentur. Sed cùm supervenisset festum Scenopegiæ, miseratione suorum exclusi illi rursus in urbe recepti sunt: Rex etiam rogatus, ut gratiâ festi inducias septem dierum concederet, religione motus, impetrari passus est; nec hoc contentus, victimas misit tauros auratis cornibus, & po-

SELEUC. AN. 178. cula tam aurea quàm argentea omni aromatum genere referta, usque ad portas cum pompâ deduxit: traditisque Judæorum sacerdotibus, victimis, & epulo exercitui præbito, in castra rediit. Propter religionem Antiochus PIUS cognominatus est à Judæis.

Joseph. Ant. l. 13. c. 16. Diod. Leg. 34. Joannes, cognitâ regis æquitate & pietate, legatos ad eum misit, rogantes ut liceat sibi patriis moribus vivere. Regis verò amicorum plures illi suadebant, ut violenter urbem dirueret, & totam Judæorum gentem, ut insociabilem, & institutis à reliquis omnibus discretam, internecione deleret, vel saltem ut leges eorum dissolveret, & vitæ institutionem mutare cogeret. Sed Rex, ut erat magnanimus moribusque mansuetus, horum consilio rejecto, & Judæorum pietate comprobatâ, imperavit ut obsessi arma traderent, urbis muros destruerent, vectigalia Joppes cæterarumque extra Judæam urbium solverent; promittens pacem eis se daturum his conditionibus. Assenserunt illi ad omnia, excepto præsidio, quòd vitarent exterorum consuetudinem: quod ne reciperent maluerunt Regi dare obsides, & inter eos ipsius Joannis fratrem, atque quingenta talenta insuper, quorum trecenta mox repræsentata sunt. Dejectâ loricâ quæ imposita mœnibus, soluta est obsidio. Joannes Antiochum exceptum in urbe cum exercitu liberalissimè tractavit.

Liv. Epit. l. 57. Antiochus Scipioni Africano, ad Numantinum bellum conficiendum in Hispaniam profecto, amplissima munera misit; quæ cùm celare aliis Imperatoribus Regum dona mos esset, Scipio pro tribunali acceptarum se esse dixit; eaque omnia referre Quæstorem in publicas tabulas jussit, ex iis viris fortibus munera se daturum professus.

Justin. l. 38. Demetrius Nicator, interjecto tempore cùm fidem illi etiam suscepti liberi facerent, eodem amico fugam repetiit, sed pari infelicitate prope fines regni sui deprehenditur, ac denuò perductus ad Regem, ut invisus à conspectu summovetur. Tunc quoque uxori & liberis donatus, in Hyrcaniam, pœnalem sibi provinciam, mittitur; talisque aureis ad exprobrationem puerilis levitatis donatur. Sed hanc Parthorum tam mitem in Demetrium clementiam non misericordia gentis faciebat, nec respectus cognationis, sed quòd Syriæ regnum affectabant, usuri Demetrio adversus Antiochum fratrem, prout res, vel tempus, vel fortuna belli, exegisset.

His auditis Antiochus, contra Parthos bellum ratus, exercitum, quem multis finitimorum bellis induraverat, (nam Judæos, qui in Macedonico imperio armis sub Demetrio patre se in libertatem vindicaverant, subegerât) adversus ipsos fratrem repetens, in Mediam duxit: sed luxuriæ non minor apparatus quàm militiæ fuit; quippe

l. 2. c. 10. octoginta (centum habet Orosius) millia armatorum sequuta sunt, trecenta millia, Orosio ducenta millia, lixarum, ex quibus coquo-

Athen. l. 12. c. 9. rum, pistorum, scenicorumque major numerus fuit. Rex quotidie convivarum turbas catervatim ita excipiebat, ut præterea quæ in mensis absumebantur, & acervatim tollebantur, convivarum quisque auferret intactam & integram carnem volucrum, quadrupedum, marinorum piscium jam præparatam, quibus omnibus plaustrum oneraretur: deinde è melle concreto dulciarium opus multum, coronasque mul-

multas è thure ac myrrha, insertis & inculcatis aureis lemnis eorum fasciolis, quæ explicatæ hominis altitudinem æquarent. Ex iis cæcam & amentem luxuriam exercitus imitatus, magnâ ex parte aureos clavos crepidis subjectos habuit, argenteaque vasa ad usum culinæ comparavit, & tabernacula textilibus sigillis adornata statuit. Avaro potiùs hosti præda optabilis, quàm ulla ad vincendum strenuo mora. SELEUC. AN. 180. Val.Max. lib. 9. c. 1.

Joannes, Judæorum Pontifex, in hâc expeditione Parthicâ Antiochum Regem secutus est cum auxiliis. Antiocho advenienti multi orientales Reges occurrêre, tradentes se regnaque sua cum execratione superbiæ Parthicæ. Nec mora congressioni fuit; Antiochus enim Indatem Parthorum ducem ad Lycum in Assyriâ fluvium profligavit, ubi erecto trophæo hæsit per biduum ob preces Judæorum Pontificis, quòd in id tempus fortè quædam Judæorum solennis festivitas inciderat, per quam non licebat eis iter facere. Hyrcaniam ingressus Joannes, iisque devictis, HYRCANI nomen adeptus, cum gloriâ ab Antiocho dimissus est. AN. 181. Joseph. Ant. l. 13. c. 16. Justin. l. 38. c. 10. Euseb. Chr. Sev. Sulp. l. 2. Hist.

Hoc regni Antiochi octavo anno, ad horam decimam matutinam mensis Peritii, sive Februarii, die vigesimaprimâ, Antiochia terræ motum passa est. Jo Malela Antioch. Chron.

Antiochus, tribus præliis victor, cùm Babyloniam occuparet, magnus habere cœpit: itaque omnibus ad eum populis deficientibus, nihil Parthis reliqui præter patrios fines fuit. Justin. l. 38.

Phraates Demetrium in Syriam ad occupandum regnum cum Parthico præsidio mittit, ut eo pacto Antiochus ad sua tuenda à Parthiâ revocaretur. Interim, quoniam viribus non poterat, insidiis Antiochum ubique tentabat. Rex exercitum suum, propter multitudinem hominum, per civitates in hyberna divisit, quæ annonæ exactione, & militum injuriis, ab illo alienatæ sunt: ubi præ aliis Athenæus Antiochi dux per singula hospitia gravi insolentiâ est usus. Cùm gravari se annonæ exhibitione & injuriis militum civitates, per quas Antiochus exercitum in hyberna diviserat, ægrè ferrent, ad Parthos deficiunt, & die statutâ omnes inter se divisum exercitum per insidias, ne invicem ferre auxilia possent, aggrediuntur. Quæ cùm nunciata Antiocho essent, auxilium proximis laturus, cum eâ manu quæ secum hyemabat, progreditur. In Antiochi tabernaculo hirundines nidum fecerant, quo prodigio neglecto prælium ille commisit. Et quidem adversus Phraatem, quem in itinere obvium habuit, fortiùs quàm ejus exercitus dimicavit: ad postremum tamen à suis desertus, occisus est. in Excerpt. Valesf. p. 734. Jul. Obseq. de Prodig.

Primus author fugæ, & Antiochi desertor, Athenæus fuit, qui, brevì meritas pœnas luit: delatus enim ad pagos, quos in hospitiis vexaverat, ab omnibus tecto exclusus est, cunctisque alimenta ei negantibus, huc & illuc per regionem errabundus tandem fame interiit. Valesf. Exc. pag. 375.

Totus Antiochi exercitus, eo interfecto, in captivitatem abductus, eum Phraates superbè & crudeliter tractavit. De ejus morte multa apud authores. Appianus ait Antiochum cum Parthis prælio congressum & victum, sibi manus intulisse: Josephus, Orosius, Justinus, & Julius Obsequens in hoc prælio occisum memorant: Eusebius Ar- Justin l. 42. App. Syr. Chron.

SELEUC. AN. 182. facem eum interfecisse: Ælianus, rebus malè gestis, de loco quodam se præcipitem dedisse.

Ælian. de Anim. c. 34. Justin. l. 38. c. 10. Post Antiochi mortem, Phraatem pœnitere dimissi Demetrii cœpit, ad quem retrahendum cùm turmas equitum festinatò misisset, Demetrium hoc ipsum metuentem, jam in regno Syriæ missi à Rege invenerunt; frustraque omnia conati, ad Regem suum reversi sunt.

Athen. l. 10. Phraates Antiocho exequias regio more fecit; sed, antequam sepeliret, illius bibacitatem redarguens, in hæc erumpit. AUDACIA TE PARTIM FEFELLIT, ANTIOCHE, PARTIM VINOLENTIA: SPERABAS ENIM IN MAGNIS POCULIS REGNUM TE MEUM EBIBITURUM. Post autem exequias, filiam Demetrii Nicatoris, quam secum Antiochus adduxerat, captus amore virginis, uxorem duxit.

Plutarch. in Apophteg. Antiochus, magnanimus Rex, moribusque mansuetus fuit, clementiâ excelluit: in conviviis splendidus, sed bibax: summoperè venationi deditus, ob id SIDETES, id est Venator, nuncupatus est. Cùm semel in venatione feras insectans, ab amicis & famulis aberrasset, casam hominum egenorum intravit: cùmque inter cœnandum mentionem Regis intulisset, responsum est, esse Regem alioqui bonum, sed qui pleraque amicis, pravis hominibus, mandaret, negligeret, ac præ nimio venandi studio sæpenumero res necessarias omitteret. Ac tunc quidem tacuit. Sub lucem autem cùm ad casam venirent satellites, & allatâ purpurâ diademateque agnosceretur: Ab eo, inquit, die quo vos recepi, heri primùm veros de me sermones audivi.

Antiochus Evergetes regnavit annos novem juxta Eusebium, quem sequuntur Mercator, Genebrardus, Gordonus, & Torniellus: Bucholcerus & Temporarius dant ei septem tantùm: Funccius & Vignerius tribuunt ei duodecim. Ex nummis confirmatur Eusebius. Reliquit ex Cleopatrâ uxore & cognatâ filium unicum Antiochum, vulgò Cyzicenum, sed alio illustri cognomine, ut mox dicemus, donatum, qui Syriæ regnum etiam occupavit.



NUM-



NUMMI ANTIOCHI EVERGETIS.



Ex Musæo nostro.

Caput diadematum: in aversâ parte aquila cum palmâ, Tyri monogrammate, & epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΔΟΡ. ΙΕΡ. ΑΣΥ. id est, Regis Antiochi an. 174. Tyri sacræ asyli.

Ad Antiochum VII, Demetrii Nicatoris fratrem, pertinet hic nummus, cùm facra Scriptura anno Seleucidarum 174. in terram patrum fuorum abiisse refert, cujus veritatem litteræ numerales ΔΟΡ. in nummo cufæ, hunc annum defignantes, illuftrant. Aquila Ægyptiorum Regum infigne, in gratiam Cleopatræ in nummo Antiochi percutitur, quam Alexander Theopator, & Demetrius Nicator, ipfius Reginæ mariti, in nummis jam vulgaverant. 1. Mach. 15.

A Tyriis percuffus eft jamdudum hic typus, fed nova eft ΙΕΡΑΣ ΑΣΥΛΟΥ in eorum nummis epigraphe, quod privilegium, hoc Seleucidarum anno 174. ab Antiocho Evergete, ob præftitum fingulare initio regni fui ab iis anxilium, videtur conceffum; unde Tyrii æram computarunt. Apud Eufebium in fecundo Probi Imp. anno, 402. Tyriorum annus, & in nonâ actione Concilii Calchedonenfis, poft Confulatum Zenonis & Pofthumiani, 574 numeratur: unde caput ejus æræ non in hunc Seleucidarum 174. annum, fed in 187. incideret, poft Demetrium Nicatorem Tyri occifum, qui urbem illam, religione templi fe defenfurus, ut ait Juftinus, petierat: ergo Tyrus jam afylus erat; quod nummi etiam ipfius Demetrii poft ejus è Parthiâ reditum fignati confirmant. Tyriorum igitur, indubitatâ nummorum illius urbis, tum ante hunc annum fine ΙΕΡΑΣ ΑΣΥΛΟΥ epigraphe, tum hoc anno & ab illo, cum hac immunitate, continuò fignatorum fide, epocha anno Seleucidarum 174., primo fcilicet Antiochi Evergetis regni anno, ftatuenda eft. lib. 13. c. 9.

SELEUC.
AN. 182.



EX THESAURO PATINI, fol. 36.

Caput diadematum: in aversâ parte victoria gradiens, dextrâ coronam, sinistrâ palmam, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. id est, REGIS ANTIOCHI BENEFICI.

Hunc nummum Patinus vulgavit, ad quemnam ex Antiochis referri debeat, dubius: *Quis*, ait, *sit ille Rex*, *alter conjiciat*; *nullam legimus mentionem apud veteres factam* ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. Porphyrius tamen in Euse-
lib. 13. c. 12. bio Antiochum Demetrii fratrem ΕΥΕΡΓΕΤΗΝ appositè nominat, quem ΣΩΤΗΡΑ & ΕΥΣΕΒΗΝ Josephus appellat, sed nummi ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ tantùm meminerunt. Plurimi Antiochum, SIDETEM appellant, quòd venationi summopere deditus fuerit: *Sid* enim in linguâ Phœnicià venationem sonat; sed id cognomen minùs decorum in nummis non usurpatur. Supposititia est ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΣΙΔΗΤΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ apud Goltzium epigraphe. Cautè legendus est hic author, ut sæpe monuit Ezech. Spanhemius.

Victoria cum coronâ & palmâ gradiens, ad victoriam de Tryphone relatam spectat.



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput diadematum: in aversâ parte planta seu flos lotus, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. ϛΟΡ. id est, an. 176.

Dissert. 4. l. 29. c. 3. Plantam in nummo Antiochi pictam, eandem esse putat Spanhemius cum herbâ Commagene à Plinio commendata: id existimat vir cl. quòd hanc in nummo

nummo Commageno, utpote natali solo singularem, observaverit. Sed lotus Ægyptia est, caput habens instar papaveris, ex quo flos, caulis, & fructus prodeunt, qualem frequentes Ægypti Mauritaniæ & Siciliæ nummi exhibent, ad denotandam regni fertilitatem, cui spicas hic vides adjunctas. SELEUC. AN. 182.

Litteræ ϛΟΡ numerales indicant annum Seleucidarum 176. tertium verò regni Antiochi. Plures alios cum eodem typo, sed cum diversis imperii ejus litteris reperire est, quos prætermittimus: ΔΟΡ. 174. ΕΟΡ. 175. ϛΟΡ. 176. ΖΟΡ. 177. ΗΟΡ. 178. ΑΠΡ. 181. ΒΠΡ. 182.



Ex Musæo nostro.

Caput diadematum: in cujus aversâ parte triremis, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΤΥΡ. ΙΕΡ. ΑΣΥ. & infrà litteris HOP. an. 178.

Iterum prodit nummus Tyriorum in honorem Antiochi Evergetis signatus, non cum aquilâ, ut in superiori, sed cum triremi, solito eorum symbolo. Ipsi concessam urbi immunitatem à benefico Principe publicis monumentis consignare solliciti, sacræ & inviolabilis, ut suprà diximus, attributa in hoc nummo percutere pergunt: unde confirmatur epocha Tyri anno Antiochi Evergetis primo à nobis in ejus nummo indicta, & non ab Alexandro Zebinnâ, aut à Cleopatrâ & Antiocho concessa, ut quidam existimarunt. Usser. Imp. Maced. pag. 221.

Litteræ HOP. ad annum Seleucidarum 178., annum verò quintum regni Evergetis, spectant.



Ex Musæo nostro.

Caput diademate cinctum, cum literis ΘΟΡ id est, an. 179.: in

 aversâ

SELEUC. AN. 181.

aversâ parte, triremis, & epigraphe, ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΙΔΩΝΙΩΝ. id est, ANTIOCHI REGIS SIDONIORUM.

Sidonii Demetrio legitimo Syriæ Regi contra Tryphonem semper adhærentes, usque ad ipsius captivitatem, ut anno Seleucidarum 174. observavimus, numismata tanquam publicum fidei suæ monumentum percusserunt: sed postquam Antiochus Evergetes ejus frater, occiso tyranno regnum occupavit, se etiam ipsius imperio subjicere non recusarunt; cujus nobis testis est hic nummus cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ, & litteris ex parte illius capitis ΘΟΡ. signatis, annum Seleucidarum 179. arguentibus, & annum illius regni sextum.



EX SCHEDIS NUM. M. RODOLPHI IMP.

Caput diadematum: in aversâ parte aquila cum palmâ, & epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ, & monogrammate ΤΥΡ. ΙΕ. ΑΣ. ΠΡ. id est, TYRI SACRÆ ASYLI. an. 180.

Similem typum Tyrii anno 174. Seleucidarum, primo scilicet regni Antiochi Evergetis, in ejus honorem percussere, de quo, ut & de illius urbis immunitate egimus. Differt tantùm hic nummus à superiore litteris ΠΡ. numeralibus, annum Seleucidarum 180., regni verò Antiochi septimum, designantibus. At cùm de aquilâ, in nummo ipsius Regis signatâ, nihil retulimus, non injucundum erit in memoriam revocare illam à Tyriis in Alexandri Theopatoris & Demetrii Nicatoris nummis percussam in honorem Cleopatræ tanquam Ægypti stemma, cujus auxilio Syriæ regnum ipsi occupaverant, eamque in uxorem sibi copulaverant. Sed cùm ipsa Antiocho mariti etsi viventis fratri, matrimonio copulata, nihil mirum si aquila rursus in sponsi novi honorem in nummis Tyriorum iterum prodeat.

Ex



Ex Musæo Abb. de Camps.

Caput diademate cinctum : in aversâ parte stat Pallas tunicata & galeata, dextrâ victoriolam sustinet, sinistrâ hastam cum scuto, & epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ ΑΠΡ. id est an. 181.

Minerva in nummo ut bellorum præses signata videtur ab Antiocho : ut ipse enim bellum contra Tryphonem & Judæos jam optimè gesserat, & mox contra Phraatem Parthorum Regem, quasi victoriam ipsâ duce relaturus, jam ipsa eam manu gerit, quam Palladi tanquam παρέδρῳ seu assestricem dari narrat Phurnutus. Hæc Dea à Macedonibus peculiariter culta fuit, & ab Alexandro M. templis & in Cyrno Insulâ Maris Ægæi, & in Ilio, quod nulli magnificentiâ concederet, honorata. Antiochus, ut Syriæ Reges genus à Macedonibus detrahentes, eam quasi servatricem exercitus sui contra Phraatem invocat, in vexillis erigit, & in nummis percutit.

Litteræ ΑΠΡ. annum Seleuc. 181. & octavum imperii Antiochi, quo ille occupandum contra Parthos bellum ratus, exercitum, quem multis finitimorum bellis induraverat, comparabat.



Ex Musæo nostro.

Caput diadematum: in aversâ parte lotus & spicæ, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΒΠΡ. id est, an. 182.


De loto & spicis suprà dictum est. Similis sæpè typus in Antiochi Evergetis nummis cum variis Seleucidarum annorum notis occurrit: hic annum 182. exhibet, qui nonus Antiochi regni computatur. Ascendit ipse, ex Machabæorum 1. libro, nummis confirmantibus, in terram patrum suorum, anno 174. desinente scilicet; siquidem Demetrii nummi eundem annum signant. Totum Antiochi regnum ex Historicis ad novem annos protenditur, qui de incœptis intelligendi sunt: occisus enim est ille hyeme, anno Seleucidarum 182. desinente.

SELEUC. AN. 183.

DEMETRIUS REDUX.



Justin. l. 39.



EMETRIUS Nicator, obsidione Parthorum liberatus, & fratre Antiocho in Parthiâ occiso, in regnum restitutus, cùm omnis Syria in luctu propter amissum exercitum esset, ita se regebat, quasi Parthica ipsius ac fratris bella, quibus alter captus, alter occisus erat, prosperè gessisset: & ita, pro innatâ superbiâ & morum asperitate, superbè crudeliterque cum subditis egit, ut hos brevi iterum ad defectionem coëgerit.

Joseph. l. 13. c. 17. Hyrcanus, qui auditâ morte Antiochi confestim ad urbes Syriæ duxerat exercitum, ratus quòd inventurum se eas vacuas propugnatoribus, Medabam obsedebat.

Liv. l. 59. Oros. lib. 5. c. 10. Ptolemæus, vulgò Physcon, ob nimiam crudelitatem suis invisus, incensâ à populo regiâ, clam Cyprum profugerat; sed cùm audiisset sorori ejus Cleopatræ, quam ductâ ejus filiâ repudiarat, regnum à populo esse datum, ille contractò mercenario exercitu bellum suscepit. Cleopatra autem Regina, cùm se fratris Physconis bello urgeri videret, auxilium à Demetrio genero suo reduce per legatos petiit, pretium auxilii regnum Ægypti promittens; cujus potiundi spe illectus, bellum Ægypto inferre decrevit.

Justin l. 42. Phraates, Parthorum Rex, cùm bellum in ultionem tentati ab Antiocho Evergete Parthici regni in Syriam movere statuisset, Scytharum

rum

rum motibus ad sua defendenda revocatus est: namque Scythæ in auxilium Parthorum adversus Antiochum mercede sollicitati, cùm confecto jam bello supervenissent, & calumniâ tardiùs lati auxilii mercede fraudarentur, dolentes tantum iis itineris frustrà emensum, cùm vel stipendium pro vexatione, vel alium hostem sibi dari poscerent, superbo responso offensi, fines Parthorum vastare cœperunt. SELEUC. AN. 184.

Medabam Hyrcanus, non sine labôre, sexto demum obsidionis mense vi cepit: deinde Samegam cum vicinis oppidis, & insuper Sicima atque Garizim, cum gente Chutæorum quæ accolebat templum instar Jerosolymitani exstructum. Joseph. Ant. l. 13. c. 17.

Demetrius copias in Ægyptum deduxerat, Pelusiumque oppugnabat. Hyrcanus, hujus belli occasionem nactus, Idumææ urbes cepit, Adora & Marissam. Subjugatis omnibus Idumæis, edixit ut circumciderentur, nisi mallent è propriis pelli sedibus: at illi amore patriæ admiserunt, & circumcisionem, & reliquam juxta Judaïcos ritus vivendi formulam.

Absente Demetrio, Antiochenses primi execrantes ejus superbiam, quæ conversatione Parthicâ intolerabilis facta erat; mox Apameni, cæteræque civitates exemplum sequutæ, ab eo defecerunt, dum aliena affectat. Hac defectione auditâ, Demetrius ex Ægypto in Syriam rediit, & Cleopatra Ægyptia, ejus orbata præsidio, opibus Ægypti navibus impositis, ad filiam & Demetrium generum profugit. Justin l. 39. Joseph. Ant. l. 13. c. 17.

Antiochenses miserant ad Ptolemæum Physconem, rogantes ut aliquem ex Seleuci genere iis daret, quem possent Regem sibi constituere. Ptolemæus, indignatus contra Demetrium ob bellum contra se ab eo illatum, immittit juvenem quendam Ægyptium, Protarchi negotiatoris filium, qui regnum Syriæ armis repeteret, compositâ fabulâ, quasi per adoptionem Antiochi Regis receptus in familiam regiam esset: nec Syris quemlibet Regem aspernantibus, ne Demetrii paterentur superbiam, ut filium Alexandri Theopatoris Regis; & ideo ipsum Alexandrum etiam dictum refert Porphyrius, sed à Syris ZABINAM cognominatum, quòd emptum mancipium haberetur. Justin. l. 39. Athen. l. 5. in Euseb. Scalig.



NUMMI DEMETRII.



Ex Musæo nostro.

Caput diadematum cum promiſſâ barbâ: in averſâ parte Jupiter ſedens cum victoriolâ, & epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΘΕΟΥ ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ. ΔΠΡ. Δ. id eſt an. 184. Damaſcenorum.

Demetrius è Parthiâ redux, prolixâ barbâ, Parthorum more, hic exhibetur, quam in captivitatis memoriam, ſeu propter luctum mortui Antiochi fratris, in aliquot tempus nutrivit. De Jove ſedente cum victoriâ, ſæpe dictum eſt. Rex antiquas Dei & Nicatoris appellationes retinet. ΔΠΡ. litteræ numerales ad annum Seleucid. 184. ſpectant. Nummus à Damaſcenis, ut opinamur, percuſſus.



Ex Musæo nostro.

Caput idem: typus & epigraphe ſimilis cum litterâ Δ.

Demetrius iiſdem titulis & cognominibus inſignitus, cum eâdem barbâ prodit: idem typus & epigraphe, præter litteras annum Seleucidarum denotantes, ſolâ initiali Δ notatus, quam ad Damaſcenos in ſuperiori nummo revocavimus.

Ex



Ex Musæo nostro.

Caput barbatum & diadematum: in aversâ parte Apollo ſtans, dextrâ telum, ſiniſtrâ innixus arcu, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΘΕΟΥ ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ.

Apollo ad originem Seleuci ſpectat, ex quo ſe genus derivaſſe Demetrius gloriatus, Syros naturalem eorum Regem eſſe monet, nec tyranni partes contra ſe & filios ſuos Syriæ regni hæredes legitimos amplecti poſſe, ſe Deum Victoremque inſcribere perſeverat, quaſi tyrannum jamjam profligaturum.



Seleuc. An. 184.

ALEXANDER II.



Lib. 5. c. 17. Justin. l. 39.

ALEXANDER, ab aliis, homo novus, à Ptolemæo Physcone adversus Demetrium Nicatorem subornatus; ab Athenæo Antiochi Epiphanis filius suppositus dicitur: cum ingentibus ab Ægypto auxiliis missus, Antiochiam tandem pervenit, & ab Antiochensibus anno Seleucidarum centesimo octuagesimo quarto Rex salutatus est, nomenque Alexandri sibi vindicavit.

Corpus Antiochi Evergetis interfecti à Rege Parthorum, in loculo argenteo ad sepulturam in Syriam remissum, Antiochiam pervenit; quod cum ingenti studio civitatum, & Regis Alexandri ad firmandam fabulæ fidem excipitur. Quæ res illi magnum favorem popularium conciliavit, omnibus non fictas in eo, sed veras lacrymas existimantibus.

Ex

NUMMUS ALEXANDRI II. SELEUC. AN. 184.



Ex Musæo nostro.

Caput juvenile diadematum : in averſâ parte Bacchus ſtans cum pallio , dextr. cotylum , ſin. thyrſum gerente , cum epigraphe , ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ΔΠΡ. id eſt , Regis Alexandri. An. 184.

Epigraphe ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ in averſâ parte capitis diademate inſigniti , cum litteris numeralibus ΔΠΡ. annum Seleucidarum 184. notantibus, nummum ad Alexandrum II. contra Demetrium Nicatorem miſſum pertinet : præclarus ſanè eſt, & ad chronologiam Syriæ Regum hiſtoriæ valdè utilis, qui tyrannum hoc anno Regem à rebellibus Syris ſalutatum , & in rei memoriam hoc æternum monumentum percuſſum demonſtrat.

Neſcio quid ſomniarit Goltzius , dum vile & contumelioſum ΖΕΒΕΝΝΟΥΣ cognomen, mancipium ſonans, in illius nummis vulgavit : in iis omnibus ſola Regis Alexandri appellatio obſervatur. Illius effigies facilè ab Alexandro Theopatore diſtinguitur.

In averſâ parte ſtat Bacchus, cujus ſingularis apud Syriæ Reges cultus, de quo ampla in ſecundo Machabæorum libro fit mentio : de illius thyrſo & poculo, ſolitis illius attributis , infrà dicendum.

Multæ ad Alexandrum deficiunt civitates. Utinam haberemus Demetrii vitam & res geſtas, quas memoriæ tradidit Athenæus in libro de Regibus Syriæ: non tam obſcura nobis in hoc anno Demetrii cum Alexandro facta ſupereſſent. Alexander in omnibus rebus lenis ac manſuetus, Demetrius verò omnibus inviſus. Utroque copias undique colligente , Ptolemæus Demetrio ſemper infenſus, novas continuò Alexandro ſuppeditabat. AN. 185. lib. 5. c. 13.

SELEUC. AN. 185.

NUMMI DEMETRII NICATORIS.



Ex Musæo nostro.

Caput diadematum & barbatum: in posteriori aquila fulmini insistens, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. & litteris ΕΠΡ. id est, anno 185. & M. Marathenorum.

Litteræ in nummis non levis sunt momenti, numerales in hoc annum Seleucidarum 185. notant, in quo Demetrius partem regni à tyranno occupatam recuperare conatur. Initialis M. ad Marathenos non obscuros Phœniciæ populos spectat, qui constantes in fide erga Demetrium perseverant, dum Antiochenses & seditiosi alii, in legitimum principem rebelles tyrannique fautores se præbent. Cæteræ litteræ præpositorum monetæ cudendæ sunt monogrammata. De aquilâ, Regum Ægypti insigni, in gratiam Cleopatræ Demetrii uxoris percussâ, sæpius dictum est.

Mel. l. 1. 11.



Ex Schedis Rodolphi Imp.

Caput diadematum: in aversâ parte aquila, cum palmâ & rostro navis, cujus epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ, cum solito

lito Tyriorum monogrammate, ΙΕΡ. ΑΣΥΛ. & ΕΠΡ., id est, SACRA ASYLUS. an. 185. SELEUC. AN. 185.

Nummus Demetrium barbâ prolixâ spoliatum exhibet, quam hoc Seleucidarum anno 185. exeunte deposuisse arguit. A Tyriis in illius honorem percussus, cum asyli jure ab Antiocho fratre concesso: unde illorum æra à nobis primo Antiochi Evergetis anno assignata, magis ac magis confirmatnr, nec anno 187. post illius scilicet mortem, unquam convenire potest. Ut autem in superiori Marathenorum nummo Phœnices Demetrii partibus adhærere affirmavimus, Tyrii hujus provinciæ clarissimi, tanti à fratre Antiocho beneficii memores, fidei monumentum erga legitimum Regem hoc numismate ostendunt.
De aquilâ & monogrammate Tyriorum dictum est.

NUMMUS ALEXANDRI II.



Ex Musæo nostro.

Caput diadematum: in posteriori Bacchus stans, pallio amictus, dextrâ cotylum, sinistrâ thyrsum gerens, cum epigrahe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ΕΠΡ. id est, an. 185.

Similem Alexandri II. cum Bacchi typo nummum suprà vulgavimus, uno Seleucidarum anno diverso: prior enim ΔΠΡ. annum 184. hic verò ΕΠΡ. sequentem 185. exhibet, qui secundus regni ipsius est computandus. Plurimi intra unum aut alterum annum Alexandri gesta fuisse existimant, sed ad multos alios prolata demonstrabuntur.
De Baccho in superiori actum est: de illius poculo & thyrso restat dicendum. Thyrsum Bacchi omnes norunt: hasta est sive virga frondibus vestita, aut etiam pampinis ac foliis hederæ obtecta, in cujus extremitate cuspis vel mucro formâ coni pinei. Poculi nomen, quod Bacchus in nummis gestat, alii scyphum, allii cantharum dixerunt. Apud Macrobium cantharus Baccho sacer est, ut Herculi scyphus: uterque auribus hinc & illinc prominet; at poculum nostrum unâ tantùm parte auritum est, cujus nomen nos docet Athenæus. Cotyli, inquit, pocula sunt unâ parte tantùm aurita, quod poculi genus Baccho peculiare est, quo initiatis ac peritis ejus religionis vinum affunditur. 5. Saturn. c. 12. lib. 11. c. 7.

Prælium tandem inter Demetrium & Alexandrum circa Damascum commissum est: in eo Demetrius vincitur; & cùm undique circumstantibus malis premeretur, refugiens è pugnâ ad Cleopatram uxorem in Ptolemaïdem, etiam ab eâ exclusus est. Ab uxore igitur & à filiis AN. 186. Porph. in Euseb. Joseph. l. 13. Justin. l. 39.

Zz defer-

SELEUC. AN. 186. desertus, & cum paucis servulis relictus, Tyrum religione templi, in quo Asylus à fratre Antiocho Evergete concessus erat, se defensurus petiit. Illuc ingredi prohibitum, cùm navem ingrederetur trucidatum fuisse tradit Porphyrius: navi primùm egredientem præfecti jussu interfectum, Justinus: ab inimicis captum, & diu miserè vexatum, tandem occisum, Josephus: ab uxore Cleopatrâ interemptum fuisse, Livius & Appianus referunt; anno post reditum quarto, ut notat Eusebius. Lib. 60. Syriac. Chron.

Demetrius Nicator pravo fuit ingenio & moribus, superbus, crudelis, suisque exosus. Stirps autem Seleuci Philopatoris, ex quâ originem ducebat, malè ob superbiam ac sævitiam audiebat. Regnavit ferè duos annos quietos: quinque, maximâ parte regni usurpatoribus occupatâ: novem fine regno in Parthorum captivitate: quatuor deniquè è Parthiâ redux, inceptos scilicet, in totum viginti: & ut Alexandrum I. è regno expulit, pariter ab Alexandro II. ex imperio expulsus est. Reliquit Seleucum & Antiochum filios, unamque filiam, quam Phraates Parthorum Rex matrimonio sibi copulavit. Valef. Exc.

NUMMUS DEMETRII NICATORIS.



Ex Musæo nostro.

Caput diadematum: in aversâ parte aquila ut suprà, cum epigraphe solitâ, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΤΥΡ. ΙΕΡ. ΑΣΥΛ. ϛΠΡ. id est, Regis Demetrii. Tyri sacræ asyli, an. 186.

Hic nummus Demetrii anno Seleucidarum 186. percussus, eum ante hunc annum non interfectum fuisse evincit, præsertim cùm à Tyriis, in cujus urbe illum occisum narrant, signatus fuerit. Demetrii cædes hoc exeunte anno inimicorum ipsius fraude ac dolo, nec consentientibus ipsis Tyriis, perpetrata videtur.

Sacræ & Asyli in nummo Tyriorum epigraphe; & Demetrius ad eorum urbem,

bem, teste Justino, cum paucis servulis delatus, ut ibi se templi religione tueretur; satis arguunt æram Tyriorum ab Asylo concesso computatam, ad annum regni Antiochi Evergetis primum, ut suprà diximus, ex tot numismatum fide, esse revocandam. SELEUC. AN. 186.

NUMMI ALEXANDRI II.



Ex Musæo nostro.

Caput diadematum: in aversâ parte Jupiter sedens, dextrâ victoriolam, sinistrâ hastam, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ, & litterâ Δ. id est, ΔΑΜΑΣΚΗΝΩΝ.

Similis Jovis cum victoriolâ sedentis typus in duobus Demetrii Nicatoris nummis anno 184. percussis cum eâdem initiali littera Δ. quos ad Damascenos retulimus, à nobis vulgatus est: hunc verò hoc anno 186. ab iisdem populis in honorem Alexandri victoris signatum arbitramur: prælio enim inter utrumque circa Damascum commisso, Damasceni profligato Nicatore Alexandrum Regem acclamarunt.



Ex Musæo nostro.

Caput radiatum & diadematum: in aversâ parte Pallas stans, dextrâ

SELEUC. AN. 186. trâ victoriolam, ſiniſtrâ haſtam, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ, & littera E. id eſt, ΕΜΙΣΩΝ.

Alexander coronâ radiatâ, trito, ſed ſuperbo Syriæ Regum ornamento, inſignitus hic conſpicitur. Pallas cum victoriolâ vulgò poſt profligatum hoſtem in nummis Regum percuſſa videtur. Hanc Deam ſummo honore coluerunt Syri, illamque in bellis ut aſſeſtricem ſunt venerati; ideo hic ab Emiſis quaſi ejus auxilio Alexander Demetrium ſuperaſſet, victoriâ inſignis progreditur. Emiſa juxta Libani regionem ſita eſt, non longè à Damaſco, versùs quam commiſſum narrat Porphyrius inter Reges prælium.

(Ammian. Marc. l. 24. c. 26. Euſeb. Chr.)



Ex Musæo nostro.

Caput idem: in poſteriori parte duplex cornucopiæ conjunctum, infrà palmæ ramus, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ, & litteris ΑΠ. id eſt, ΑΠΑΜΕΩΝ.

Duplex cornucopiæ, ad deſignandam ſub Alexandri imperio futuram omnium rerum abundantiam, in nummo percutitur: cujus ſymbolum eſt, in memoriam cornu illius Amalthææ capræ, quod Jupiter nutricibus dedit cum eâ facultate, ut quidquid optaſſent, id illis ex eo largiter ſuppeditaret. Litteræ initiales ΑΠ. Apamenſes denotant: ipſi enim poſt Antiochenſes à Demetrio defecerunt. Palmæ ramum, civitatis illius ſymbolum, in Tryphonis nummis arguimus.

(Juſtin. l. 38. c. 10.)



Ex Musæo nostro.

Caput diadematum: in averſâ parte duo cornucopiæ, cum teniis, & epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ, & litteris ΣΑ. id eſt, ΣΑΜΟΣΑΤΕΩΝ.

Duo cornucopiæ, ſed variâ figurâ, altero ſcilicet ab altero interjecto, pro eodem


eodem abundantiæ ſymbolo iterum exhibentur. Triſtanus ſimilem typum cum capite radiato, in parte anteriori quidem, Alexandro M. Antonii & Cleopatræ filio tribuit: eum feliciori fato ad Alexandrum noſtrum revocare poterat; nummi forma tota ad Syriæ Reges ſpectat. Illum coronâ radiatâ inſignitum affirmat nummographus ab imitatione radiorum Solis, quòd ipſe à veſanis parentibus Sol cognominatus ſit, ut Cleopatra ſoror, Luna dicta eſt: ſed hoc vulgare Syriæ Regum capitis ornamentum eſt. Non minùs labitur Triſtanus, dum utriuſque cornucopiæ tenias pro duobus ſceptris interpretatur. Seleuc. An. 185.

Initiales litteræ Σ A. Samoſatenſes indicant, in quorum urbe Samoſatâ Commagenes provinciæ Syriæ metropoli ſignatus eſt nummus, cujus ſymbolum eſt ſpica, infrà percuſſa.



SELEUCUS V.

Justin. l. 39.
Liv. Epit. l. 69.
App. Syr.



SELEUCUS V., Demetrii Nicatoris & Cleopatræ filius natu major, ſtatim patre interfecto, etiamſi Alexander majorem Syriæ partem occuparet, diadema ut legitimus regni hæres ſumpſit: ſed, quoniam id injuſſu matris fecit, ipſa, multùm indignata, ſagittâ ſuâ manu emiſſâ illum confixit; ſive metuens ne ille patris à ſe proditi necem ulciſceretur, ſive eodem furore gerens omnia.



ANTIO-

ANTIOCHUS VIII.



ANTIOCHUS VIII., Demetrii Nicatoris & Cleopatræ minor filius, post fratris mortem, Athenis, quò studiorum causâ missus fuerat, Syriæ Rex contra Alexandrum à matre constituitur, ut nomen Regis penes filium, jus autem imperii penes ipsam esset. Id apertè confirmant nummi sequentes, in quibus caput & epigraphe matris filio præponuntur.

App. Syr. Justin l. 39.



Seleuc. AN. 187.

NUMMUS CLEOPATRÆ ET ANTIOCHI.



Ex Musæo nostro.

Capita jugata, unum muliebre velatum & diadematum, alterum virile pariterque diademate insignitum: in aversâ parte aquila fulmini insistens, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ, in areâ ΣΠΡ. id est, an. 187.

Duo illa capita jugata Cleopatram & Antiochum filium natu minorem, non autem Antiochum Evergetem, vulgò Sidetem, ejus cognatum & maritum, ut Jo.Faber. quidam existimarunt, exhibent: dubium tollunt litteræ numerales ΣΠΡ. annum 187. Seleucidarum designantes, in quo Cleopatra furiosâ dominandi cupiditate Demetrium virum, victum ac fugitivum, interficiendum curavit; & mox, quasi erudita ad domesticas cædes, Seleucum filium natu majorem manu propriâ occidit, & alterum filium Regem constituit, ut ipsa regnaret: ideò diademate hìc insignitur, filio Regi in numismate præponitur, in aversâ parte nomen ipsius priùs inscribitur, aquila denique Ægyptiorum insigne percutitur; manifesta hæc totius vis imperii penes ipsam argumenta.

AN. 188. Alexander ut regnum adeptus est, fœdus feriit cum Hyrcano Ju- Joseph. Ant. l. 13. c. 17. dæorum Pontifice, qui mox post Antiochi Evergetis cædem defecerat à Regibus Syriæ; jamque, nec ut subditus, nec ut amicus, ullam illis ferebat opem ampliùs: & maximis successibus res ejus auctæ sunt Alexandri tempore; nam ipse totus contra Antiochum & Cleopatram occupatus, sibi ab illis solis metuens, res in Syriâ roborabat.

Interea Cleopatra, ingenti dominationis cupiditate laborans, populos & milites ad rebellionem contra Alexandrum undiquaque sollicita- Diod. Sic. in Excerpt. Valesp. 577 bat: cùmque illustrissimi illius duces Antipater, & Cleonius, & Æropus ab eo hujus impulsu defecissent, urbemque Laodiceam occupassent, Alexander eos tandem expugnavit: cæterùm, singulari animi magnitu-

gnitu-

gnitudine in captos usus, omnibus pepercit; erat quippe ingenio leni ac placido, & in congressu ac sermonibus mirabili comitate, quapropter ab omnibus amabatur. SELEUC. AN. 188.

NUMMUS ALEXANDRI II.



Ex Musæo nostro.

Caput Alexandri coronâ hederaceâ & diademate redimitum: in aversâ parte stat figura muliebris cum modio in capite, dext. temonem, sinist. cornucopiæ, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ, & litterâ Δ. id est, ΔΑΜΑΣΚΗΝΩΝ.

Bacchum in Alexandri II. nummis percussum jam vulgavimus; sed in hoc pereleganti Rex ipse ut alter Bacchus coronâ hederaceâ insignitur. Cur autem illa Libero patri tributa sit, aiunt, cùm aliquem fortè dolor capitis urgeret, ejus compressu levatum, vinculum intellexisse doloris esse præsens remedium: hac igitur medicinâ opitulantes, eorum qui nimiùm bibissent, caput revinciebant, ob eamque rationem Baccho dedicarunt, qui ut potum invenerit, & malis inde nascentibus succurrat. Quantus autem fuerit apud Syros Bacchi cultus, testes sunt Machabæorum libri, in quibus Judæi, dum Jerosolymæ sub Antiocho IV. Liberi sacra celebrarentur, hederâ coronati Baccho circuire cogebantur. Littera initialis Δ. Damasci in Cœle-Syriâ cusum arguit nummum, urbemque id nomen accepisse referunt à Damasco quodam hujus nominis, qui à Baccho ipso Syriam vitiferam faciente excoriatus est, quòd vineta securi excidisset; unde celebris ab hoc tempore illius Dei apud populos in hac urbe veneratio. Athen. l. 15. c. 15.

Figura muliebris stans cum temone & cornucopiæ, Isis est modio insignita, qualem Osiris, vel filius, vel frater, vel maritus, solet gestare. Osiris autem apud Herodotum idem qui Bacchus: nil mirum igitur si Damasceni ab unâ parte Bacchum, ab alterâ Isidem, percusserint. Isis Servio & Macrobio Terra vel Natura rerum est; Osiris Plutarcho Sol. Terra subjacet Soli, ideo Isidi modius datus est, veluti frugum insigne, ut & cornucopiæ ad rerum omnium abundantiam indicandam: temonem gerit, quòd cùm vela rati prima suspendisset, eo etiam usa sit. lib. 2. Saturn. l. 1. c. 21. de Isid. & Osir.

Nummi circulus in modum serræ denticulatus est: ipsi vocabantur serrati, ita in argento contra monetæ adulteratores, in ære verò ad ornamentum, effecti.

SELEUC.
AN. 188.

NUMMUS ANTIOCHI VIII.



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput diadematum: in aversâ parte lotus, hinc & inde ſpica cum creſcente Lunæ inverſo, & epigraphe, ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ, ΚΑΙ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ, & litteris ΗΠΡ. id eſt, an. 188.

Nummus Antiochi VIII, cum litteris numeralibus ΗΠΡ ſignatus, indicat annum Seleucidarum 188. in quo Syriæ regnum ab Alexandro occupatum recuperare conabatur. Solus ſine matris effigie, ſed non abſque ejus nomine, & quidem anteriore ſummum jus penes eam indicante, exhibetur. Lotum cum ſpicis in nummis Antiochi Evergetis ſuprà in abundantiæ ſymbolum percuſſam diximus. Creſcens Lunæ ad urbis cujuſdam ſignum ſpectat.

AN. 189. Juſtin. l. 39. Cleopatra, cùm nec per milites nec per populos paternum filii regnum recuperare integrum non poſſet, in gratiam Ptolemæi fratris redire tentavit; tandemque ſive quòd Alexander tumens ſucceſſu rerum ſpernere jam ipſum Ptolemæum, à quo fuerat ſubornatus in regnum, ſuperbâ inſolentiâ cœpiſſet, Ptolemæus reconciliatâ ſororis gratiâ deſtruere Alexandri regnum, quod odio Demetrii juribus ſuis acquiſiverat, ſummis opibus inſtituit. Mittit igitur ingentia Antiocho auxilia, & filiam Tryphænem, aliis Gryphinam, ei nupturam, ut populos in auxilium nepotis non ſocietate tantùm belli, verùm & affinitate ſuâ ſollicitaret. Nec res fruſtra fuit: nam cùm omnes Antiochum inſtructum Ægypti viribus viderent, paulatim ab Alexandro deficere cœperunt.



NUM-

NUMMUS ALEXANDRI II.



Ex Musæo nostro.

Caput diadematum: in cujus averſâ parte figura barbata & tunicata ſtans, capite tutullato, dextrâ extenſâ neſcio quid, ſiniſtrâ tridentem, cum epigraphe ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ, & litteris, ut videtur, Phœnicibus.

In hoc Alexandri nummo ſolita ejus cum litteris Græcis epigraphe legitur: quid autem characteres reliqui Phœnices deſignent, an ad figuram illam barbatam & tunicatam ſpectent, ambigitur; nec minùs quòd numen exhibeat ipſa figura, incertum eſt. Tridens peculiare Neptuni ſceptrum ad ipſum revocare illam poteſt; barbatus equidem, ſed nec tutulatus nec tunicatus conſpici ſolet: anno potiùs Syrorum numen aliquod, quorum magnus apud ſcriptores antiquos numerus habetur, repræſentat?

NUMMUS ANTIOCHI VIII.



Ex Musæo nostro.

Caput idem Antiochi: & eadem quàm in ſuperiori ejus nummo epigraphe & typus, cum litteris ΘΠΡ. id eſt, an. 189.

Singularis eſt ille nummus, & hic iterum ſignandus, etiamſi eundem typum exhibeat: litteræ enim ejus numerales diverſæ ſunt à ſuperiori, ΘΠΡ. annum Seleucidarum 189. indicant. Hos Antiochus nummis apponere ſollicitus fuiſſe

 vide-

 videtur, dum Alexander nec illos, nec cognomen ipsum, suis consignare non admodum curavit.

Valef. Exc. pag. 378. Alexander, cùm parùm fideret multitudini, tum ob vulgi imperitiam rerum bellicarum, tum ob ingenium leve & rerum novarum avidum, acie quidem dimicare noluit; sed, collectis regiis thesauris, ac spoliatis templorum donariis, noctu in Græciam fugere constituit. Verùm, cùm Barbarorum quorumdam ministerio Jovis fanum diripere conatus esset, deprehensus, minimùm fuit quin cum toto exercitu illicò confoderetur: tamen fugâ elapsus Seleuciam versùs contendit; sed Seleucienses, jam ante ejus adventum compertâ sacrilegii famâ, ei portas clauserunt: eâ igitur spe frustratus Alexander Posidium, quod malè codices Posidonium nominant, petiit, ab orâ maris nusquam recedens.

lib. 39. c. 2. Aliter rem narrat Justinus; ille enim sic ait. Fit denique inter Alexandrum & Antiochum Reges prælium, quo victus Alexander Antiochiam profugit: ibi inops pecuniæ, cùm stipendia militibus deessent, templo Jovis solidum ex auro Victoriæ signum tolli jussit, facetis jocis sacrilegium circumscribens; nam *Victoriam commodatam sibi esse à Jove* dicebat. Interjectis deinde diebus, cùm ipsius Jovis simulachrum infiniti ponderis tacitè evelli jussisset, deprehensusque in sacrilegio concursu multitudinis esset in fugam versus, magnâ vi tempestatis oppressus, ac desertus à suis, à latronibus capitur, perductusque ad Antiochum, interficitur. In prælio cum Antiocho commisso eum cæsum occubuisse narrat Josephus. Cladem exercitûs non ferentem, veneno seipsum Olymp. CLXVII. an. 2. qui in annum 190. Seleucidarum incidit, sustulisse tradit Porphyrius, quem & authoritate nummorum hîc sumus sequuti.

Ant. Jud. l. 13. c. 17. in Gr. Euseb. Scalig. pag. 227.

Alexandri II. gesta apud scriptores antiquos admodum obscura sunt. Eum prætermittunt Appianus, Eusebius, & alii: illum numerant Josephus & Justinus; ex recentioribus Torniellus intra unum aut alterum annum ejus regnum assignat. Juxta Funccium & Temporarium duos annos regnavit. Ex nummis ab anno 184. Seleucidarum regnare incœpit; secundùm Porphyrium anno eorumdem 190. mortuus est: sicque annos sex imperavit; quod confirmare videtur Justinus, dum ait Cleopatram Antiochi matrem, illius victoriâ inferiorem dignitatem suam factam dolentem, ei venenum obtulisse: sed illa quod filio paraverat, eo extincta est; idque factum anno Seleucidarum 191. arguunt nummi. Josephus ait Hyrcani Pontificis res maximis successibus auctas fuisse Alexandri Zebinnæ tempore, quod longum indicat regnum. Alexander autem Rex erat in omnibus rebus lenis ac mansuetus: in hominum congressu disputare solitus de litteris; Philosophos enim & viros insignes ad convivium sæpe accersebat.

Athen. l. 5.

NUM-



Ex Musæo nostro.

Caput radiatum & diadematum: in aversâ parte noctua insistens amphoræ diotæ, in imo Dioscurorum pilei astris insigniti, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ ΚΑΙ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ, & litteris qp. id est an. 190.

Litteræ numerales qp. anno Seleucidarum 190. nummum hunc Antiochi VIII. cum solitâ anteriori Cleopatræ matris epigraphe, signatum arguunt. q, *Κόππα* est antiquorum, littera seu nota numeralis exoleta, numerum 90. significans: Latini eâ usi sunt pro q, quam inter P & R collocarunt; recentiores verò Græci pro q numerali substituerunt ϛ.

Ad quid noctua insistens amphoræ diotæ, nummorum Atheniensium Symbolum (quod Julius Pollux Atticorum diobolum appellat) in nummis Syriæ Regum? An illud Antiochus in memoriam Athenarum, ubi diu moratus fuerat studiorum causâ à matre missus, signari voluit? Noctua autem in Atheniensium nummis cusa est ut ales Minervæ sacra; illa Athenis in arce templum habebat, cujus tutelæ urbs & regio erant commissæ. Noctua amphoræ insistit, quòd Athenis præstantissima fictilia conficerentur, & Athenienses primi illorum inventores fuissent.

Duo pilei in imo nummi, astris ornati, juxta nota & familiaria in nummis antiquis symbola, Dioscuros innuunt: eos urbes ferè omnes maritimæ venerabantur, quòd hi ventos & æquora placarent; inter illas Tripolis Phœniciæ urbs littoralis hæc numina præcipuè coluit, & in nummis seu illorum capita seu pileos signare solita, iis pro symbolo semper usa est.



Ex Musæo nostro.

Capita jugata Cleopatræ & Antiochi VIII.: in aversâ parte Victoria

 gradiens,

SELEUC. AN. 190. gradiens, dextrâ coronam, finistrâ palmam, ponè quam astrum, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ ΘΕΑΣ, ΚΑΙ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ.

Hic nummus Antiochiæ, ut indicat astrum illius symbolum, percussus est, in memoriam insignis illius victoriæ, quam Antiochus VIII. ingenti Ptolemæi Philometoris auxilio in gratiam filiæ Tryphænæ misso, de Alexandro II. retulit: quam exercitûs cladem ipse non ferens, veneno se sustulit Olymp. 167. anno 2. in annum Seleucidarum 190. incidente; siquidem eorum æram ad Olymp. 117. an. 1. assignamus. Victoria, Dea est, quam Vetustas pennatam & aligeram pinxit, è cælo devolantem ad eos, quos suis ornare successibus vellet.

Cleopatra & effigie & epigraphe præponitur Antiocho filio, ut suprà diximus; sed hoc in nummo ad summam regnandi ostentationem ΘΕΑΣ cognomen arrogat, sola inter Syriæ Reginas superbum Deæ titulum in nummis usurpans. Stratonicem Antiochi Soteris uxorem à Smyrnæis tanquam Deam post mortem consecratam legimus: sed Ægyptia mulier ad summum ambitionis fastigium perducta, Berenices & Arsinoes parentum memor, illarum exemplum est imitata.

AN. 191. Antiochus, mortuo Alexandro, patrio recuperato tandem regno,
Justin. l. 39. externisque periculis liberatus, insidiis matris appetitur: ipsa autem cùm cupiditate dominationis, prodito marito Demetrio, & Seleuco filio interfecto, hujus quoque victoriâ inferiorem dignitatem suam factam doleret, venienti ab exercitatione poculum veneni obtulit. Sed Antiochus, prædictis jam ante insidiis, velut pietate cum matre certaret, bibere ipsam jubet: abnuenti instat; postremùm prolato indice eam arguit, solam defensionem sceleris superesse affirmans, si bibat quod filio obtulit. Sic victa Regina, scelere in se verso, veneno, quod alii paraverat, extinguitur.

Mors Cleopatræ ex nummis videtur contigisse anno quinto Antiochi VIII exeunte; siquidem ipse solus signatur anno sequenti. Cleopatra tres habuit maritos, & ipsos Syriæ Reges, ex quibus quatuor filios suscepit, omnes Syriæ Reges. Primum Alexandro Theopatori nupsit, ex quo Antiochum VI. cognominatum Deum Nicephorum, genuit, cujus tutor Tryphon extitit: tum Demetrio II. Nicatori vocato, ex quo Seleucum V. & Antiochum VIII.; denique Antiocho VII. Evergeti, Demetrii Nicatoris mariti sui fratri, ex quo Antiochum IX. Philopatorem dictum. Filia fuit Ptolemæi Philometoris Ægypti Regis, fœmina Seleucidis funesta & perniciosa.



NUM-

NUMMUS ANTIOCHI VIII.



Ex Musæo nostro.

Caput idem: ut & typus & epigraphe, cum litteris numeralibus ΑϘΡ. id est, an. 191.

Similis typus in superiori nummo vulgatus est: hic verò nihil aliud novi exhibet, quàm litteram numeralem unius Seleucidarum anni posterioris ΑϘΡ. scilicet 191. quo Cleopatræ Reginæ adhuc epigraphe signatur, unde ipso tantùm exeunte illius mortem assignare licet.

Antiochus, partâ regni securitate Cleopatræ matris interitu, Epiphanis cognomen assumpsit, ut arguunt ejus numismata. Illum Philometorem vocat Josephus, cujus cognominis frequentes Antiochi nummi non meminerunt. Justinus cognomen Grypi ei fuisse ob nasi magnitudinem, sed potiùs aduncitatem, refert: sed hæc nomina minùs decora in nummis non usurpantur. AN. 192. Joseph. l. 13.

NUMMUS ANTIOCHI EPIPHANIS.



Ex Musæo nostro.

Caput diadematum & radiatum: in aversâ parte aquila cum palmæ ramo, in imo parvulum cornucopiæ, cum epigraphe, ΒΑΣΙ-

 ΛΕΩΣ

SELEUC. AN. 192. ΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ, cum litteris Bqp. id est, an. 192.

Numiſmata Antiochi VIII. nos docent illum extinctâ Cleopatrâ ſibi EPIPHANIS nomen aſſumpſiſſe, ut qui fœminâ tam multis ſceleribus conſciâ, Syriæque regno planè funeſta ſublatâ, illuſtrem ſe præbuerat. Litteræ numerales Bqp. hanc inſignem EPIPHANIS nomenclationem anno Seleucidarum 192. hoc in nummo deſignant, quam ex iis quæ diximus, anno ſuperiori, exeunte quidem, Antiochum aſciviſſe credibile eſt. Porphyrius illius regnum anno 190. denotat; ſed Cleopatra, ex nummis, anno 191. adhuc in vivorum erat numero: illam Juſtinus filii victoriâ dignitatem inferiorem factam cùm doleret, ei venenum obtuliſſe narrat, quod illam ſumpſiſſe coegit Rex.

Cornucopiæ Antiochiæ ἐν Πτολεμάιδι eſt ſignum. De aquilâ mox dicendum.

AN. 163. Obſcura ſunt utplurimùm quieti regni tempora: authores de bellis tantùm aut magnis principum ſucceſſibus diſſerunt, niſi particularem patriæ, aut regni, aut ævi ſui hiſtoriam ſcribant. Poſidonius lib. Hiſtoriarum multa de Regibus Syriæ, quæ ad nos non pervenerunt, lib 5. c. 13. retulit. Athenæus de noſtro ſic narrat Antiocho. Cùm Diogenes Epicureus, ſatis ingenio promptus atque diſertus, qui genus ducebat è Seleuciâ Babyloniæ vicinâ, & qui acceptus gratuſque Alexandro II. fuerat, licèt malè moratum, maledicum, & invidum cognoſceret, virulentam haberet linguam, maledicentiam ejus pati noluit, lib. 6. 5. 6. Antiochus jugulari juſſit. De quodam Apollonio Antiochi VIII. paraſito alibi adhuc meminit.

NUMMI ANTIOCHI EPIPHANIS.



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput idem: ut etiam typus & epigraphe, cum litteris numeralibus rqp. id eſt an. 193.

Aquila cum palmæ ramo, ſolitum eſt Ægypti Regum ſymbolum, quod Antiochus in jus iſtius regni ex matie forſan retinere, aut potiùs in gratiam uxoris Tryphænæ, Ptolemæi Evergetis Ægypti Regis filiæ, in nummis geſtare voluit.

Ex



EX MUSÆO HARLÆO.

Caput diadematum : in averſâ parte figura nuda ſtans, barbata & laureata, dext. Solem, ſin. haſtam, ſupra caput Creſcens Lunæ, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ, & litteris numeralibus ΔϘΡ. id eſt an. 194. & initialibus ΑΡ. id eſt ΑΡΑΔΙΩΝ, infrà verò monogramma monetarii.

Litteræ numerales ΔϘΡ. annum Seleucidarum 194. indicant; de quo ſilent ſcriptores : initiales vero ΑΡ. Aradum Phœniciæ urbem littoralem denotant. Figura illa nuda à Scaligero ſic exponitur : *Homo nudus cum baculo in ſiniſtrâ manu, dextrâ Solem geſtans, Lunam verò in vertice capitis. Is autem*, inquit, *homo nudus eſt Annus, cujus Menſes lunares ſunt in capite, hoc eſt penes Magiſtratum.* Quod ad figuram, non eſt Annus, ſed Jupiter laureâ, ut ſolet, coronatus, haſtâque divinitatis armatus, qualem norunt Nummographi : ille vero aliquando pallio tectus eſt, ut mox in ſimili Aradiorum typo prodibit. Sol & Luna annum deſignant : annus duplex apud veteres habebatur, naturalis ſeu aſtronomicus, id eſt circulari Solis motu terminatus, quem deſignat Sol in manu Jovis, in cujus nutu ſunt dies & anni ; alter lunaris ſeu civilis, feſtis celebrandis, magiſtratibus ineundis, & aliis id genus rebus accommodatus, cujus ſymbolum exhibet Lunæ creſcens ſupra caput Jovis. de Emend. Temp.

Non intempeſtivus forſan hic erit ſermo de ſimili & quidem obvio in Antiochenſium, Romanorum imperio recèns ſubditorum, nummis, Solis & Creſcentis Lunæ cum Ariete typo, quem Spanhemius ſolitum Antiochenſium ſymbolum vocat. Aries Soli & Creſcenti Lunæ additus dubium de anni principio apud Antiochenſes movere, imò ſolvere, videtur : magna enim fuit apud majorum gentium chronologos difficultas, quo tempore æra Seleucidarum, ob varium illius in Machabæorum libris ſupputum, eſſet aſſignanda. Petavius quidem, oſtenſâ Scaligeri, ejuſque ſequacium, & aliorum hallucinatione, primum eorum librum ad Niſan, & ſecundum ad ſequentem Tiſri illam inchoare demonſtravit : an verò ad vernum aut autumnale tempus æram dinumeraverint Antiochenſes, nummi eorum per Arietem Æquinoctium vernum, cùm Sol eſt in hoc Signo, denotantem, ad Niſan æram Seleucidarum illos aſſignaſſe manifeſtant. Differt. 6. de Doctr. Temp. lib. 10. c. 43.

SELEUC.
AN. 195.



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput diadematum & radiatum: cum eâdem aquilâ & epigraphe ut suprà, cum litteris ΕϘΡ. id est, an, 195. in imo acrostyrium.

Hunc tantùm ob litteras numerales ΕϘΡ. nummum exhibemus: illæ Seleucidarum 195. designant, qui vacuus est à rebus Syriacis apud authores. De aquilâ in superioribus nummis abundè dictum est. Acrosterium Sidonis Phœniciæ urbis maritimæ symbolum, ab ipsâ in honorem Antiochi Epiphanis nummum arguit percussum.

AN. 196. Athen. l. 12. Antiochus ad Daphnem celeberrimos conventus egit, & adventantes splendidissimè accepit. Primùm enim integra cibaria fuerunt distributa, deinde vini etiam anseres, lepores, capreæ: convivis coronæ aureæ datæ, argentea vasa multa, servitia equi, cameli, & his qui singulis adstabat puer, lege propositâ ut in camelum quisque ascenderet, deinde biberet, ac camelum haberet & quæ gestaret camelus, ac puerum qui camelum duceret.

AN. 197. App. Syr. Justin. l. 39. Porph. in Euseb. Epiphanes, à matre non degenerans, struxit Antiocho juniori, quamvis uterino fratri, insidias: cùm enim illum veneno tollere voluisset, ut maturiùs armis cum eo de regno contenderet, excitavit; unde natus illi est æmulus regni: præmonitus enim Antiochus junior, Cyzicum secessit, ubi à Cratero Eunucho educatus fuerat, à matre Cleopatrâ in eam urbem ob metum Demetrii mariti missus.



NUM-

NUMMUS ANTIOCHI VIII.



Ex Thesauro Regio.

Caput diadematum: in cujus aversâ parte Jupiter ſtans cum pallio, dextrâ aſtrum, ſiniſtrâ haſtam, in vertice Creſcens Lunæ, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ, & litteris ☷qp. id eſt, an. 197. & initialibus IE. A. id eſt, ΙΕΡΑ. ΑΣΥΛΟΣ.

Ad annum 197. Seleucidarum pertinet nummus, id arguunt litteræ ☷qp. numerales. Aradi percuſſus eſt, quod innuit idem ferè typus, niſi quòd Jupiter pallio divinitatis rectus prodit, eandem anni Æquinoctii verni tempore cùm Sol eſt in ſigno Arietis, renovationem ſignificans.

Aradus, ſacra Aſylus, ſeu inviolabilis, in nummo inſcribitur: eo jure à Seleuco Callinico anno Seleucidarum 70. donata eſt, quando Aradii contra Antiochum Hieracem adhæſerunt. Id confirmat nummus argenteus Aradi cum capite turrito, in cujus averſâ parte ΑΡΑΔΙΩΣ ΑΣ. εqp. id eſt, Aradiorum asyli, an. 195. Syriâ ſcilicet Regibus ſpoliata, & in provinciam Populi Romani redactâ, percuſſus, cùm Q. Metellus Scipio Pompeii ſocer, Syriæ eſſet Præſes anno U.C. 706. Si ad caput æræ Aradiorum anno Seleuci Callinici quarto, Seleucidarum verò 70. notatæ, anno U.C. 511. correſpondenti, addideris ex nummo 195. proculdbio habebis annum U. C. 706. in quo percuſſum fuiſſe nummum pronuntiamus. Strabo. l. 5. in Theſ. Reg.

Hyrcanus, Judæorum Pontifex, cujus res maximis ſucceſſibus auctæ fuerant Alexandri II. tempore, cum quo fœdus inierat, omnibus Judææ proventibus quietè fruebatur. Hæc omnia cùm ægrè ferret Antiochus Epiphanes, Judæis bellum inferre meditatus eſt, & undique milites collegit, paratuſque erat Judæam ingredi: expeditionem verò contra eos ſuſcipere non auſus eſt, audito quod Antiochus frater copias contra ſe apud Cyzicum colligeret, nihil movens, decrevit præparare contra fratris adventum. AN. 198. Joſeph. Ant. l. 13. c. 17.

ANTIOCHUS IX.



Ant. Jud. l. 13. c. 17.

ANTIOCHUS hujus nominis IX., Syriæ Rex, fuit Antiochi Evergetis ex Cleopatrâ filius, ideo frater Antiochi VIII. uterinus, ab ipso insidiis appetitus, Epiphanem aperto bello adortus est. CYZICENUS à Josepho & aliis dictus, eò quòd Cyzici educatus fuit; hoc tamen in nummis cognomen haud quærendum est; ipsi nos docent eum PHILOPATORIS nomenclationem pietate erga parentem sibi vindicasse: pater enim ejus Evergetes à populo, ut qui magnanimus moribusque mansuetus maximè desiderabatur, in cujus memoriam Seleucienses ex nummis exercitum ejus contra fratrem excepisse videntur; equidem nummos in ipsius honorem primi percusserunt. Silet historia, quomodo Antiochenses ei urbem tradiderint, una proculdubio Orientalium civitatum seditiosissima, maximèque in legitimos principes rebellis.

Eusebius Antiocho VIII. annos duodecim tantùm assignat; siquidem in nummis regnare cœpit anno Seleucidarum 187. eorum finis videtur esse hoc anno 199. quo Antiochus Philopator in Syriam pervenit, prætéritoque Antiocho VIII. deinceps Philopatorem Syriæ Regem constituit. Justinus Antiochum VIII. narrat octo annos quietè regno præstitisse, quod etiam hoc anno 199. convenit; siquidem Cleopatra anno Seleucidarum 191. extincta est.

Cleo-

Cleopatra, Ptolemæi Philometoris filia, Physconis uxor & neptis, cui maritus moriens permiserat, ut quem mallet è duobus Ptolemæo & Alexandro filiis Regem diceret; cùm propensior in Alexandrum esset, à populo compulsa est majorem eligere, cui priusquam regnum daret, uxorem ademit, coëgitque repudiare carissimam sibi sororem Cleopatram, minoremque sororem Selenem ducere jussit: sed Cleopatra, non tam à viro repudiata, quàm à matre divortio viri dimissa, Antiochum Philopatorem sibi conciliavit, eique in Syriâ nubit; &, ne nudum uxoris nomen afferret, exercitum Cypri sollicitatum velut dotalem ad maritum deducit. SELEUC. AN. 191. Justin. l. 39.

NUMMUS ANTIOCHI PHILOPATORIS.



Ex Musæo nostro.

Caput diadematum, cum lanugine: in aversâ parte fulmen alatum, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ, & literis ΘΡQ. id est, an. 199.

Nummi Antiochum, quem CYZICENUM vulgò cognominarunt, illustrem PHILOPATORIS nomenclationem elegisse soli demonstrant: insuper hic, licèt æreus ac rudis, singularis est, ut qui litteris numeralibus ΘΡQ. annum Seleucidarum indicantibus, Antiochum Philopatorem hoc anno Regem appellatum arguit: & nummus quidem à Seleuciensibus ad ostia Orontis sitis, qui primùm eum receperunt, percussus est; quod fulmen, illorum urbis symbolum, in eo percussum evincit. Seleucus Nicator, inter novem Seleucias quas à nomine suo condidit, cùm in monte Cassio sacrificans, de loco urbis condendæ consuluisset, augurium fulminis ad mare in Pieriæ emporio secutum fuisse narrant, ubi statim fundamenta urbis posuit, quam Seleuciam appellavit; ideoque fulmen tanquam numen consecratum hymnis propriis, ibique deinceps cultum fuisse referunt, immo pro Jove ipso creditum. Ap. Syr. Jo. Malela.

Par viribus fratris, Cyprio scilicet exercitu, Philopator prælium committit, ac victus vertitur in fugam. Tunc Antiochiam Epiphanes, in quâ erat Philopatoris uxor Cleopatra, obsidere cœpit: quâ AN. 200.

SELEUC. AN. 200. captâ, Tryphæna uxor Epiphanis nihil antiquius quàm sororem Cleopatram requiri jussit, non ut captivæ opem ferret, sed ne effugere captivitatis mala posset, quæ sui æmulatione in hoc potissimùm regnum invaserit, hostique sororis nubendo hostem se ejus effecerit. Tum peregrinos exercitus in certamina fratrum adductos, tum repudiatam à fratre, contra matris voluntatem extra Ægyptum nuptam accusat. Contrà Epiphanes orare ne tam fœdum facinus facere cogatur, à nullo unquam majorum suorum inter tot domestica, tot externa bella, post victoriam in fœminas sævitum, quas sexus ipse, & periculis bellorum, & sævitiæ victorum, eximat: in hac verò, præter commune bellantium fas, accedere necessitudinem sanguinis; quippe ipsius, quæ tam [illegible]entè sæviat, sororem equidem germanam esse, suam verò consobrinam, liberorum deinde communium materteram. His tot necessitudinibus sanguinis adjicit superstitionem templi, quò abdita profugerit, tantòque religiosiùs colendos sibi Deos, quò magis his propitiis ac faventibus vicisset: tum neque occisa illa, se virium quidquam Philopatori dempturum, nec servaturum reddita. Sed quantò Epiphanes abnuit, tantò soror muliebri pertinaciâ accenditur, rata non misericordiæ hæc verba, sed amoris esse. Itaque, vocatis ipsa militibus, mittit qui sororem confoderent: qui ut in templum intraverunt, cùm evellere non possent, manus amplexantis Deæ simulachrum præciderunt. Tum Cleopatra, execratione parricidarum mandatâ violatis numinibus ultione sui, decedit.

AN. 201. Justin. l. 39. c. 3. App. Syr. Repetitâ inter fratres Antiochos Epiphanem & Philopatorem prælii congressione, hic victor uxorem Epiphanis Gryphinam, quæ paulò antè sororem interfecerat, cepit; ejusque supplicio uxoris manibus parentavit: fratremque regno expellens, pro eo Syris imperavit. Ejus regnum anno primo Olymp. CLXVII., quod in hunc annum 201. Seleucidarum ex ærâ nostrâ incidit, Porphyrius assignat: sed nos anno 199. Regem eum cum nummis constituimus. Epiphanes imperio exutus, Aspendum urbem Pamphiliæ mediterraneam secessit, indeque Aspendii cognomen adeptus est. Philopatorem pariter Aspendium vocat Josephus, sed Antiochi nomine deceptus videtur.

in Gr. Euseb. Scalig.

de Bell. Jud. l. 11. c. 2.

Joseph. Ant. l. 13. c. 2. Hyrcanus, qui Philopatore fratris regionem vastante non dissimulavit & ipse quid moliretur, vidensque Antiocho nihil esse ab Ægypto præsidii, sed tam ipsum quàm ejus fratrem multas clades accepisse ex continuis inter se certaminibus, utrumque despexit: quapropter duxit exercitum ad Samariam urbem munitissimam; hancque adortus oppugnabat, nullis parcens laboribus, infensus ei propter injurias illatas Marissenis, colonis Judæorum & sociis, sed Syriæ Regi subditis. Cùm itaque urbem fossâ & duplici muro cinxisset per octoginta stadia, obsidioni præfecit filios Antigonum & Aristobulum: quibus urgentibus & fame, eo concussi necessitatis adducti sunt Samaritæ, ut coacti vesci cibis insuetis homini, postremò Antiochi Philopatoris opem imploraverint.

AN. 202. Antiochus Epiphanes, Olympiad. CLXVII. anno secundo Aspendo rediens, Syriam obtinuit: Philopator verò, diviso imperio, Cæle-

le-Syriâ potitus est, accersitusque à Samaritis; qui cùm venisset, propere victus est ab Aristobuli militibus, & insequentibus fratribus usque Scythopolim, ægrè evasit: at illi, reversi contra Samaritas, rursum eos compellunt intra mœnia, & cogunt iterum ab eodem Antiocho auxilium petere. Is, accitis à Ptolemæo Lathuro circiter sex armatorum millibus, quos ille invitâ matre, & imperio per eam deturbatus, miserat. Philopator primùm vagabatur per ditionem Hyrcani, latrocinabundus cum Ægyptiis, non audens quidem aperto marte decernere, quòd esset impar viribus; existimans tamen se vastandis agris effecturum ut Hyrcanus obsidionem Samariæ solveret: sed, postquam multos è suis amisit exceptos hostium insidiis, profectus est inde Tripolim, Callimandro & Epicrati ducibus demandato bello Judaïco. Ex his Callimander, audaciùs quàm prudentiùs cum hoste congressus, profligatis suis, & ipse inter alios cecidit. Epicrates autem, pecuniâ corruptus, Scythopolim & alia quædam oppida manifestè Judæis prodidit, nec quicquam Samaritis obsessis profuit. Atque ita Hyrcanus, integro anno in oppugnatione exacto, non contentus urbem capere, etiam solo eam æquavit. SELEUC. AN. 202. Porphyr. in Gr. Eufeb. pag. 271.

Philopator, regnum recèns adeptus, ad crapulas & luxum, & instituta longè à Regibus aliena se contulit: mimis enim atque histrionibus, circulatoribus denique cunctis suprà modum deditus, eorum artes summo studio perdiscebat: quinetiam intempestivis venationibus immodicè addictus erat, ac sæpenumero cum uno aut altero famulo noctu clam egressus, apros, leones, ac pardos venabatur; nec raro, cum feris bestiis temerè congressus, in gravissima discrimina salutem suam addixit. AN. 203. Valef Exc. pag. 385.

Seleucienses ad Orontis ostia siti, αὐτονομίαν anno quarto Olympiadis CLXVII. in 204. Seleucidarum annum incidente adepti, tempora sua dinumerant. AN. 204. Fasti Sicul.

Insolita & parùm Regis digna vitæ Antiochi Philopatoris ratio Antiochum in spem regni recuperandi adduxit, ita ut armis fratrem sit adortus; quod confirmare videtur Eusebius his verbis: Ac rursus Epiphanes, superato Philopatore, Syriam recepit. Ita ex successione regnabant, adversùm se invicem dimicantes. AN. 205. 206. 207. Chron.

Cùm Antiochi fratres mutuis cladibus suas vires attererent, Jannæus cognomento Alexander, qui Aristobulo fratri post Hyrcani mortem successerat, rebus imperii sui domi constitutis, ad Ptolemaïdem, quæ Syriæ Regibus obtemperabat, exercitum duxit; &, cùm prosperè pugnasset, victos intra mœnia compulit, eosque obsessos oppugnare adortus est. Solæ enim è maritimis Ptolemaïs & Gaza expugnandæ supererant; & præter has Zoïlus, qui ex rerum discordiâ occasione captâ tyrannidem apud Stratonis turrim & Dora occupaverat. Ptolemaïdenses nihil præsidii ab Epiphane & Philopatore Regibus expectantes: verùm Zoïlus, cum iis quos alebat militibus, earum quoque dominationi propter discordiam Regum inhians, nonnihil opus attulit; nam Reges negligere videbantur illorum periculum, athletis similes, quos cùm defessi sint certamine, pudet tamen ad- AN. 208. Joseph. Ant. l. 13. c. 20.

SELEUC. AN. 208. adverſario manus dare, ſed per intervalla ſe ad inſtaurandum certamen refovent. Ptolemaïdenſes igitur ad Ptolemæum Lathurum, à Cleopatrà matre Alexandriâ pulſum, Cypri morantem, legatos miſerunt, orantes ut auxilio veniens ex Alexandri manibus eriperet; qui cùm ei ſpem feciſſent, quòd delatus in Syriam habiturus ſit Gazæos & Ptolemaïdenſes in ſuis partibus, ſimulque Zoilum & Sidonios, multoſque alios adjutaturos, elatus promiſſis navigationem paravit.

AN. 209. Ptolemæus, cognitâ in itinere Ptolemaïdenſium mutatione, nihilominus curſum continuavit: &, cum appuliſſet Sycaminum urbem Phœniciæ, eo loci copias expoſuit, quæ conſtabant, connumeratis peditibus & equitibus, circiter triginta milibus; quibus adductis ad urbem, Alexander obſidionem ſolvit. Ptolemaïdenſes tamen legatos Ptolemæi, nec admittere, nec audire voluerunt. Zoilus & Gazæi ad eum venerunt, petentes auxilium contra Alexandrum agros ipſorum vaſtantem: ſed Zoili conſilia evertit Alexander, initâ ſpecie tenus cum Ptolemæo amicitiâ & ſocietate. Zoilum ex fœdere cepit Ptolemæus: deinde verò, comperto quòd Alexander clam ad Cleopatram matrem nuntios miſiſſet, fœdus cum eo initum diſſolvit, & Ptolemaïdis obſidionem meditatur, quæ illi portas clauſerat.

Faſt. Sicul. Aſcalonitæ, inter Ptolemaïdem & Gazam ſiti, anno primo Olympiadis CLXIX., quod Seleucidarum 209. reſpondet, tempora ſua dinumerant, an obtentâ ἀυτονομία, an excuſſo Syriæ Regum imperio.

AN. 210. Joseph l. 13. Lathurus memor quòd in magnam conjectus fuerat ſollicitudinem primo ſuo ad Ptolemaïdem adventu, timens ne dum eam obſidionē cingeret bello à Regibus Syriæ & Judææ eodem tempore appeteretur, amicitiam & ſocietatem cum Antiocho Philopatore, ad quem paucis abhinc annis ſex millia hominum contra Hyrcanum miſerat, junxit: quod cùm accepiſſet Cleopatra, ne filius à Philopatore ad recuperandam Ægyptum auxiliis juvaretur, ad Antiochum ejus fratrem Epiphanem, auxilium & affinitatem offerens, miſit; Alexandrumque filium per legatos in regnum revocat. Cæterùm Ptolemæus, Ptolemaïde obſeſſâ, relictiſque ad eam ducibus cum parte exercitûs, ipſe cum reliquis copiis ad vaſtandam aut domandam Judæam ſe contulit, & Alexandrum quidem magnâ clade profligavit.

Juſtin. l. 39. Ægyptia Regina, poſtquam opportunas & honorificas ſuas conditiones accepiſſet Antiochus Epiphanes, ei ingentia auxilia, & Selenem uxorem nupturam hoſti prioris mariti mittit; bellumque inter fratres pertinaciùs quàm antea renovatur.

AN. 211. Joseph. l. 15. Cleopatra, videns augeri filii potentiam, ſubjectâ Ptolemaïde & Gazæorum urbe, Judæorumque regione impunè vaſtatâ, non permittenda duxit ejus incrementa: quapropter continuò navales pedeſtreſque excivit copias, juſſoque Alexandro filio cum magnâ claſſe Phœnicen appellere, & deficientibus ad ſe ejus regionis incolis, pervenit Ptolemaïdem; unde excluſa, oppugnationem ejus urbis inſtituit. Tum Ptolemæus, relictâ Syriâ, properavit in Ægyptum, ſperans

rans ex improviso occupaturum se præsidiis vacuam; sed, opinione suâ frustratus est. SELEUC. AN. 211.

Auditis Cleopatra Ptolemæi conatibus, & quòd ei tentanti Ægyptum non ex sententiâ successerat, missâ eò parte exercitûs, omnino eum ex eâ regione expulit: atque ita rursum ex Ægypto ejectus, apud Gazam hyemem exegit. Interim illa Ptolemaïdem simul cum præsidiariis expugnat: quò cùm venisset Alexander cum muneribus, & fœdus tandem cum Reginâ apud Cæle-Syriæ urbem Scythopolim renovavit.

Alexander, liberatus metu periculi quod à Ptolemæo impendebat, expeditionem in Cæle-Syriam suscepit, & Gadara obsedit.

Arabes etiam Syriam terrestribus latrociniis infestarunt. Alexander autem Gadara post decem mensium obsidionem cepit, & paulò post Amathunte potitus est, castro omnium quæ ad Jordanem sita sunt munitissimo. Ptolemæus Gazâ relictâ, in Cyprum se recepit, Cleopatra verò in Ægyptum. AN. 212. Trog. Prol. lib. 39. Joseph. lib. 15.

Alexander, viribus post cladem à Theodoro versùs Amathuntem acceptam reparatis, aggressus maritimas regiones, Raphiam cepit, & Anthedonem armis in potestatem suam redegit. AN. 213.

Infensus Gazæis Alexander, quòd accivissent Ptolemæum Lathurum contra se in auxilium, urbem eorum oppugnavit, & agrum depopulatus est. Apollodorus, eorum dux, in Judæorum castra irrupit, unde cum mille ex suis interfectus repulsus est. Nec Gazæi quamvis gravante inopiâ voluerunt cedere, parati quidvis potiùs perferre, quàm ab hoste subigi: & addebat illis annimum Arctas Rex Arabum, auxilii spem ostentans; sed priusquam ille veniret, Apollodoro perempto civitas capta est. Nam Lysimachus ipsius frater invidens ei, quòd tam gratiosus esset apud populum, occiso eo collegit manum militum, atque ita urbem Alexandro tradidit. AN. 214.

Pacatus primò Gazam ingressus est, deinde immisit in oppidanos militem, permissâ sæviendi licentiâ, cum insigni perfidiâ, crudelitate & sacrilegio, jugulatis plerisque civibus, & diruptâ insuper urbe, reversus est Jerosolyma, anno postquam castra ad Gazam admoverat. AN. 215.

Heracleon Beræeus, licèt ab Antiocho Epiphane ad honores provectus fuisset, bene meritum de se principem regno tantùm non expulit, sed insidiis occidit, ex Josepho. Post ejus mortem in Syriâ occupasse imperium, refert Trogus. De illius militibus sic narrat Posidonius apud Athenæum: Is in solo illos decumbere jubebat, sub dio ferè mille, cùm cœnam exhiberet; edulia præbebantur ingens panis, & caro; potus verò, aliquando merum, sæpius aquâ frigida dilutum vinum. Athen. l. 4. Ant. Jud. l. 13. c. 21. Prol. l. 40. lib. 4. c. 13.

Interfectum Epiphanem scribit Josephus anno ætatis suæ quinto & quadragesimo, regni verò nono supra vigesimum. Ex nummis illum Regis nomen anno Seleucidarum 187. accepisse demostravimus, quibus additis 29. efficient an. 216. quod respondet anno quarto Olympiadis CLXX. quo mortuus dicitur in Porphyrii Fragmento. Duas duxit uxores, & quidem sorores, Tryphænam & Cleopatram Ant. lib 13. c. 2. Gr. Euseb. pag. 225.

 Sele-

SELEUC. AN. 215. Selenem: ex primâ quinque filios fuscepit, Seleucum, Antiochum & Philippum gemellos, Demetrium, & Antiochum cognominatum Dionyſum.

NUMMI ANTIOCHI EPIPHANIS.



Ex Musæo nostro.

Caput radiatum & diadematum: in cujus aversâ parte fulmen alatum, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ.

Antiochi Epiphanis cum naſo adunco effigies, ejuſque in nummo epigraphe, ad eum nummum revocant. Fulmen in Antiocho Philopatore ad Seleucienſes ad oſtia Orontis ſitos ſpectat: an primis regni Epiphanis annis cuſus ſit nummus, pronuntiare non facile eſt, deficientibus in eo litteris numeralibus. Ala fulmini ad celeritatem ejus indicandam additur.



Ex Thesauro Regio.

Caput diadematum: in cujus aversâ parte tripus, cum tribus lauri ramis, & epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ.

Tripus ad Apollinem ſpectat, à quo originem duxiſſe gloriari Seleucum Syriæ regni fundatorem diximus: aut Antiochus VIII. ex ejus ſtirpe procreatus, in Seleuci memoriam in nummo illum percuſſit; aut Antiochenſes, in cujus ſuburbio celeberrimum erat Apollinis templum, in ejus honorem ſigna-

signarunt. Lauri rami in tripodis vertice apponuntur, quòd laurus arbor in memoriam Daphnes Apollini sit sacrata. SELEUC. AN. 215.



Ex Musæo nostro.

Caput diadematum: in cujus aversâ parte duo vasa seu amphoræ dictæ diotæ, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ.

Hunc nummum Rhosi, seu Rhossi, urbis Syriæ littoralis, Seleuciæ ad Orontis ostia proximæ, signatum opinamur; conjecturamque firmat Plinius, qui fictile Rhosicum & quidem nitidissimum Romam exportari memorat. Vasa, in nummo percussa, canthari videntur esse fictiles, quorum supellectile in conviviis & cœnis in maximo usu apud Syriæ Reges fuisse narrat Rex Juba apud Athenæum. Antiochus Epiphanes noctuam in plurimis suprà vulgatis nummis amphoræ diotæ insistentem, principio regni sui in memoriam Athenarum, ubi fictilia vasa primùm inventa fuisse dicuntur, percussit: cùm iis delectaretur, Rhosi officinam constituisse videtur; cujus rei memores Rhosici, in ejus honorem vasa hæc in nummis suis percussere. lib. 6. c. 3.



Ex Musæo nostro.

Caput diadematum: in aversâ parte duplex cornucopiæ, cum teniis, & epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ.


Cornucopiæ in superioribus aliorum Regum nummis ad abundantiæ & fertilitatis signum revocavimus; si quis verò alicujus urbis peculiare symbolum esse dixerit, ei libenter assentimur.

Nummi Antiochi Epiphanis ex ære & argento obvii sunt, præsertim verò ærei.

Seleuc. AN. 216.

SELEUCUS VI.





ELEUCUS VI., Antiochi & Tryphænæ filius natu maximus, poſt mortem patris, ipſi in parte Syriæ quam occupabat, ſucceſſit. Legitimus totius imperii hæres, diadema, contra Antiochum Philopatorem patruum, regni uſurpatorem præliaturus, aſſumpſit.

Clem. Alex. in Protrept. Antiochus Philopator, cùm egeret pecuniâ, Antiochiæ Jovis auream ſtatuam, quæ erat magnitudinis quindecim cubitorum, fundi juſſit, & ex aliâ viliori materiâ ſtatuam illi ſimilem, laminis inauratam rurſum reponi.

AN. 217. Seleucus, collectis undique copiis, patriſque Epiphanis militibus adjutus, Philopatori bellum intulit. Ille, ex Antiochiâ ducto exercitu, cum eo congreſſus, prælio victus eſt; & cùm ab equo in hoſtium caſtra abriperetur, jamjam capiendus, ſeipſum interemit. (Porphyr. in Gr. Euſeb.) Illum in prælio à Seleuco captum, & neci traditum, narrat Joſephus: cum filiis Antiochi Epiphanis bello congreſſum refert Trogus.

Antiochus Philopator regnavit annos octodecim ex Porphyrio, quod nummis convenit: nam unum protulimus anno Seleucidarum 199. ſignatum. Sic mors ejus anno 217. rectè adſignatur, ſi incœpti numerantur; ſi verò integri, in annum ſequentem rejicienda eſt. (Georg. Sync. pag. 292.) Jejuna omnino eſt ultimorum Syriæ Regum Hiſtoria. Unicum

cum

cum filium è Cleopatrâ Ptolemæi Physconis filiâ nomine Antiochum reliquit, qui in Syriæ parte etiam regnavit. SELEUC. AN. 217.

Ille Rex venatione, & quidem intempestivâ, ut pater Antiochus Evergetes, delectabatur; luxui & crapulæ in initio regni deditus, mimis & histrionibus oblectabatur: operam quoque neurospasticæ dedit, maximumque studium posuit in movendis per semetipsum animalibus quinque cubitorum magnitudine, auro argentoque tectis, atque in aliis hujusce machinamentis. Cæterùm bellicis machinis ac testudinibus, quas helepoles vocant, quarum apparatus & gloriam principibus afferre, & magno usui solet esse, prorsus carebat. Arcem in urbe Apameâ exstruxit. Exc. Diod. pag. 385. Joseph. Ant. l. 14. c. 5.

NUMMI ANTIOCHI PHILOPATORIS.



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput diadematum: in cujus aversâ parte Pallas stans dextrâ victoriolam, sinistrâ clypeo insistit, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ, & litterâ initiali A. id est, ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ.

De Antiochi IX. Philopatoris illustri cognomine in superiori ejus nummo diximus. Goltzius vulgarem illius CYZICI nomenclationem in ejus epigraphe infernit, ut inter alios Antiochos illum planè denotatet: quærenda non sunt in nummis contumeliosa & lubibrii Regum cognomina. Eadem est quàm in patris Evergetis nummo Pallas, bellorum præses, summo honore apud Macedones, & à Syris Regibus prorogato cultu, observata. Littera A. ad Antiochiam urbem Philopatoris partibus semper faventem spectare videtur, quæ nummum initio ejus regni percussit, ut effigies lanugine decorata demonstrat. in Thes.

SELEUC. AN. 217.



Ex Musæo nostro.

Caput diadematum & radiatum: in averſâ parte Pallas ſtans, dext. palmam oblongam, ſin. haſtam & clypeum, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ, & litterâ H. id eſt, ΗΛΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ.

Philopator in ætate paululùm provectâ exhibetur, coronâ, ſuperiorum Regum more, radiatâ ornatus. In averſâ parte iterùm prodit Pallas, palmæ ramum, victorum mercedem, gerens, quam Antiocho gratulantes Heliopolites Libano monti propinqui, in memoriam victoriæ ab ipſo contra fratrem relatæ, in nummo percuſſerunt. Littera H. Heliopolites ipſos, ut ſæpe de initialibus egimus, indicat.



Ex Musæo nostro.

Caput diadematum: in cujus averſâ parte Bacchus ſtans, cum cotylo & thyrſo, & epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ, & litterâ initiali E. id eſt, ΕΜΙΣΟΝ.

De Baccho & ſingulari ejus apud Syriæ Reges cultu in ſuperioribus nummis, ut de hujus Dei cotylo & thyrſo, abundè dictum eſt. Littera initialis E. Emiſam urbem Phœniciæ mediterraneam juxta Libani regionem ſpectat. Hæc inter magnas & pulchras illius provinciæ civitates ab Ammiano Marcellino numeratur. (l. 14. c. 26.)

Ex



Ex Musæo nostro.

Caput diadematum: in cujus averſâ parte Jupiter ſedens, dext. victoriolam, ſin. haſtam puram, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ.

Jupiter, frequens eſt typus in Syriæ Regum nummis, dextrâ victoriolam, ſiniſtrâ haſtam gerens, cum in variis Syriæ urbibus ipſe coleretur, ad quam ex iis illum revocare difficile eſt.

Seleuco relatâ de Antiocho Philopatore victoriâ, illoque occiſo, AN. 218.
unicus ſupererat hoſtis, alter ſcilicet Antiochus, patrui interfecti filius, quem aiunt Seleuci inſidias evaſiſſe meretricis cujuſdam operâ, quæ formæ gratiâ illum adamaverat. Seleucus Antiochiam regni metropolim obſedit, & recipit; &, ob inſignem de hoſte victoriam, Nicatoris cognomen, ſervatâ patris Epiphanis nomenclatione, aſſumpſit: cujus rei teſtes ſunt nobis nummi ejus ſuperſtites Antiochiæ percuſſi. App.Syr.

NUMMI SELEUCI EPIPHANIS NICATORIS.



Ex Musæo nostro.

Caput diadematum: in cujus averſâ parte ſtat Apollo, dext. ſpiculum, ſin. innixus columnæ, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ

SELEUC. AN. 218.

ΣΕΛΕΥΚΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ, & litterâ A. id eſt, ANTIOXEΩN.

Seleucus VI., in memoriam patris, EPIPHANIS cognomen ſervavit, & in monimentum relatæ de patruo victoriæ, NICATORIS aſſumpſit: id epigraphe nummi arguit REGIS SELEUCI EPIPHANIS VICTORIS. Littera initialis A. ad Antiochenſes ſpectat, ut & Apollo: ipſi enim ob ſingularem in hunc Deum cultum, illum ſæpe in nummis ſignabant. Hic columnæ innixus conſpicitur, ut in typo APOLLINIS MONETÆ Imp. Commodi, de quo vide Triſtanum. t. 1. fol. 728.



Ex Thesauro Regio.

Caput diadematum: in averſâ parte tripus cum lauri ramis, & epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΕΛΕΥΚΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ.

Ad Seleucum VI. hunc nummum ſpectare, & effigies & illius epigraphe demonſtrant. Tripus ad Apollinem pertinet: idem typus in Antiochi patris nummis ſignatus eſt ab Antiochenſibus. De Apolline, ejus tripode, lauro, & apud ipſos cultu, ſæpe diximus.

Cùm pararet Seleucus integrum Syriæ regnum recuperare, novus illi Antiochus, Philopatoris filius, advenit æmulus, qui diadema ſibi impoſuit.



ANTIO-

ANTIOCHUS X. SELEUC. AN. 218.



ANTIOCHUS X., Antiochi Philopatoris & Cleopatræ Ptolemæi vulgò Physconis filiæ unicus filius, annos natus octodecim, pervenit Aradum Phœniciæ urbem, servatus ab insidiis Seleuci cognati. Syri pietatis merito servatum illum fuisse putant, indeque EUSEBIS, id est Pii, cognomentum, ut indicant ejus nummi, tribuerunt. Ille, deficientibus ad se patris militibus, diadema sibi imposuit, patrisque necem ulturus, bellum patrueli Seleuco intulit, quem uno prælio è totâ Syriâ expulit. Joseph. Ant. l. 13. c. 21. App. Syr.

Seleucus, fugâ delatus in Ciliciam, à Mopsueatis receptus est: cùm autem ab eis tributa exigere vellet, ipsi non ferentes exactionem, unà cum regiâ & ipsum & amicos concremaverunt. Appianus in gymnasio crematum fuisse refert, quòd violentus & tyrannicus supra modum fuerit. Eusebius ab Antiocho vivum fuisse exustum tradit. Porphyrius, cùm in urbem fugisset, & percepisset Mopsueatas vivum ipsum voluisse comburere, manus sibi intulisse narrat. Joseph. Ant. l. 13. c. 21. Syriac. Chron. in Gr. Eufeb. Scalig.

Hhh NUM-

Seleuc. AN. 218.

NUMMUS SELEUCI EPIPHANIS NICATORIS.



Ex Musæo nostro.

Caput diadematum : in cujus averſâ parte Pallas galeata ſtans, dext. victoriolam, ſin. haſtam & clypeum, ad dextrum nummi acroſterium, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΕΛΕΥΚΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ.

Ad victoriam Seleuci contra Antiochum Philopatorem pertinet hic nummus. Pallas bellorum præſes, cujus auxilio Seleucus illam reportaſſe exiſtimabat, ſignata eſt, dextrâ victoriolam gerens. Acroſterium, Sidonis urbis ſymbolum eſſe ſæpius diximus : ipſa in honorem Seleuci nummum percuſſiſſe videtur. Triſtanus, quem ſecutus eſt Patinus, ſimilem nummum Seleuco Syriæ regni fundatori incautè tribuit : optimè notavit Spanhemius ad unum ex Seleuci I. ſucceſſoribus revocari, eò quòd intercedere videretur illud Epiphanis cognomentum.

Add. ad to. 2. fol. 27.



ANTIO-

ANTIOCHUS XI.



Gffert f.

ANTIOCHUS XI., Antiochi Epiphanis & Gryphinæ filius secundus, auditâ Seleuci fratris morte, ut Syriæ regni legitimus hæres diadema assumpsit; sibique nomen EPIPHANIS in memoriam patris, adjecto PHILADELPHI cognomento, seu in ultionem fratris, seu propter amorem quo cum fratre Philippo gemello jungebatur, adaptavit. Ille coactis subitò copiis, Antiochum Euseben seu Pium, patruelem, aggreditur; sed victus, vitam simul amisit atque exercitum. Id ita evenisse narrat Porphyrius: Gemelli fratres Antiochus & Philippus adductis copiis Mopsuestiam vi ceperunt, &, fraternam mortem ulti, eam diruerunt: superveniens verò Antiochus Eusebes, eos superavit; & Antiochus, Philadelphus quidem, equo in Orontem è pugnâ fugiens, in flumine submersus est.

in Numm.

Joseph. Ant. l. 13. c. 21.

Gr. Euseb. pag. 227.

SELEUC.
AN. 219.

NUMMUS ANTIOCHI EPIPHANIS PHILADELPHI.



Ex Musæo nostro.

Caput diadematum : in cujus averſâ parte Pallas galeata, dext. victoriolam, ſin. haſtam & clypeum, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ, & litterâ Φ. id eſt, ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ, ſub quâ uvæ racemus.

Inſignis & perelegans eſt hic nummus, qui Antiochi XI., ex Antiochi Epiphanis filiis ſecundi, effigiem exhibet. Omnes inter tot Syriæ Antiochi nominis Reges proprium ſibi cognomen, & quidem alii ab aliis diverſum aſſumpſère : neceſſaria & ampla illa cognominum, id genus ſupellex, illud beneficium vel commodum adfert, ut confuſos aliunde Antiochos diſtinguere, & illuſtres eorum appellationes, de quibus ſilent fermè authores, ex iiſdem deprehendere liceat. Hic Antiochus epigraphen, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ præfert. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ titulum, ut & frater Seleucus, in patris memoriam retinuit: ſed, ne cum patre & aliis ejuſdem cognominis confunderetur, ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ nomenclationem vindicavit, ob ſingularem erga fratrem Philippum amorem, cùm eſſet ex uno partu cum ipſo editus, & unâ copias contra Antiochum Pium junxiſſent.

Littera Φ. initialis, id eſt ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ, Philadelphenſes Cæle-Syriæ in honorem Antiochi Philadelphi, cùm filiis Antiochi Epiphanis faveret, nummum ſignaſſe indicat. Hæc ejus provinciæ urbs illuſtris, à Ptolemæo Philadelpho condita, in memoriam forſan conditoris, Antiocho ejuſdem nominis Philadelpho gratulatur. Uvæ racemus urbis ſymbolum eſt, utpote quæ agros vini generoſi habet feraces.



PHI-

PHILIPPUS.

SELEUC. AN. 219.





HILIPPUS, tertius Antiochi Epiphanis & Tryphænæ filius, post mortem Antiochi Philadelphi diadema assumpsit, acceptoque Regis nomine, EPIPHANIS, in memoriam patris, ut alii fratres, & PHILADELPHI ob amorem erga fratrem cujus erat gemellus, cognomina sibi imposuit. In parte Syriæ, Antiocho Eusebe alteram occupante, regnavit ex Porphyrio anno tertio Olympiadis CLXXI. id est Seleucidarum 219. Uterque æstimabiles copias habens, ipsi de universo Syriæ regno obtinendo inter se decertarunt; sed, mutuis cladibus fracti, neuter victor extitit. in Græc. Eufeb.

Antiochus Eusebes, Cleopatræ Selenes, Antiochi Epiphanis patrui sui paucis abhinc annis viduæ, nuptias sollicitavit: ipsa patri ejus Philopatori non nupsit, ut narrat Appianus; primo quidem matrimonio juncta fuit Ptolemæo fratri Lathuro, ex quo duos filios habebat, quando mater ab eo illam eripuit, & Antiocho Epiphani tradidit; sed cùm Selene, præter communia hæc nuptiarum vincula, lubens Antiocho Eusebi nupsisset, iratus Ptolemæus, novum marito, cujus patrem auxiliatus fuerat, & cum quo societatem inierat, hostem quæsivit, accersitumque è Cnido Cariæ Demetrium, Antiochi Epiphanis quartum filium, in Syriæ regni partem validis copiis promovit. AN. 220.

Iii DEME-

DEMETRIUS III.



Gyffart f.



Joseph. Ant. l. 13. c. 21.

DEMETRIUS III., Antiochi Epiphanis & Tryphænæ quartus ex numero filius, à Ptolemæo Lathuro adhuc exule, insulamque Cyprum semper occupante, Cnido Cariæ urbe, in quam se receperat, accitus, Rex Damasci constituitur. Ille tum, cum Philippo fratre societate initâ, copias contra Antiochum Eusebem conjunxit, quibus hic primò strenuè resistit; sed postea, ab iis profligatus, ad Parthos fugere coactus est. Josephus brevi extinctum ait, sicque rem narrat: Vocatus in auxilium Laodices Galadenorum Reginæ bellum cum Parthis gerentis, fortiter in prælio dimicans occubuit; quo facto Syriæ regnum remansit penes duos fratres Philippum atque Demetrium.

AN. 222. Corruptus admodum videtur Josephi locus, aut ipse penitus errat. Antiochus enim Eusebes vocatus in auxilium Laodiceæ Galadenorum

Gr. Euseb. Chronic. Syriac. regionis urbis, cum fratribus dimicavit. Superatus, ad Parthos fugere coactus fuit, teste Porphyrio: id confirmat Eusebius, qui ait eum è Parthiâ reversum; & Appianus, qui Antiochum Eusebem à Tigrane regno pulsum fuisse narrat. Nec verisimile est illum alieno bello immiscere se, cùm duos fratres contra se de regno certantes haberet, voluisse. Hujus Parthici belli apud scriptores nulla fit mentio,

tio, nec unqam Galadenorum fuit Regina, sed Galadena regio est trans Jordanem, in qua sita est urbs Laodicea. SELEUC. AN. 223.

Judæi, qui contra Alexandrum Regem insurrexerant, & crebris præliis intra sexennium cum illo decertaverant, ita ut non minùs quàm quinquaginta millia Judæorum occisa sint; cum illos verò Rex, etsi superior, ad reconciliationem hortaretur, eorum odia magis accenderat: & cùm Rex militibus Syris non uteretur, Judæi ad Demetrium miserunt, qui ab illo auxilio peterent. Joseph. l. 13.

Demetrius, veniens cum exercitu, conjunxit se cum eis qui se acciverant, & circa Sicima castra posuit. Alexander verò cum mercenariorum sex millibus & ducentis insuper, Judæorumque suæ factionis viginti millibus, illi occurrit: habebat autem ille equitum tria millia, peditum verò quadraginta. Itaque multa utrimque tentata sunt, dum hic mercenarios utpote Græcos ad defectionem sollicitat; ille verò stantes cum Demetrio Judæos: sed quia neuter his artibus quidquam proficiebat, postquam visum est armis decernere, victoria fuit penes Demetrium. Hinc nummus videtur cusus, in quo ipse ΚΑΛΛΙΝΙΚΟΥ cognomen accepit In prælio miles Alexandri conductitius ad unum cæsus est, navatâ priùs forti ac fideli operâ: & ex Demetrianis multi desiderati sunt. Cæterùm, postquam Alexander ad montes perfugisset, miserati ejus fortunam confluxerunt ad eum circiter sex millia, quorum metu Demetrius retrò abiit, sed potiùs ad ultionem contra fratrem Philippum. AN. 224. in Numm. Jo. Vaillant.

Antiochus Pius, à Parthis reversus, suam Syriæ partem, quam per biennium Philippus occupaverat, recuperavit: & ut hic id damnum resarciret, de regno Demetrii fratris, qui erat in Judæâ, ditioni suæ adjiciendo contendit: quo accepto, Demetrius, relictâ Judæâ, profectus Beræam, Philippum fratrem oppugnavit in eâ, habens secum decem millia peditum & mille equites. Straton verò Beræa tyrannus, & Philippi socius, Zizum principem Arabum excivit, & Mithridatem Sinarem præfectum Parthorum, qui, postquam venerunt, cum magno exercitu Demetrii castra oppugnaverunt, & tam siti, quàm millium telorum multitudine, deditionem cum suis facere coëgerunt; abductâque ex eâ regione prædâ maximâ, Demetrium captivum ad Mithridatem Parthorum Regem miserunt: Antiochenses verò, quotquot in castris inventi sunt, gratis dimissos redire Antiochiam passi sunt, ad quam statim post hanc pugnam profectus est Philippus. AN 225. Porphyr. in Gr. Euseb. Joseph. Ant. l. 13. c. 21.

Demetrius, anno quinto captus, regnavit in parte Syriæ seu Damasci per annos quatuor exactos. Myrinam Samiam meretricem habuit omnium fortunarum suarum participem, excepto diademate. Apud Parthum Regem in omni honore habitus est, donec ibi morbo assumptus decessit. Vales. Exc. N. Damasc. Joseph. l. 13. c. 21.

SELEUC. AN. 225.

NUMMUS DEMETRII PHILOMETORIS EVERGETIS CALLINICI.



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput lanugine ornatum cum diademate: in aversâ parte fulmen coronatum, sellæ seu aræ impositum, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΦΙΛΟΜΗΤΟΡΟΣ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ ΚΑΛΛΙΝΙΚΟΥ.

Tres in serie Seleucidarum Reges Demetrii nomine ab authoribus statuuntur, unus SOTER, alter filius ejusdem NICATOR, quibus tertius additur ex Josepho & Appiano, vulgò EUCÆRUS appellatus, Antiochi scilicet Epiphanis vulgò Grypi filius: sed ut ΓΡΥΠΟΥ in patre, sic in filio ΕΥΚΑΙΡΟΥ cognomen non occurrit, utrumque minùs decorum est; solus noster nummus illustrem illius appellationem exhibet ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΦΙΛΟΜΗΤΟΡΟΣ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ ΚΑΛΛΙΝΙΚΟΥ. Hunc vulgavit ectypum Spanhemius; ad quem verò Demetrium Regem nummum revocare planè incertus. (Differt. 5. fol. 379.)

Demetrius III., à Ptolemæo Lathuro ad regnum Damasci accitus, Seleuciam ad ostia Orontis sitam appulisse videtur, cùm ipsi Seleucienses, quorum fulmen esse symbolum sæpius diximus, in ejus honorum hunc nummum tantis nominibus illustrem percusserint. Demetrius, ΦΙΛΟΜΗΤΩΡ ob summam erga matrem pietatem vocatus est; ΕΥΕΡΓΕΤΗΣ, ut sibi populorum benevolentiam conciliaret; ΚΑΛΛΙΝΙΚΟΣ, ob victorias, tum contra Antiochum Eusebem cum fratre Philippo, tum contra Alexandrum Judæorum Regem relatas.



ANTIO-

ANTIOCHUS XII.

SELEUC. AN. 225.





NTIOCHUS XII., quintus & novissimus Antiochi Epiphanis & Tryphænæ filius, auditâ fratris Demetrii captivitate, & Philippi versùs Antiochiam profectione, Damascum, principatum ambiens, pervenit, & ibi rerum potitus, Rex factus est: diademate autem assumpto, EPIPHANES DIONYSUS appellatus est. Joseph. l. 15.

Cùm exercitum Antiochus Dionysus contra Arabas duxisset, frater ejus Philippus hoc audito Damascum advolat: & cùm operâ Milesii arcis præfecti urbe Damascenorum potitus esset, per ingratitudinem non remuneravit eum, quòd vellet videri terrore urbem, non proditione, cepisse. Quapropter suspectus ei redditus, rursùm Damascum amisit: progressum enim in circum animi gratiâ Milesius excludit, & urbem servavit Antiocho. Ille interea, auditis de Philippo rumoribus, confestim rediit ex Arabiâ. AN. 226.

Antiochus cum Philippum è ditione suâ profectum reperisset, rebusque suis compositis, eòdem rediens, per Judæam transiit cum exercitu octo millium peditum & equitum octingentorum: cujus invasionem Alexander metuens, fossam profundam duxit à Caparsate, quæ postea Antipatris dicta est, usque ad Joppense mare, quâ solùm patebat accessus; excitatoque muro, & per intervalla castellis li- AN. 227.

Kkk gneis

SELEUC. AN. 227. gneis per centum & quinquaginta ſtadia, præſtolabatur Antiochum: at ille, omnibus his incenſis, traduxit hàc exercitum in Arabiam. Cùm Arabs primùm ceſſiſſet, deinde cum decem equitum millibus apparuiſſet, occurrens ei Antiochus, præliatus eſt acriter; jamque de victoriâ certus, occiſus eſt dum alterum ſuorum cornu laborans vult in integrum reſtituere. Poſt ejus caſum exercitus ejus refugit in vicum Cana, ubi maxima ejus pars fame abſumpta eſt.

Antiochus XII., ultimus filiorum Antiochi Epiphanis, & non ultimus Seleucidarum, ut quidam ex Joſepho autumant, anno ſui regni tertio, ut videtur apud authores, occiſus eſt, quem ex pluri-mis ejus nummis & maximè obviis diutius regnaſſe auguramur.

NUMMI ANTIOCHI EPIPHANIS DIONYSI.



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput radiatum & diadematum: in cujus averſâ parte Bacchus ſtans, cum cotylo & thyrſo, & epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΔΙΟΝΥΣΟΥ.

Ant. lib. 13. c. 23. Antiochus XII., Antiochi Epiphanis noviſſimus filius, à Joſepho DIONYSUS cognominatus, in hoc nummo exhibetur, ſed eleganti adhuc appellatione EPIPHANIS ornatus, quam ut fratres in patris memoriam accepit, aut eâ potiùs à Damaſcenis donatus eſt, inſigni eorum erga ipſum benevolentiâ; quæ tanta fuit, ut qui Liberum patrem ſeu Dionyſum ſummo cultu venerabantur, Antiochum ΕΠΙΦΑΝΗΝ ΔΙΟΝΥΣΟΝ ut viſibilem Bacchum nominaverint, quaſi Dionyſus illis in præſenti ſuarum rerum æſtu Deus apparuiſſet: quam verò appellationem tanquam cognomen in ejus nummis conſignarunt, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΔΙΟΝΥΣΟΥ. & ipſius Bacchi cum cotylo & thyrſo in averſâ parte effigiem, ut unus & idem videretur.

Ex



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput diadematum, coronâ radiatâ & hederaceâ ornatum: in cujus aversâ parte Elephas facem accensam promuscide gerens, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΔΙΟΝΥΣΟΥ.

Iterum prodit Antiochus Dionysus hederaceâ coronâ ut alter Bacchus insignitus. Hæc autem Libero dedicatur ut qui potum invenit, malis inde nas- Athen. l.
centibus succurrit: hedera enim ex ebrietate capitis dolorem sanare creditur. 15.
Elephas in nummo proboscide facem ardentem gestans depingitur, ad demon- Spanh.
strandam hujus animalis industriam tot Scriptoribus decantatam. An non Diss. 5.
etiam hæc lumina Baccho sacra spectant? Satyri enim in Bachicâ pompâ à Pto- fol. 126.
lemæo Philadelpho ordinatâ lampadas gestabant: & ut Elephanti ipsi in eâdem
pompâ Bacchi ex Indiâ reditum honorantes prodibant, ipseque Deus Ele- cap. 37.
phanto insidebat; sic illa animalia in illius sacris lumina gestare in Syriâ forsan edocta sunt, unde morem illum λυχνοφόρων Elephantum acceperit Julius Cæsar, de quo Suetonius: *Ascenditque Capitolium ad lumina quadraginta Elephantis dextrâ atque sinistrâ lychnos gestantibus.*



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput radiatum & diadematum: in aversâ parte Panthera, quid teneat dentibus ignotum, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΔΙΟΝΥΣΟΥ, & litteris ΣΤΑ.

Ad Bacchum spectat Panthera in nummo signata, quæ huic Deo comes adjungitur, sacraque ei dicitur. Illa Bacchi symbolum vocatur. Philostratus, Imag.
παρδάλις τοῦ Θεοῦ σύμβολον, in quas proinde conversas Bacchi nutrices vulgò fabu- Spanh.
lantur: Diss. 3.

Seleuc. An. 227. lantur: nota etiam ratio ejus rei petita ex naturâ & indole illius animalis, quod vino imprimis deditum narrant; unde mos veteribus ad Bacchi pedes in ejus nummis aut in ejus simulachris Pantheriscum statuere. De litteris Σ I .. utrum ad urbem, an ad annos Seleucidarum spectent, judicet peritior; in plurimis enim Antiochi Dionysi perspicuè observantur.



Ex Musæo nostro.

Caput radiatum & diadematum: in aversâ parte vas diotum, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΔΙΟΝΥΣΟΥ.

Plurima vasa Baccho ab antiquis consecrata sunt, cotylus, carchesium, scyphus, crater, & cantharus: hoc in nummo non videtur esse cotylus unâ tantùm parte auritus, nec carchesium auribus utrimque ad fundum usque descendentibus. Crater vas est amplum, plurimarum amphorarum capax. Scyphus valdè latus est, latioreque fundo, Herculi potius, ex Macrobio, quàm Baccho sacer. Cantharum esse arbitramur, à Canthara figulo nomen habens: vas autem fictile est, auribus utrimque usque ad collum demissis, quo Bacchum usum fuisse narrant. Illud in nummo Antiochi Dionysi, in ejus ut alterius Dionysi honorem signatur.

Athen. l. 11 c. 7. Saturn. 5. c. 11. Athen. ibid.

De palmæ ramo Apameæ urbis symbolo dictum est.



Ex Musæo nostro.

Caput radiatum & diadematum: in cujus aversâ parte Apollo nudus stans, dextr. telum, sinistr. innixus tripodi, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΔΙΟΥΝΣΟΥ.

Re-

Reges Syriæ, à Seleuco I. Seleucidarum imperii fundatore originem ducere SELEUC.
gloriantes, Apollinem in ipsius generis memoriam nummis & monumentis pu- AN. 227.
blicis sæpe consignabant. Antiochus, à Damascenis DIONYSUS cognominatus,
Apollinem in nummis signavit, seu ut originem denuntiaret, seu ut idem &
unus Apollo seu Bacchus videretur: conjuncta enim Apollinis & Bacchi numi-
na ex Macrobio liquet, qui Solem & Liberum eundem putat; quod confirmat Saturn. l.
etiam alicubi Servius his verbis: *Unde eundem Solem, eundem Liberum, eundem* 1. c. 17.
Apollinem vocant. Præterea Dio Chrysostomus tradit Rhodios, Solem, Apol- ad Geor. 1.
linem, & Dionysum seu Bacchum, eundem reputare. Orat. 31.



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput radiatum & diadematum: in cujus aversâ parte galea cum ingenti cornu & appendicibus, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΔΙΟΝΥΣΟΥ, & litteris ΤΡΥ. circa galeam.

De galeâ cum cornu in nummo Tryphonis seu Diodoti diximus veteres in bello galeis militaribus præfixa vulgò ad terrorem hostium habuisse animalium cornua. Antiochus, Arabas Cœle-Syriam infestantes reprimere festinans, galeam hircino cornu instructam gestavit, qualem se hostibus terribilem foret ostensurus, cujus memoriam hoc in nummo signare voluit: mos enim erat Regum & Heroum κερατοφόρεις prodire. Sic in nummis Antigonus Macedoniæ Rex, Tutor vocatus, cornibus hircinis, ut placet Villalpando, & ut Philippus Persei pater, quem in nummo Marciæ gentis F. Ursinus incautè tribuit, de quo nobis est ad amicum Dissertatio, cornibus hircinis ornatus uterque exhibetur. Sic prodibat Pyrrhus Epirotarum Rex, quem etiam hircina cornua in galeâ gestasse
apud Plutarchum legitur. in Pyrrh.

Litteræ ΤΡΥ. id est τρυφαλὴ aut τρυφάλεια, galea, quæ in nummo signata est, vel τρύφων, id est galeatus, ut suprà in Diodoto diximus, qui Tryphonis nomen assumpsit, quasi sibi regnum armatus quæsivisset. Τρύφων à quodam nomine primitivo exoleto videtur dictus, unde nomen productivum τρυφαλὴ & τρυφάλεια, ut testamentum à verbo testis.

Philippus, solus è filiis Antiochi Epiphanis superstes, bellum acer- AN. 228.
rimè cum Antiocho Pio renovat, uterque de Syriâ decertaturus.
Damasceni verò, qui nullum auxilium ab iis expectabant, cùm Ptole- Jos. Ant.
mæum Mennæi cujusdam filium, Chalcidis ad montem Libanum Dy- l. 13. c.
nastam, gravem urbi vicinum, odio prosequerentur, ut se ab illo li- 23.

Seleuc. AN. 218. berarent, Aretam, Arabiæ Regem, ad Cæle-Syriæ regnum appellarunt.

Justin. l. 40. Syri etiam, cùm inexplicabili bello, primò mutuis fratrum odiis, & mox filiis inimicitiis parentum succedentibus, Reges & Regnum Syriæ consumptum animadverterent, ad externa populus auxilia concurrit, peregrinosque sibi Reges circumspicere cœpit. Itaque, cùm pars Mithridatem Ponticum, pars Ptolemæum ab Ægypto arcessendum censeret, occurreretque quòd Mithridates implicitus bello Romano esset, Ptolemæus quoque semper hostis fuisset Syriæ; omnes in Tigranem Regem Armeniæ consensêre, instructum, præter domesticas vires, & Parthicâ societate, & Mithridatis affinitate.



TI-

TIGRANES.



TIGRANES, Tigranis filius, Armeniæ Rex, originem ab Artaxiâ uno è præcipuis Antiochi M. ducibus trahebat, qui, ab ipso Armeniæ majori præfectus, provinciam illam armis subegit, & inde proprium regnum sibi & successoribus constituit: ipse obses Parthis ante multum temporis datus, ab iisdem anno Seleucidarum 217. in paternum Armeniæ regnum restitutus fuit. Cleopatram, Mithridatis Ponti Regis filiam, anno 223. uxorem duxit; & postea, à socero ad societatem Romani belli quod meditabatur pellectus, pace tandem initâ, in regnum Syriæ accitus, copias, quas pro Mithridate collegerat, in Syriam transtulit. Strab. l. 11.

Pauca narrantur de Tigranis in Syriâ gestis. Appianus ait: Tigranes, subjugatis circumvicinis gentibus, quæ prius proprios Regulos habuerant, Regem Regum se existimans, Seleucidas infestavit detrectantes ejus imperium, Antiochum Pium vicit, qui, ipsius violentiam cùm non posset sustinere, latuit. Omnes cis Euphratensium Syrorum gentes Ægyptum usque perdomuit; simulque occupavit Ciliciam, & ipsam Seleucidis patere solitam. Plutarchus inquit: Rex Regum Tigranes Syriam obtinet ac Palæstinam, Reges Seleucidas subtollit, eorum filias ac conjuges sedibus abstractas abducit. Prolog. Trogi Pompeii: Extinctâ regali Antiochorum Domo, Tigranes Armenius Syriam occupavit. Omnibus Magadates Regis sui nomine cum exer- App. Syr. in Lucul. lo. lib. 40.

 citu

expeditionem suscipit adversus Judæos; &, devicto apud Adida Alexandrro eorum Rege, certis conditionibus reduxit suos unde venerat. SELEUC. AN. 229.

Alexander, pace cum Aretâ Arabum Rege factâ, adversùs vicinos Syriæ subditos exercitum ducit, Diam urbem oppugnat, & vi cepit: ad Essam vel Gerasam inde duxit, ubi erant Zenonis res pretiosissimæ; & primùm triplici muro locum circumdedit. Dein, expugnato oppido, ad Caulanum duxit & Seleuciam; &, subactis his quoque, redegit in suam potestatem vallem quæ Antiochi dicitur, & castellum Gamala: tertio demùm anno reduxit exercitum. Jos. Ant. l. 13. c. 23. AN. 230. AN. 231. AN. 232.

Per hæc tempora Judæi Syrorum, & Idumæorum, & Phœnicum urbes tenebant, horum ad mare Stratonis turrim, Apolloniam, Joppen, Jamniam, Azotum, Gazam, Anthedona, Raphiam, Rhinocoruram: in mediterraneis per Idumæam regionem Adora & Marissam, totamque Samariam, & montes Carmelum & Itabyrium, ad hæc Scythopolim, Gadara, Gaulanitidem, Seleuciam, Gabala; & Moabiticas urbes, Esebonem, Medabam, Lempam, Oronas, Telithonem, Zaram, Aulonem Cilicium, Pellam; hanc ultimam diruerunt, quòd incolæ recusarent Judaïcos ritus recipere: possidebant & alia Syriæ non obscura oppida, quæ imperio suo noviter adjecerant. Multæ etiam aliæ urbes, Seleucidis subjectæ, à tyrannis propriis erant occupatæ.


Alexander belli requiem, morbi habuit principium, ex temulentiâ morbo contracto, & triennio integro quartanâ laborans, nec tamen abstinens à castrensibus officiis, tandem haustis viribus, fato concessit in Gerasenorum finibus, obsidens Ragata castellum ultra Jordanem situm, quod Alexandra Regina expugnavit. AN. 233. AN. 234. AN. 235.

Antiochus Pius interea, seu in Ciliciæ angulo, seu in Commagene, semper latuit; & ubi, & quando, mortuus sit, incertum est: paucis tamen abhinc annis ex Ciceronis infrà verbis decessisse auspicamur, antequam ejus filii Romam iverint pro Ægypti regno: nam sine stirpe regiâ Ptolemæus Alexander è fatis concesserat, & Auletes nothus erat, qui tamen usurpatam Ægyptum ingentibus pecuniis, quibus amicitiam Populi Romani mercatus est, sibi asseruit. Antiochus reliquit duos filios, Antiochum & Seleucum.



SELEUC. AN. 235.

NUMMI ANTIOCHI EUSEBIS.



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput lanugine ornatum cum diademate : in aversâ parte Victoria gradiens, dextrâ coronam, sinistrâ palmam, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΥΣΕΒΟΥΣ.

Antiochus in Syriæ Regum serie decimus, Antiochi noni Philopatoris cognominati, vulgò Cyziceni, & Cleopatræ Ægyptiæ sororis Tryphænæ jussu peremptæ filius fuit, *quem*, ait Appianus, *Seleuci patruelis insidias evasisse putant Syri, pietatis merito, ideoque PIUM cognominarunt : servatus est autem à meretrice, adamatus formæ gratiâ.* Sed proculdubio pietate insigni in parentem PIUS cognominatus est. Lanugine decoratus est, ut qui octodecim annos natus regnum suscepit.

Victoria in nummo signata videtur in memoriam illius quam in patruelem Seleucum IV. Epiphanem Nicatorem nuncupatum retulit, quem uno prælio è totâ Syriâ expulit.



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput diadematum : in aversâ parte Jupiter sedens, dextrâ victoriolam, sinistrâ hastam, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΥΣΕΒΟΥΣ ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ.

An-

Antiochus X. hoc in nummo argenteo tetradrachmo PHILOPATORIS cognomen EVSEBI adjunxit, ob singularem erga Antiochum IX. carissimum parentem pietatem, quem à Seleuco Epiphane Nicatore captum & cæsum refert Josephus. SELEUC. AN. 235. Ant. lib. 13. c. 21.

Jupiter sedens, cum victoriolâ & hastâ, frequens est in Seleucidarum nummis typus, de quo sæpius dictum est.



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput diadematum, & barba lanugine ornata: in aversâ parte duo pilei cum appendicibus, galeris seu pileis ornati, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΥΣΕΒΟΥΣ ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ.

Epigraphe nummum ad Antiochum Eusében revocat. Stellæ galeris seu pileis impositæ ad Castorem & Pollucem spectant: ipsi ab antiquis fratres pileati dicebantur, *à pileatis nova fratribus pila.* Castor & Pollux διόσκυροι fratres, Jovis ex Ledâ filii, ut adoleverunt, mare piratis liberarunt, & ob id Dii maris habiti sunt, quos in tempestate nautæ solent implorare. Tandem cùm Castor diem suum obiisset, Pollux, qui erat immortalis, fratris desiderio à Jove petiisse fertur, ut immortalitatem suam cum fratre posset partiri; quare alterni mori traduntur, & reviviscere: quod ideo fingitur, quia horum stellæ, quæ Geminorum signa dicuntur, ita se habent, ut occidente unâ, oriatur altera. Catulus. Servius.

A Tripolitanis Phœniciæ littoralis, quorum symbolum in nummis Dioscurorum pilei exhibentur, signatus est nummus, quando Antiochus Eusebes Aradum pervenit, ut inquit Josephus. Tripolis verò, ut Aradi colonia, & quidem proxima, Eusebis partes videtur secuta. Capita Castoris & Pollucis, seu eorum pilei astris ornati, in nummis Imperatorum Romanorum cum epigraphe ΓΡΙΠΟΛΕΤΩΝ frequenter percutiuntur. Tripolitani, ad mare siti, Castorem & Pollucem ut Deos servatores colebant, in quorum honorem templum ædificasse docent nummi Elagabali & ejus matris Soenicadis, in quo Castor & Pollux stantes & hastati, ut solent depingi, observantur.

Post mortem Antiochi Pii, ejus filii, cùm non possent ob diuturnum bellum Mithridatis in paternum regnum, quod occupabat Armenius ejus gener Tigranes, per Romanos restitui, ipsos de Ægypto obtinendo sollicitarunt, ut refert Cicero. Reges, ait, Syriæ Regis Antiochi filii pueri Romam venerunt; non propter Syriæ regnum, nam id sine controversiâ obtinebant, ut à patre & à majoribus acceperant; sed quia regnum Ægypti ad se & ad Selenem matrem suam per- AN. 240. Or. 4. in Verr.

SELEUC. AN. 241. tinere arbitrabantur : ibique biennium, ferè comitatu regio atque ornatu morum, traxerunt.

Cic. Or. 6. in Verr. Cùm biennium Antiochus, qui vulgò Asiaticus, quòd in Asiâ educatus fuerat, cognominabatur, Romæ commoratus fuisset, & per Senatum quæ de regno Ægypti postulaverat, obtinere non potuisset, in patriam rediit; &, iter per Siciliam facere volens, Syracusas venit, ibique in domo Q. Mutii Rufi diversatus. Candelabrum ille secum attulerat è gemmis clarissimis opere mirabili confectum, in Capitolio ponendum; sed quia nondum erat perfectum, statuit id secum in Syriam reportare, & cùm Jovis simulachrum dedicaretur, cum cæteris rebus illud quoque donarium per legatos in Capitolium remitteret: sed & hoc candelabrum, & non pauca etiam pocula aurea gemmis distincta, & trullam vinariam ex unâ gemmâ prægrandi excavatam, Verres Siciliæ prætor per fraudem illi abstulit, & sua reposcentem de provinciâ ante noctem discedere jussit, comperisse se dicens ex ejus regno piratas esse venturos.

AN. 243. Selene, ubi accepit profligatum planè Mithridatem, & in Armeniam ad generum Tigranem fugisse, Romanos in eam descensuros putavit, & sic Regem Syriæ rebus vacare non posse, urbes & populos Jos. Ant. l. 13. c. 24. sollicitavit, incolisque author fuit ut Tigranem excluderent: erat autem iis intolerandum ejus imperium. Tigranes, accepto defectionis nuntio, cum quinquaginta militum millibus descendit in Syriam. Ptolemaidem profectus, eam obsedit: ad eum Alexandra, Judæorum Regina, legatos misit. Ptolemaide tandem expugnatâ, rebusque Phœnices compositis, Tigranes exercitum in Commagenam duxit, Selenemque belli authorem in Mesopotamiæ castello Seleuciâ aliquandiu obsessam interemit.

NUMMUS REGINÆ SELENES.



Ex Musæo nostro.

Caput muliebre diadematum, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΣΗΛΗΝΗΣ: in aversâ parte aquila insistens fulmini, cum inscriptione, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ.

Exi-

Seleuc. AN. 243.

Eximiæ raritatis & elegantiæ prodit nummus Selenes : illa Ptolemæi vulgò Physconis Ægypti Regis & Cleopatræ ejus neptis & uxoris filia natu minima, Cleopatra quidem vocata, sed ob seniorem ejusdem nominis sororem, Antiocho vulgò Cyziceno nuptam, quæ Appianum induxit forsan in errorem de ejus cum ipso matrimonio. SELENE, id est Luna, cognominata, Lathuro fratri, cùm ex voluntate matris Cleopatra senior ab ipso dimissa esset, in uxorem data est ; sed post aliquot annos, cùm ille in exilium pulsus esset, ei erepta, licèt duos haberet ex fratre filios, paucis abhinc annis ad Antiochum VIII. Epiphanem cognominatum, cum ingentibus contra Antiochum vulgò Cyzicenum auxiliis, ei nuptura missa est : mortuo verò Antiocho VIII. vulgò Grypo nuncupato, non Antiocho vulgò Cyziceno, ut lapsus est Appianus, sed ejus filio Antiocho X. Pio vocato nupsit, ex quo duos filios habuit Antiochum XIII. vulgò Asiaticum, & Seleucum vulgò Cybiosactem, quem Berenice Auletis filia ad Ægypti regnum vocatum, deinde occidit.

Nummus quidem in Syriâ non est percussus, sed dum Selene in Ægypto cum Lathuro fratre & marito Regina vocabatur, ut epigraphe ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ cum aquilâ Ægypti Regum symbolo arguit ; rarissimam tamen ejus effigiem vulgare, antiquitatis studiosis non ingratum fore putavimus. ΣΗΛΗΝΗ verbum in nummo constanter legitur, quod per dialectum H pro E scriptum est. Luna communi linguâ Σελήνη vocatur, derivaturque à verbo σέλας, id est, lumen seu fulgur. Illa dicta est παρὰ τὸ σέλας, teste Hesychio, ut & Latinis Luna à lucendo : Dialectus Attica, Ionica, & Æolica mutant E in H.

App. Syr.

Lucullus qui Mithridatem profligaverat, Appium Claudium ad Tigranem, qui illum exposceret, legatum misit ; cùmque Antiochiam pervenisset, ibi operiri jussus est. Interea Tigranes expugnatâ Seleuciâ in urbem rediit : & cùm Appius legatus palam dixisset, se venisse ut Mithridatem Luculli triumphis adduceret, alioqui Tigrani bellum se indicere, Tigranes responsum dedit Appio, universorum se criminationem hominum meriturum, si uxoris patrem hosti traderet ; se igitur non deserturum Mithridatem, & Romanis, si bellum inferrent, restiturum. Ex quo responso Ephesi accepto Lucullus bellum cum Tigrane gerendum decrevit.

AN. 244. Plut. in Lucull. App. Syr.

Tigranes, compositis Syriæ rebus, in Armeniam reversus est, Tigranocertæ commoratus. Lucullus in Pontum iterùm contendit, & Sornatio ad ordinandam gubernandamque provinciam cum sex hominum millibus relicto, expeditionem contra Tigranem suscepit, versusque Armeniam atque Euphratem iter intendit. Tigrani nemo de Luculli in Armeniam ingressu quidquam referre audebat, nisi Mithrobarzanes monuisset; qui illicò missus est in Lucullum, cum mandatis ut eum ad se vivum attraheret, cæterosque obtereret: sed, Mithrobarzane occiso, copiisque ejus deletis, Tigranes Tigranocertam reliquit, & undique copias contraxit.

Magadates, qui Tigranis nomine per annos quatuordecim Syriæ præfectus fuerat, exercitum in Regis auxilium inde abduxit; & sic Syria, ab Armenis vacua, à Seleucidis iterum occupata est: nam interim Antiochus Pii filius, non invitis Syris, in regnum se se insinuavit.

SELEUC. AN. 244.

NUMMI REGIS TIGRANIS.



Ex Musæo Abb. de Camps.

Caput tiarâ & diademate ornatum: in aversâ parte figura muliebris insidens scopulis, dextrâ palmæ ramum, pede dextro fluvium adnatantem calcat, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΤΙΓΡΑΝΟΥΣ.

Nummus Tigranis Armeniæ Regem à Syris in eorum regnum accitum exhibet: ille solo Regis nomine donatur, nec titulis Αὐτοκράτορος & Επιφάνοις à Goltzio vulgatis, & nunquam à nobis observatis, hic exponitur. Diadema Armenio more tiaram circuit, quod capitis insigne *Cydarum* vocat Plutarchus, qualem Tigranes ipse ad Pompeii M. pedes projecisse Dio meminit. Aves tiaræ insculptas, falcones suspicatur Cl. Spanhemius, sed constanter pro aquilis dignoscuntur. An illæ duarum Armeniarum, quibus imperabat Rex, symbolum, ut Sol Antiochiæ insigne, in quâ signatus est nummus, perhibetur, quasi Armeniarum & Syriæ regnorum insignia tiaræ inscupta Tigranes gestaret.

in Thes. de Fort. Alexand. lib. 36. Diss. 5.

De muliere, in aversâ parte sedente, infrà dicendum.

Nummi Tigranis eximiæ sunt raritatis.

Ex



Ex Musæo nostro.

Caput tiarâ cum appendicibus & diademate insigne: idem quàm superioris nummi typus, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΤΙΓΡΑΝΟΥΣ.

Tigranes hoc in tarissimo nummulo augustam illam Regum Regem, jamdudum ab Arsacidis usurpatam, appellationem vindicat, quam multis jam debellatis Regibus usurpaverat. Cydaris ejus non aquilis, ut in superiori nummo, sed Sole tantùm Antiochensium symbolo insignitur: Antiochiæ enim percussus est nummus. Figura muliebris capite turrito insidens rupibus, genius est urbis: id multi Antiochiæ urbis nummi cum ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ epigraphe confirmant. Mulier dextrâ palmæ ramum gerens, frequens Syriæ seu Antiochiæ symbolum est. Turrita signatur, ut solenne magnarum urbium ornamentum: sedet in rupibus, situm urbis partim in clivo indicans. Figura virilis medio corpore, non Euphratem aut Tigrim, ut vult Spanhemius, sed Orontem ex Libano monte profluentem, Antiochiamque interluentem, arguit.



ANTIOCHUS XIII.



ANTIOCHUS in serie Seleucidarum XIII. & ultimus Syriæ Rex, Antiochi Pii & Cleopatræ Selenes filius, vulgò ASIATICUS cognominatus fuit, quòd in Asiâ, Tigrane Syriam occupante, educatus fuisset: deinde, mortuâ matre, COMMAGENUS videtur dictus, quòd in illâ regione potiùs delitesceret quàm regnasset; seu quòd, Syriâ amissâ, Regis nomine servato, in hâc parvulâ provinciâ deinde regnaverit: sed, regno avito recuperato, ut à superioribus Antiochi nominis Regibus distingueretur, ANTIOCHUS CALLINICUS vocatus est, ut qui insignem, regnum recipiendo, victoriam retulisset.

App. Syr. Cùm Tigranes collegisset ducenta & quinquaginta millia peditum, & equitum quinquaginta, contra Lucullum Tigranocertam obsidentem exercitum duxit, & pugnâ ibi commissâ pridie Nonas Octobris ex Plutarcho; seu anno quarto Olympiadis CLXXVII. ineunte, ex Phlegone, qui in Seleucidarum anno ducentesimo quadragesimo quarto incidit; tota Tigranis acies profligata est, & Lucullus Tigranocertam occupavit: quo tempore ad Romanum Imperatorem totius penè Orientis supplices venere legati. Antiochus, ut & alii Reges per legatos pacifcentes, in ejus fidem receptus est; nec Lucullus ei avitam possessionem invidit, sed Regem Syriæ illum appellavit.

in Lucull. Memn. c. 59. Plut. in Lucullo. Diod. l. 35. App. Syr. Just. l. 40.

Cùm

Cùm Lucullus Tigranem non esset insecutus, ei otium non solùm evadendi, sed etiam invalescendi concessit: nam, post Artaxatam occupatam, cùm ille Antiochiam Mygdonicam in Mesopotamiâ obsideret, Tigranes in Armeniam reversus, pleraque loca celeritate recepit. Mithridates in Ponto M. Fabium à Lucullo in iis locis relictum vicit; &, antequam ipse advenisset, C. Triarium prælio superavit. Lucullus exercitum seditione fluctuantem reperit, ita ut, nec Mithridatem, nec Tigranem, persequi posset: jamque Acilius Glabrio Consul, Lucullo successor datus, & Marcius Ciliciæ Proconsul, pronuntiarant incusari à Senatu Lucullum, quòd bellum diutiùs protraheret. SELEUC. AN. 245.

Antiocheni disceptationem aliquam cum Arabibus moverant. P. Clodius, à Q. Marcio Ciliciæ Proconsule rei navali præfectus, à piratis captus, sed ab illis dimissus, Antiochiam se contulit, ut illis auxilio juvaret; sed, cùm nonnullos ad seditionem concitaret, parum abfuit quin periret. Dio. lib. 35.

Cùm Bithyniæ & Ciliciæ provinciæ, cum belli contra Mithridatem & Tigranem administratione, Pompeio decretæ fuissent, ille provinciam ingressus, deterrendæ Luculli authoritatis gratiâ, nihil ex illius actis innotum reliquit. Lucullus Romam rediit: ille versùs Mithridatem progressus est, quem victum fugavit; exercitum deinde duxit in Armeniam majorem contra Tigranem; qui noluit bellum gerere, sed ad eum, ne caduceatore quidem præmisso, profectus est, permissurus ejus arbitrio omne suum jus. Pompeius præteritorum ei dedit veniam, provinciis bello quæsitis illi ademptis. Deinde, Mithridatem insecutus, Albanos vicit & Iberos, in hisque regionibus hybernavit. AN. 246. Plut. in Pomp. App. Mithr. Dio l. 35. AN. 247.

Pompeius pace populis Caspium intra ac Colchicum mare incolentibus datâ, in Armeniam minorem divertit. Afranium legatum contra Phraatem qui Gordyenam incursabat, & infestabat Tigranis subditos, & Gabinium versùs Euphratem & Tigrim misit: ipse Amisum profectus est, adversantesque sibi etiamnum regionis partes recepit, hyberna Aspidi egit, &, quasi omnibus confectis, provincias ordinavit, & dona contulit. AN 248. Plut. in Pomp.

Pompeium tenebat cupiditas Syriæ recipiendæ: superato igitur monte Tauro, bellum Antiocho intulit. Antiochus, qui tanto exercitui resistere par non erat, primò quidem fugiendi in Parthos consilium cepit; deinde, mutatâ sententiâ, Pompeii clementiam experiri maluit. Acceperat eum esse mitem ac placidum; magna enim erat apud gentes Pompeii fides: se igitur ipsius ditioni totum permisit. Pompeius Antiochiam ingressus, nullâ illius ratione habitâ, regni Syriæ Antiochum, nunquàm de Populo Romano malè meritum, privavit. Ipse præsens Rex ab illo paternum regnum conabatur impetrare precibus: sed poscenti respondit, ne volenti quidem Syriæ daturum se Regem, qui per annos quibus Tigranes Syriam tenuit, latuerit; victo autem Tigrane à Romanis, alieni operis præmia postulet: igitur ut habenti regnum non ademerit, ita quo cesserit Tigrani non daturum quod tueri nesciat, ne rursus Syriam Judæorum & Arabum latrociniis infestam reddat. Atque ita Syriam in provinciæ formam redegit, Commagenæ provinciam in regnum Antiocho reliquit, eique postea com- AN. 249. Plut. in Pomp. App. Mithr. Just. l. 40. Strab. l. 16.

SELEUC. commisit Seleuciam Mesopotamiæ castellum & quidquid ex incursu
AN. 249. in Mesopotamiâ ceperat, eumque in amicitiam Populi Romani recepit.

Eutr. l. 6. Antiochensibus obsides reddidit, & ab iis pecunias accipiens Pom-
Porph. in Gr. Euf. peius, civitatem fecit αὐτόνομον, & suo jure uti permisit; multa
Io. Malel. etiam ipsis indulgens, publici concessûs locum collapsum restituit,
honore illis habito quòd ab Atheniensibus originem suam deducerent:
Eutr ibid. aliquantum agrorum Daphnensibus dedit, quo lucus quem consecra-
Sext. Ruf. in Brev. vit ibi spatiolior fieret, delectatus amœnitate loci, & aquarum abundantiâ. Seleuciam quoque Pieriam, vicinam Antiochiæ civitatem inexpugnabilem, libertate donavit, eò quòd Regem Tigranem non recepisset. Tripoleos tyrannum Dionysium securi percussi jussit. Theu-
Str. l. 1. prosopi castellum, Botris & Gigarti arcem, evertit; & Byblum excurrens, tyranno securi percusso, eam liberavit.

AN. 250. Ineunte vere, Pompeius, copiis ex hybernis revocatis versùs Damas-
Jos. Ant. l. 14. c. 5. cenum profectus est: obiter arcem Apamææ, quam Antiochus Philopator munierat, exploravit. Ptolemæi quoque Minnæi ditionem consideravit, viri noxii non minùs quàm fuerat Dionysius Tripolitanus, affinitate ei conjunctus: mille talentis iste redemit se à supplicio, quæ Pompeius erogavit in stipendia militum. Excidit etiam castellum Lysiada, cujus tyrannus erat Sylas Judæus. Transiens deinde per Heliopolim & Chalcidem, superatoque medio monte in Cæle-Syriam veniens, à Pellâ Damascum se contulit. Ibi Judæos audivit, & eorum principes Hyrcanum & Aristobulum, quos dimisit placidè; promittens se venturum in eorum ditionem, quamprimùm res Arabum inspexisset.

Plut. in Pomp. In Aretam Arabiæ Regem duxit: tunc ille, metu perculsus, scripsit
Jos. Bell. Jud. l. 1. Pompeio se imperata ejus facturum. Ex Arabiâ in Judæam reversus, Aristobulo capto, Templum & ejus Arcem post obsidionem expugnavit, anno secundo Olympiadis CLXXIX., Seleucidarum ducentesimo quinquagesimo. Hyrcano pontificatum reddidit ut & principatum, sed diadema eum ferre vetuit. Judæos Populo Romano fecit tributarios: urbes verò quas subjugaverant in Cæle-Syriâ illis ademptas, jussit proprio parere Præsidi; eosque contraxit intra veteres terminos. Gadaram, paulò antè subversam, in gratiam liberti sui Demetrii instauravit. Reliquas mediterraneas urbes, Hippon, Scythopolim, Pellam, Dion, Samariam, Marissam, Azotum, Jamniam, Arethusam, suis restituit habitatoribus, præter eas quæ in bellis erant dirutæ: similiter & maritimas, Gazam, Joppen, Doram, & Stratonis turrim, liberas esse jussit; easque omnes provinciæ Syriæ conjunxit. Hujus autem & Judææ, cunctorumque administrationem ad Ægypti usque fines & flumen Euphratem, cum duabus legionibus Romanis, Æmilio Scauro Quæstori suo permisit, postquam regnatum est in Syriâ,
Chron. ex Eusebio, per ducentos & quinquaginta annos.

NUM-

NUMMUS ANTIOCHI EPIPHANIS PHILOPATORIS CALLINICI.



EX MUSÆO NOSTRO.

Caput diadematum : in aversâ parte figura muliebris tunicata, & modio ornata, dextrâ palmam, sinistrâ cornucopiæ, cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΣ ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ ΚΑΛΛΙΝΙΚΟΥ, id est, REGIS ANTIOCHI EPIPHANIS PHILOPATORIS CALLINICI.

Ad Antiochum XIII., Antiochi Pii & Selenes filium, ultimum Syriæ Regem, pertinet nummus: ipse vulgò Asiaticus nominatus est, quòd in Asiâ educatus; & Commagenus dictus, quòd ex Commagene in Syriæ regnum se se insinuaverit, aut ex Syriæ ad Commagenes regnum fuerit redactus. Plerique duos & quidem distinctos Antiochos existimant; sed ex Historiâ nostrâ unum & eundem esse variis cognominibus appellatum compertum est. Illius cognomina Asiatici & Commageni in nummis haud quærenda sunt, hos illustres & insignes ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ, ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ, & ΚΑΛΛΙΝΙΚΟΥ titulos in nullo alio hujus nominis Antiocho vulgatos observamus. Antiochus vulgarem apud Syros Reges & ambitiosam EPIPHANIS nomenclationem præfert; quasi Syris post intolerandum Armeniorum imperium avitæ ditionis assertor illuxisset. PHILOPATORIS cognomen, ob pietatem erga parentem Antiochum Pium, seu in memoriam avi sui Antiochi Philopatoris, cujus etiam cognomen pater conservaverat, assumpsit. CALLINICI denique titulum, ut qui insignem retulit victoriam, dum paternum avitum recuperat regnum, usurpavit.

Figura muliebris genius est Antiochiæ urbis, cum palmæ ramo ejus symbolo: modium gerit in capite, frugum omnium insigne, ut altera Isis, quod confirmat cornucopiæ, cunctarum rerum abundantiam Antiochi veri & legitimi Regis reditu futuram demonstrans.

Nummus Antiochi Callinici, mihi ab amicissimo nostro Sponio D. M. dono datus, eximiæ raritatis & elegantiæ est habendus.

Athenæ, urbs Græciæ notiſſima, Atticæ metropolis. 10, 14, & al.
Atropatia, regio Mediæ Borealis mari Caſpio expoſita. 44
Attica, regio Achaïæ, ſeu Helladis. 10
Aulone Ciliciæ inter Moabiticas à Joſepho enumerata. 229
Axias, Fluv. Orontes in Syriâ. 143
Azotus, urbs Palæſtinæ una ex quinque Philiſtinorum. 101

B

BABYLON, urbs Babyloniæ reg. maxima ad Euphratem fluv. 2, 26, & al.
Babylonia, regio circa Babylonem, ſæpe hoc vocabulo regnum Aſſyriorum intelligitur. 1 & al.
Bactriana, regio Aſiæ inter Ariam & Margianam. 7, 27
Baan, regio Idumææ Joſepho. 110
Barathra, voragines inter Ægyptum & Palæſtinam. 50
Bargylia, urbs Cariæ ad Bargylum montem. 58, 62
Baſcama, locus Galaatidis reg. in tribu Gad. 155
Bataneα, urbs Cele-Syriæ. 60.
Berea, in nummis *Berrhæa*, urbs Syriæ inter Antiochiam & Ierapolim. 12, 219.
Berytus, urbs in deſerto in tribu Benjamin. 46, 48.
Bethbaſis, urbs in deſerto in tribu Benjamin. 125.
Bethella, urbs in tribu Benjamin. 123.
Bethorea, urbs in tribu Benjamin. 122.
Bethzacharias, urbs Palæſtinæ in diſtrictionibus Juda. 115.
Bethſura, locus ad Jordanem in dimidia tribu Manaſſe. 120, 114, 115.
Bithynia, regio Aſiæ min. ad Propontidem contra Thraciam ſita. 16, 22.
Bœotia, regio Achaiæ ſeu Helladis notiſſima. 13.
Boſor, civitas in tribu Ruben, juxta deſertum hujus nominis. 111.
Botrus, urbs Phœniciæ marit. inter Tripolim & Byblum. 48, 238.
Botzia, vicus Syriæ. 9.
Branchiæ, quod & *Didyme*, locus Apollini ſacer in Mileſiâ reg. in Ioniæ confinio 4.
Brocchos, caſtellum Phœniciæ 41, 46.
Brundiſium, urbs Calabriæ ad mare Adriaticum ſita, via Appia eò uſque perducta. 66.
Byblus, urbs Phœniciæ marit. inter Tripolim & Boritum. 75.
Byzantium, urbs Thraciæ Europæ maxima ad Boſphorum. 26, 47.

C

CADES, urbs in tribu Aſer. 153.
Caddusii, populi circa Caſpium mare. 50.
Calamus, urbs Phœniciæ circa Trietem 48.
Callinicopolis, urbs Meſopotamiæ. 31.
Calliope, urbs Parthiæ, Appiano. 12.
Callipolis, urbs Syriæ, App. 12.
Calycadnus, prom. & urbs Ciliciæ marit. 78.
Cambrace, urbs Hyrcaniæ, Polybio. 55.
Cana, vicus Cæle-Syriæ. 222.
Canopus, urbs Ægypti ap. oſtium Nili. 94.
Capharſalama, urbs, aliis campus, ubi Antipatris, in dimidiâ tribu Manaſſe. 122
Cappadocia, regio Aſiæ min. mari Euxino expoſita. 8.
Caprus, fluv. Aſſyriis ab Arbelis tanto ſpatio diſtans, quanto Lycus. 42.
Cardaces, populi Aſiæ min. Polyb. 50.
Caria, regio Aſiæ min. inter Lydiam & Ioniam. 13
Carmania, regio Aſiæ inter Perſidem & Indiam. 50.
Carmelus, mons in Tribu Iſſachar, ad mare. 229.
Caraim, ead. quæ *Aſtaroth*, urbs Galaatidis reg. 111,
Carpaſate, quæ poſtea *Antipatris*, urbs in dimidiâ tribu Manaſſe. 221
Carrhæ, urbs Meſopotamiæ. 4.
Carthago, urbs Africæ clariſſima littor. 61.
Caſpin, urbs Syriæ non longè à Jamniâ. 113.
Caſiana, plur. num. urbs Syriæ ex iis quæ à Triphone captae ſunt. 157.
Caſius, mons Syriæ inter Ciliciam, & Phœniciam attingens. 9.
Caſius, mons Palæſtinæ, in Ægypti confinio. 50.
Caſpium mare ſeu *Hircanum*, in Aſia majori à reliquis omnino ſeparatum. 237.
Caſſandria, urbs Macedoniæ marit. 13.
Cataonia, regio Aſiæ min. ſupra Ciliciam, Cappadociæ confinis. 14.
Caucaſus, mons editiſſimus in Septentrionali Aſiæ parte Indiam dirimens à Scythiâ, 57.
Caunus, urbs Cæle-Syriæ medit. 49.
Caunus, urbs Cariæ marit. apud oſtia Calbis 7.
Caycus, fluv. Æolidis ex Myſiâ ortus in mare Ægæum exiens. 70.
Celene, urbs Phrygiæ majoris ad oſtia Marſiæ. 70.
Cenchræ, pagus & navale Corinthiorum. 4.
Cerynæa, urbs Cypri inſulæ. 3.
Chalcis, urbs Cæle-Syriæ ad montem Libanum. 225.
Chalcis, urbs Ætoliæ ad Evanum fluv. 65.
Chalonitis, regio Aſſyriæ. 44.
Charax, oppidum Perſici ſinus. 79.
Charis, urbs Idumææ. 111.
Cherſoneſus, Syriæ peninſula. 55.
Chios, Inſula maris Ægei cum urbe cognom. 67.
Chutæi, populi Joſepho: vide *Ciſſii*.
Cilicia, regio Aſiæ min. inter Pamphyliam & Syriam. 50
Citium, urbs inſulæ Cypri. 4.
Caidus, urbs Cariæ in peninſula. 157.
Colchicum, mare id eſt Euxinum. *Colchis* autem regio eſt Aſiæ ad oram maris Euxini orientalem. 237.
Cæle Syria, regio quæ propriè Libano & Antilibano terminatur. 50, 84, & al.
Colophon, urbs Ioniæ marit. 72.
Coraceſion, urbs Pamphyliæ littoralis. 60.
Corinthus, urbs Peloponneſi ad Iſthmum. 7.
Corypedium, urbs Phrygiæ min. Seleuci & Lyſimachi prælio celebris. 16.
Corycus, urbs Ciliciæ marit. 60.
Corylenus, urbs Myſiæ inter Adramyttæum & Thyatiram. 70.
Cos, inſula maris Carpathii Cariæ adjacens. 7.

Coston, urbs Myfiæ Coryleno proxima. 70.
Cranon, urbs Theffaliæ in Macedoniæ conf. 66.
Creteufes, populi infulæ maris medit. 50.
Ctefiphon, opp. Affyriæ in Tigridis alterâ ripâ, è regione Seleuciæ 40.
Cuma, urbs Æolidis marit. 69.
Cynocephalæ, montes Theffaliæ ad quas Philippus Maced. Rex à Romanis profligatus eft. 60.
Cyprus, infula maris medit. 3, 4.
Cypfela, urbs Thraciæ medit. juxta Melam fluv. 61.
Cyrnos, inf. maris Ægæi, inter Sporades. 173.
Cyrrus, urbs Syriæ medit. 143.
Cyffii, populi iidem quam Sufiani, à Cyfia matre Memnonis fic dicti. 50.
Cyffus, portus Erythræorum. 67.
Cyzicus, urbs Myfiæ ad Propontidem. 47.

D

DAÆ feu *Dahæ*, populi Scythiæ è genere Nomadum. 50.
Damafcus, urbs Cæle-Syriæ medit. 6, 47, & al.
Dardanum, urbs Troadis littor. 74.
Dathema, caftrum feu munitio in reg. Galatide. 110.
Delos & *Delus*, infula maris Ægæi, in qua Apollinis templum & oraculum. 25, 67, 84, 85.
Delphi, urbs Phocidis in Achaïa ad Parnaffum montem oraculo Apollinis clariffima. 66.
Deffai, vicus Judææ Jerofolymis proxima. 121.
Demetrias, urbs Theffaliæ marit. 65.
Dia, Jofepho urbs Paleftinæ, forfan *Dium* Ptolemæo Cæle-Syriæ inter Pellam & Philadelphiam. 229.
Doch, caftellum in tribu Ephraim 165.
Dora, vel *Adora*, urbs Idumææ ad radices montium Seïr. 155.
Dora, urbs Phœniciæ litt. ad montis Carmeli radices. 47, 162.
Drangiana, regio Afiæ inter Arachofiam & Carmaniam. 57.
Dura, urbs Mefopotamiæ feu Babyl. prov. 41, 42.

E

ECBATANA, urbs Mediæ primaria. 17, 54, 102.
Edeffa, olim *Antiochia* Ofrhoenorum, urbs Syriæ ad lævam Euphratis ripam. 12.
Elatea, urbs Theffaliæ. 67.
Elæa, urbs Æolidis marit. 69.
Eleufine, pagus Ægypti à 4. mill. Alexandriæ. 94.
Eleufis, oppidum Atticæ maritimum. 10.
Eleutherus, fluv. Phœnicis inter Balaneas & Orthofiam excurrens. 136.
Elymais, urbs feu regio Perfidis. 102.
Emifa, urbs Syriæ ad Orontem fluv. 184.
Emmaus, civitas in tribu Juda. 97.
Ephefus, urbs Ioniæ maritima. 8, 16, & al.
Ephron, civitas in tribu Juda extra Jordanem. 111.
Epiphania, olim *Amat*, vel *Emath*, urbs Syriæ ad Orontem fl. fic ab Antiocho IV. vocata. 104.
Epirus, regio inter mare Ionium & Theff. 65.
Erymanthus, flu. inter Arachofiam & Draugianam. 57.
Erythræa, urbs Ioniæ marit. 67.
Efbon, urbs Amorrhæorum regia, poftea in terminis tribus Ruben & Gad. 229.
Euleus, fl. Sufianæ reg. Sufam urbem præterluens. 79.
Euphrates, flu. Mefopot. 1.
Euromus, urbs Cariæ, Polybio. 58.
Europus, urbs Syriæ ad Euphratem. 41.
Eurymedon, fluv. Pamphyliæ, à Tauri montis jugo defluens. 70.

F

FOSSA regia, locus Mefopot. ad Tygrim flu. 42.

G

GABALA, urbs Galilææ medit. in tribu Afer. 229.
Gadara, vide *Gazara*, urbs Cæle-Syriæ ad Genefaram lacum. 60, 101.
Galaatidis, regio trans Jordanem Galaad monti proxima. 49.
Galatæ, Tectofages. 43.
Galatia, regio Afiæ min. quæ & Gallo-Græcia. 98.
Galgala, urbs Palæftinæ in tribu Nephtali. 122.
Galilæa, reg. Palæftinæ. 111.
Gamala, urbs eum arce fupra montem in tribu Manaffe ultra Jordanem 229.
Gafbon, urbs Galaatidis reg. 111.
Gaulanatis, regio circa Gaulanam in dimidia tribu Manaffe. 229.
Gaza, urbs Phœniciæ littoralis. 4, 50. 52, & al.
Gazara, vide in *Gadara*.
Gedor, urbs in tribu Juda. 163.
Gephrom, oppidum Cæle-Syriæ. 49.
Gerafa, feu *Effa*, urbs in dimidia tribu Manaffe ultra Jordanem. 229.
Gerra, oppidum Syriæ. 41.
Gigartum, munitio feu præfidium Cæle-Syriæ, infra Libanum montem. 278.
Gordiena, regio Armeniæ maj. in Mefopotamiæ confinio. 237.
Græcia, regio Europæ ampla in plures provincias divifa. 192.
Gnidus, vide *Cnidus*.

H

HADASA, urbs Palæftinæ in tribu Ephraïm. 122.
Halicarnaffus, urbs Cariæ marit. 6.
Halys, flu. Lydiæ feu Paphlagoniæ. 78.
Hecatompolis, urbs Parthiæ. 12. 54.
Heliopolis, urbs Cæle-Syriæ ad Libanum Montem. 10.
Hellefpontus, regio Afiæ min. pars Myfiæ mari expofita. 16.
Hepheftias, oppid. inf. Lemni maris Ægæi 17.

Heraclea, urbs Ponti. 8, 16, 17.
Heraclea, urbs Phtycotidis littor. 66.
Heraclea, urbs Cariæ litt. ad Lathmon dicta ad montem hujus nominis. 7.
Herea, urbs Syriæ, Appiano. 12.
Hiericus, urbs Judææ inter Hierosolymum & Jordanem. 123.
Hippon, urbs Cæle-Syriæ apud Dion. non procul à lacu Genesara dimidia tribu Manasse. 238.
Hypasis, flu. Indiæ citerioris in Indum influens, Alexandri M. terminus. 27.
Hypatæ, urbs Thessaliæ ad radices montis Oetæ. 66.
Hyperbatis, urbs Hyrcaniæ regionis. 55.
Hyrcania, regio Asiæ maj. Caspio mari adjaceus. 54, 55.
Hyrcanis, urbs Lydiæ, ubi sunt Hyrcani campi. 74.

I

JAMNIA, urbs Phœniciæ marit. 101, 111.
Jassus, urbs Cariæ marit. 58.
Iberia, regio Asiæ inter Colchidem ad occasum & Iberism ad ortum. 237.
Idumæa, ipsa est *Edom* terra, regio Palæstinæ inter Arabiam & Ægyptum. 220, & plur. loc.
Jerosolyma, in multis locis.
Ilium, urbs Phrygiæ min. 65, 74.
India, regio Asiæ amplissima. 7.
Indus, Indiæ flu. maximus ex Paropamesso monte Tauri parte excelsissima oriens 7.
Ionia regio Asiæ min. marit. 26.
Iopolis, urbs Syriæ in Sylphio monte. 9.
Joppe, urbs Phœniciæ & Palæstinæ. 89, & al.
Jordanes, fluv. sub Libano monte gemino fonte oriens ap. Cæsaream urbem. 49, & al.
Ipsus, urbs Phrygiæ clade Antigoni celebris. 8.
Isamus, flu. Indiæ, Strab. 27.
Itabyrium, mons Galilææ, ipse mons Thabor. 229.
Italia, regio Europæ clarissima. 62, & al.
Judæa, regio Asiæ minima plur. loc.

L

LABUTA, mons Parthiæ in Hyrcaniam vergens. 55.
Lacedæmon, urbs Peloponnesi ad Eurotam flu. 10, 65.
Ladera, insula maris Ægæi ante Miletum. 58.
Laisa, civitas, quæ & *Dan*, & postea *Cæsarea* Philippi, urbs Palæstinæ ap. ortum Jordanis. 122.
Lamia, urbs Thessaliæ marit. 65.
Lampsacus, urbs Mysiæ ad Hellespontum ad ostia flu. Granici. 61, 65.
Lapytus, urbs Cypri marit. 3.
Laodicea, urbs Cæle-Syriæ ad Libanum mont. 20, 218, 219.
Laodicea, urbs Syriæ marit. 144.
Laodicea, urbs Mediæ Appiano. 12.
Laodicea, urbs Lydiæ ad Lycum fluv. 17.
Laodicea, urbs Phrygiæ maj. Polyb. 45.
Larissa, urbs Syriæ ad Orontem fluv. inter Apsmeam & Epiphaniam. 12, 157.
Larissa, urbs Thessaliæ medit. ad Peneum fl. 65, 66.
Lemnos, ins. maris Ægæi. 17.
Lempa, urbs Moabitica de quâ Josephus 229.
Liba, urbs Mesopot. 42.
Libanus, mons Syriæ. 40, 48, 210.
Limnæa, urbs Thraciæ Chersonesi. 66.
Lycaonia, regio Asiæ min. inter Isauriam & Armeniam. 45, 78.
Lycia, regio Asiæ min. inter Cariam & Pamphyliam. 118.
Lycus, fluvius Assyriæ Tigrim ingrediens. 42, 167.
Lycus, flu. Phœniciæ Polyb. 48.
Lydda, urbs Judææ, quæ postea *Diospolis*, in tribu Ephraim. 147.
Lydia, regio Asiæ min. inter Ioniam & Phrygiam min. 13, 45.
Lymira, urbs Lyciæ medit. ad Lymirum fl. 60.
Lysias, castellum, seu urbs Syriæ, sita ultra lacum qui juxta Apameam est. 238.
Lysimachia, urbs Chersonesi Thraciæ circa Isthmum. 17, 61.
Lyperus, mons Bithyniæ. 22.

M

MACEDONIA, regio Europæ ampla inter Ionium ad occasum & Ægæum mare ad ortum perstructa. 1, & al.
Madytus, urbs Chersonesi Thraciæ metropolis. 61.
Mæander, fluv. Asiæ min. in Phrygia maj. ex Aulocrene fonte oriens. 77.
Magath, urbs Galaatidis reg. 111.
Magnesia, urbs Lydiæ ad Sipylum mont. 30, 31, 67, 74.
Magnesia, urbs Cariæ apud Mæandrum flu. 76.
Maiienses, populi insulæ Cypri. 3, 4.
Mallus, urbs Ciliciæ marit. 46, 226.
Malliacus, Sinus. 66.
Mallon, urbs Syrorum expugnata à Juda Machabæo. 111.
Marathus, urbs Phœniciæ. 18, 136, 180.
Maresa, vide *Marissa*.
Margiana, regio Asiæ inter Hyrcaniam & Bactrianam. 23.
Maronæa, urbs Thraciæ marit. ad ostia Hebri. 59, 72.
Maronæa, urbs Syriæ ab Antiochiâ 30. mil. in ort. 12.
Marissa, quae etiam *Adissa*, urbs Idumaeae. 111, 175.
Marsyas, flu. Phrygiæ Maj. non procul à Mæandro oriens. 23.
Marsyas, convallis inter Lybanum & Antilibanum. 46.
Masaloth, urbs Palæstinæ in tribu Nephtali 122.
Maspha, civitas tribus Benjamin. 101.
Medaba, urbs Arab. Petrææ. 175. 229.
Medeon, urbs Acarnaniæ, Livio. 66.
Media, regio Asiae maxima inter Armeniam & Parthiam. 5, 15. 115.
Megalopolis, urbs Arcadiae in Peloponneso. 84.
Megara, urbs Syriae in reg. Apamena. 157.
Megistes, portus Liciae. 71.

Memphis, urbs Ægypti olim regia ad Nilum. 47, 93.
Mesopotamia, regio Asiae Euphrate & Tigri comprehensa. 3, 4, 152.
Miletas, urbs Ioniae vel Cariae apud Maeandri ostia. 53.
Moab, urbs Arabiae Petraeae trans Jordanem. 94.
Modin, urbs Palaestinae in tribu Dan in monte. 114, & al.
Mopsuestia, urbs Ciliciae medit. 213, 215.
Motho, vicus Arabiae ubi occisus est Alexander I. 138.
Murus Camelorum, castellum Ægypti. 2.
Myndus, urbs marit. 7.
Myonnesus, urbs Ioniae marit. inter Teium & Lebedum. 72.
Myrina, urbs Æolidis marit. 17.
Mysia, regio Asiae min. duplex, major quae & Hellespontica, & minor Olympia dicitur. 98.

N

N*ABATHÆI*, Arabes qui & *ZABADÆI*. 111.
Naucratis, urbs & nomus Ægypti medit. 92.
Naupactus, urbs Ætoliae & reg. caput. 66.
Nephelis, urbs & prom. Ciliciae marit. 60.
Nicephorium, urbs Mesopotamiae Appiano. 12.
Nicopolis, urbs Armeniae, Cappadociae finitima, à Seleuco Nicatore condita. 12.
Nilus, flu. ingens Ægypti notissimus. 2, & al.
Notium, urbs Ioniae à vetere Colophone 2. mill. distans. 72.
Nomades, populi Asiae maj. juxta Caspium mare. 57.

O

O*DOLLA*, urbs Palestinae in tribu Juda. 114.
Oeta, mons Thessaliae in Doridis confinio. 23.
Oricas, mons Assyriae. 43.
Oronae, civitas Moabitarum, in tribu Ruben, quam Josephus Arabiae attribuit. 19.
Orontes, flu. Syriae maximus ex Libano monte profluens. 9, & al.
Oropus, urbs Syriae, Appiano. 12.
Orthosias, urbs Phœniciae marit. 163.
Ostia, urbs Latii ad ostia Tiberis. 117.

P

P*ALÆSTINA*, regio Asie inter Syriam ad Septentr. & Ægyptum ad Austrum 227, & al.
Pamphylia, regio Asiae min. inter Lyciam & Ciliciam. 4.
Panormus, urbs Sami inf. 69.
Panormus, locus agri Milesii in Ioniâ. 72.
Parthia, regio Asiae inter Mediam & Ariam. 7, 159.
Patara, urbs Lyciae littor. 4, 60, 71.
Pedasa, oppidum Cariae mediter. 58.
Pella, urbs Macedoniae med. 1.
Pella, urbs Caele-Syriae trans Jordanem 12.
Pellinaeum, oppidum Thessaliae. 66.
Pelusium, urbs Ægypti ap. Pelusiacum ostium. 27, 47.
Peraea, regio parva Rhodiorum ditionis. 58.
Peraea, Toparchia seu urbs in tribu Gad. 128.
Perga, urbs Pamphyliae marit. ad ostia Cestri flu. 77.
Pergamus, urbs Troadis seu Mysiae medit. ad Caycum fluv. 15, 64, 70.
Perinthus, urbs Syriae, App. 12.
Persepolis urbs reg. Persidis ad Rhogamanem flu. 102.
Persia, regio Asiae inter Susianam & Carmaniam. 5.
Persicum, urbs Cariae, Diodoro. 7.
Phanaes, portus Chiorum. 67.
Pharatoa, urbs in tribu Ephraïm, in monte. 123.
Pharsalus, urbs Thessaliae. 66.
Phaselis, urbs Pamphyliae marit. 7, 70.
Pheræ, urbs Æolidis, Mytilenorum colonia. 66.
Pherea, urbs Æolidis, Mytilenorum colonia. 70.
Philadelphia, urbs Caele-Syriae medit. 216.
Philoteria, urbs Caele Syriae ad lacum Tiberiadis. 49.
Photaea, urbs Æolidis marit. 67, 69.
Phocis, regio Achaïae inter Bœotiam & Ætoliam. 66.
Phœnicia, regio Syriae marit. 31, & plur. loc.
Phrygia, reg. Asiae min. gemina, maj. & minor, prima tota medit. 3, 13, 34, 61. altera versus Hellespontum. 3, 22.
Pisidia, regio Asiae min. Pamphyliae finitima. 45, 64.
Platanus, urbs Phœniciae medit. 48.
Porphyreon, urbs Phœniciæ marit. ad Carmeli montis radices. 48.
Posidium, malè *Posidonium*, urbs Syriae littor. 192.
Proerna, urbs Pheotidis apud Thermopylas. 66.
Ptolemais, urbs Phœniciae marit. 46, 110, 111, 203, 204, & al.

R

R*ABBATAMANA*, urbs Arabiae montanae. 49.
Ragata, castellum trans Jordanem. 229.
Ramatha, urbs Judaeae in Tribu Ephraïm in monte. 147.
Raphia, urbs Phœniciae marit. 50, 63, 205, 229.
Raphon, loci nomen in primo Mach. 111.
Rhaga, urbs Mediae in ora maris Caspii. 12.
Rhaeteum, urbs Troadis marit. ad prom. cognom. 74.
Rhinocorura, urbs in Ægypti & Palaestinae conf. in ora marit. 50, 94, 229.
Rhodus, ins. maris Carpathii, Cariae adjacens. 134, & al.
Roma, urbs Italiae, caput orbis terrae. 64, 117, & al.
Rhossus, urbs Syriae marit. ad sin. Issicum. 10.

S

S*ALAMIN*, urbs Cypri in orâ orientali. 7.
Salmonii campi, versus Heracleam. 8.

Sama-

Samaria, regio Palæstinae inter Judaeam & Galilaeam. 60, & al.
Samega, urbs Syriae Palaestinae. 175.
Samos, inf. maris Icarii, Ioniae adjacens. 69.
Samosata, urbs ad Euphratem fluv. Commagenes metrop. 185.
Sardis, urbs Lydiae Metrop. ad Tmolum montem. 53, 70, 73, & al.
Sarpedon, urbs & promont. Ciliciae. 78.
Sarus, fluv. Ciliciae in Armenia min. oriens paulò supra Comanum urbem. 62.
Scharphia, opp. Locrorum Eplcnemidiorum in Achaia apud ostia Boagrii fluv. 67.
Scotussa, urbs Thessaliae medit. 66.
Scythae, Nomades pop. inter Sarmatiam & Scythiam alteram. 57.
Scythopolis, urbs Syriae Decapolitanae, alias Bethzan. 49, 111.
Secoana, castellum reg. Apameae in Syria. 148.
Seleucia, urbs Syriae marit. 9. 30, & al.
Seleucia, urbs Euphratem versus. 238.
Seleucia, urbs Mesop. ad Tigrim. 12, 41, & al.
Selga, urbs Pamphyliae medit. 64.
Selinus, urbs Ciliciae marit. ad ostia Selinuntis fluv. 60.
Selymbria, urbs Thraciae ad Propontidem. 61.
Sicilia, inf. Ital. omnium maris mediterranei maxima. 232.
Sicyma. urbs Samariae metrop. 175.
Sicyon, urbs Peloponnesi. 7.
Sida, urbs Pamphyliae marit. 70.
Sidon, urbs Phœniciae marit. 8, 49, 60, & al.
Silphius, mons Syriae. 9.
Smyrna, urbs Ioniae marit. 23, 62, & al.
Sogdiana, regio Asiae inter Margianam & Sacas. 7.
Solis, urbs Ciliciae marit. postea *Pompeiopolis* dicta. 60.
Sotera, urbs Parthiae. App. 12.
Sparta, urbs Laconicae, vide *Lacedæmon*.
Sperchium, urbs Thessaliae ad ostia Sperchii fluvii. 66.
Susa, urbs region. Susianae metropol. ad Eulaeum fluv. 3, 17.
Susiana, regio Asiae inter Assyriam & Persidem. 3, 5.
Sycaminum, urbs Phœniciae marit. 204.
Syracusa, urbs Siciliae ampliss. 232.
Syria, regio Asiae maxima. 50, & al.
Syringe, urbs Hyrcaniae, Polybio. 55.

T

TAGÆ, urbs Persidis in Paretacene. 103.
Tagae, urbs Parthiae. 54.
Taguria, urbs Bactrianae reg. 56.
Tamyra, fluvius. 48.
Tapyri, pop. Parthiae, Hyrcanis proximi. 7.
Tarentum, urbs Magnae Graeciae, nunc Calabriae. 22.
Tarsus, urbs Ciliciae ad Cydnum fluv. 13.
Taurus, mons Asiae maximus, à Lycia usque ad extremos Seres perductus. 13, & al.
Techoa, urbs Palaestinae in tribu Juda. 123.
Tegea, urbs Peloponnesi in Arcadia 103.
Tegea, urbs Syriae, App. 12.
Telithon, urbs Moabitica, de qua Joseph. 229.
Thaumacia, urbs Thessaliae gemina. 66.
Thamnata, urbs Judaeae, in tribu Juda, quae postea cessit tribui Dan. 123.
Thassus, inf. Thraciae in mari Ægaeo. 123.
Theuprosopon, five Θεοῦ πρόσωπον faciem Dei significat, castellum seu urbs Phœniciae marit. 238.
Thracia, regio Europae maxima inter Mœsiam & Macedoniam. 6.
Thyatira, urbs Lydiae ad Lycum fluv. 70.
Thyria, al. *Thyrion*. opp. Acarnaniae. 66.
Tigranocerta, urbs Armeniae maj. ad Nicephorium fl. apud Masium montem. 233.
Tigris, flumen Mesopotamiam terminans eamque ab Assyria & Susiana dirimens. 3. & al.
Trallis, urbs Lydiae inter Magnesiam & Maeandrum fluv. 76.
Trieris, urbs Phœniciae circa Berytum & Byblum. 48.
Tripolis, urbs Phœnicis marit. 118, 203.
Turris quae postea *Cæsarea* dicta est, urbs Phœniciae marit. 203.
Tyrus, urbs Phœniciae lit. 62. & al.

X.

XANTHUS, urbs Lyciae cum fluv. cogn. qui urbem interluit. 7, 60.

Z.

ZAGRUS, mons Mediae. 44.
Zara, urbs Moabitica in tribu Ruben. 229.
Zariaspa, opp. Bactrianae. 56.
Zephyrium, urbs Ciliciae marit. 60.
Zeugma, urbs. 40.
Zipœtum, urbs Bithyniae ad Lyperum montem. 22.

INDEX
NOMINUM ET RERUM.

A

ABSALON Judaeorum legatus ad Antiochum V. 113.

Achæi amicitiam cum Seleuco IV. renovant. 84.

Achæus Andromachi F. Seleuci II. ſeu Callinici dux, ejus ex uxore nepos. 32, 37. comitatur Seleucum III. cognatum in bello contra Attalum Pergami Regem. 37. ejus mortem ulciſcitur. 37. Antiocho imperium conſervat. 38. ab Antiocho provinciae cis Taurum præficitur. 39. Attalum inter fines paterni regni redigit. 39. Deficit ab Antiocho, diadema ſibi imponit 45. Piſidiam depopulatur. 45. ab Antiocho bello impetitur. 53 Sardes tandem ſe recipit 53. Bolidis proditione in Antiochi M. poteſt. devenit. 54. membris mutilatur, & utri aſinino corpus ejus inſutum in crucem attollitur. 54.

M. Acilius Glabrio Coſ. contra Antiochum M. proficiſcitur. 65. Brundufio Apolloniam appellit. 66. ad Philippum Macedoniae Regem Limneam venit. *ibid.* Lariſſae de ſumma belli conſultat *ibid.* Antiocum ad Thermopilas debellat. 67.

M. Acilius Glabrio, Lucullo in bello Mithridatico ſucceſſor datus. 237.

Adar Hebraeorum menſis Februario reſpondens. 122.

Ædes Æſculapii. 79.

Ædes liberae legatis Romae datae. 89.

Ægyptii Ptolemaeum Lagi Regem proclamant. 7.

P. Ælius unus è decem Romanorum ad Antiochum M. legatis. 63.

M. Æmilius Lepidus legatus ad Antiochum Magn & ad Philippum Macedoniae, ad Ptolemaeum Epiphanem tutorio nomine miſſus. 58.

M. Æmilius Lepidus caſtrorum in praelio ad Sipylum praefectus. 75.

M. Æmilius Rhegillus Romanorum contra Ant. M. Navarchus. 70. 72.

L. Æmilius Scaurus cum 30. navibus ad Helleſpontum trajiciendum miſſus. 72.

M. Æmilius Scaurus Pompeii quaeſtor. 238.

Æra Antiochenſium. 5, 6. Chaldaeorum. *ibidem.* Judaeorum. *ibid.* Seleucidarum. *ibid.*

Æropus Ptolemaei Epiphanis dux. 60.

Æropus Alexandri II. vulgò Zebinnæ dux. 89.

Afranius Pompeii M. legatus. 237.

Agathoclea pſaltria, Ptolemaei Philopatoris amatia. 57.

Agathocles Lyſimachi F. Lyſandram Ptolomæi Lagi filiam uxorem ducit. 10. Demetrium Poliorcetem in Aſia inſequitur. 13. in carcere patris juſſu necatur. 15.

Agathocles Macedo, Perſidis Satrapa. 27.

Agathocles Rhodius rerum moderator apud Ptol. Philopatorem. 47. Tutor filio Epiphani commiſſus. 57. interficitur. 58.

Agema ex Regiis Praetorianis. 51.

Alcimus fit Judaeorum Pontifex ab Antiocho V. 116. Pontificatum ſibi confirmari à Demetrio Sotere contendit. 120. ad eum iterum proficiſcitur. 121. tertiò ad eundem redit. 122. cum deſtrui murum Atrii Interioris juſſiſſet, repentinâ morte ſublatus eſt. 124.

Alcithus Achaeorum ad Antiochum IV. legatus. 92.

Alexander Acarnan ab Antiochi M. conſiliis. 64.

Alexander Caſſandri F. 12.

Alexander Lyſimachi ex Odriſſide F. 55.

Alexander M. ad Perſicam expeditionem proficiſcitur. 1. ex India redit. 1. ejus mors. 2. ejus filii mater & frater extincti. 7.

ALEXANDER I. Rex Syriae, Antiochi Dei Epiphanis F. nothus, Romam venit cum Heraclide. 126, 127. in patriam revertitur. 127. mittit ad Jonatham de ſocietate 127. cum Demetrio congreditur & fugatur. 128. bellum renovat & vincit. 128. Syriae regnum occupat. 134. uxorem ducit Cleopatram Philometoris filiam. 134. par minimè regno illud Ammonio committit. 135. in ganeo & ludicis dies conſumit. 135. audito Demetrii Nicatoris adventu è Phœnice Antiochiam venit. 135. In Ciliciam contra rebelles proficiſcitur. 137. contra Demetrium ducit. 137 Ad Oenoparam fluv. vincitur. 137. ejus caput ad Philometorem mittitur. 138.

ALEXANDER II. vulgo Zebinna vocatus, mittitur à Ptol. Phyſcone contra Demetrium. 178. Antiochiae recipitur *ibid.* corpus Antiochi VII. cum lacrymis recipit. *ibid.* lenis ac manſuetus omnibus videtur. 179, 189. novae illi continuò à Ptolemaeo ſuppeditantur copiae. *ibid.* praelio tandem Demetrium profligat. 181. illo Tyri occiſo ſolus regnat. *ibid.* Antiochus VIII. novus illi aemulus. 187. Fœdus ferit cum Hyrcano. 188. duces ſuos rebelles Laodicaeae expugnat *ibid.* iiſdem ignoſcit. 189 ab Antiocho VIII. bello appetitur. 190. cum illo acie dimicare recuſans in Graeciam ſpoliatis theſauris & templis fugere conſtituit. 192. Poſidium venit Antiochiâ pulſus. *ibid.* occiditur *ibid.* variae de ejus morte ſententiae. *ibid.* annos regnavit ſex. *ibid.*

Alexander

Alexander Perfidis Satrapa ab Antiocho M. constitutus. 39. à Rege deficit. *ibid.* ejus mors. 43.
Alexander Polysperchontis F. 4
Alexander Pyrrhi Epirotarum Regis F. 33.
Alexander Roxanes F. 6.
Alexander Jamnaeus dictus, Hyrcani F. Aristobulo fratri succedit. 203. Ptolemaidem obsedit. *ibid.* obsidionem solvit. 204. cum Ptolem. Lathyro init societatem, sed nuntio clam ad Cleopatram in Ægyptum misso dissolvitur. *ibid.* à Ptol. Lathyro magna clade profligatur. *ibid.* ad Cleopatram Ptolemaïdem obsidentem cum muneribus venit. 205. fœdere cum ipsa inito in Cæle-Syriam profectus, Gadaram capit. *ibid.* clade à Theodoro acceptâ, Gazam obsedit. *ibid.* eam proditione occupat. 206. cùm intra sexennium cum Judæis bellum gessisset, pacem etsi victor illis offert. 219. cum Demetrio ab iis accersito decertat & fugatur. *ibid.* Antiochum XII. in Arabiam transiturum longâ fossâ impedire frustra conatur. 221. 222. cum Areta in Judæam exercitum ducente pace initâ adversus vicinos Syriæ subditos convertit. 229. post multas urbes Cæle-Syriæ occupatas triennio febre quartana laborans moritur. *ibid.*
Alexandra Aristobuli uxor, deinde Alexandro Jamnæo nupsit. marito mortuo Ragaba castellum expugnat. 229. ad Tigranem legatos cum muneribus mittit. 232.
Alexandrini legatos Romam mittunt de tutore Ptolemæo Epiphani obtinendo. 58. Ptolemæum vulgò Physconem Regem proclamant. 91.
Alexis, Apamææ arcis præfectus. 42.
Amaction dux regiæ Armigerum se simulat. 32.
Amicitia inter Antiochum M. & Sophagasenum Indiæ Regem renovata. 57. inter Seleucum IV. & Achæos renovata. 84.
Amilcar Hannibalis pater. 64.
Aminander Athamanum Rex. 65.
Ammonius regni sub Alexandro Theopatore administer. 135. pro Aradiis stat contra Marathenses. 136.
Amor à modestis occultatur. 11.
Amphimachus Mesopotamiæ Satrapa. 3.
Amyntas Alexandri M. avus. 18.
Anchora naturalis Seleucidarum in femore nota. 1. securitatis signum. *ibid.* annulus Seleuci Nicatoris signatorius. *ibid.*
Andreas Archiater Ptolem. Philopatoris. 50, 51.
Andriscus Persei filium mentitus, Philippum se appellans, ad Demetrium Soterem venit. 128. ab eo Romam mittitur. *ibid.*
Andromachus Achæi pater, Seleuci Callinici socer, ejus dux Antiochum Hieracem profligat. 33. captus in bello tandem à Ptolomæo Evergete Rhodiis concessus. *ibid.*
Andromachus Aspendius Ptolemæi Philopat. dux. 51. Cæle-Syriæ præfectus. 53.
Andronicus Macedo Ephesi pro Antiocho M. præfectus. 69.
Andronicus Antiochiæ praefectus sub Antiocho IV 91. à Menelao Judaeorum Pontifice subornatus Oniam interficit. *ibidem* jussu regis eod. loco occiditur. *ibid.*
Andronicus Samariae praefectus sub Ant. IV. 93.
Androstenes Cyzicenus in Indiâ ad devehendam Sophagaseni Regis gazam ab Antiocho M. relictus. 57.
Antigenes Argyraspidum dux. 3.
Antigonus Cocles cognominatus, ab Antipatro designatur exercitus regii imperator. 2. imperium Asiae affectat. *ibid.* Eumenem sibi conciliare studet. *ibid.* Cassandrum ad se venientem suscipit. *ibid.* Mesopotamiam petit. *ibid.* Seleucum & Pythonem sibi conciliat. 3. Præter spem potitur Eumene. *ibid.* honorificè excipitur à Seleuco. *ibid.* rationes proventuum à Seleuco exigit. *ibidem.* Pythonem occidit. *ibid.* in Ciliciam venit. *ibid.* in Syriam movet. *ibid.* certior factus de recuperatâ per Seleucum Babyloniâ Demetrium mittit in eam Satrapiam. 6. pacem facit cum Ptolomaeo, Seleuco, & Lysimacho. *ibid.* bellum cum Ptolomaeo renovat. *ibid.* diadema sumit. 7. expeditionem in Ægyptum suscipit. *ibid.* re infectâ Syriam repetit. *ibid.* de Lysimachi in Asiam transitu audito, in eum contendit. 8. Demetrium accersit. *ibid.* in prælio contra Reges occumbit. 9.
Antigonus Gonatas cognominatus, Demetrii F. Antigoni I. nepos Bœotios caedit. 13. captivitatem patris graviter fert, & ad Seleucum supplex scribit. 14, 15. patris funus curat. *ibid.* à Ptolomaeo Ceranno profligatus pacem cum eo init. 21, 22. cum Antiocho Sotere pro Macedonia decertat. 22. pace cum eo initâ Macedoniam & Philam uxorem Antiochi F. accipit. *ibid* auxilia Graecis mittit contra Gallos. 23.
Antigonus Hyrcani Pontificis F. 202.
